





FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE

FRANCISCIADOS LIBRI XIII.

Nunc primum in lucem editi


AD SERENIS. COSMVM MEDICEM MAGNVM HETRVRIAE DVCEM

Cum Priuilegio.



FLORENTIAE,

MDLXXI.



REVERENDVS P. FRANCISCVS MINORIDES FLORENTINVS,

FRANCISCO MAVRO HISPELLATI MINORIDAE,



IVINVM profectò pariter & eruditum Poema, quod tu diserte Maure, de vita Diui Francisci, olim cecinisti, mandante mihi Reuerendo admodum Patre Francisco Giliberto de Saponaria Minoride Inquisitore Apostolico, tui equidem amantissimus, ne quidem somniculosè, oscitanterq́ue, verùm consideratius accuratiusq́ue perlegi: attentissimè autem, cùm morum probitate indagata, tùm sacra fidei synceritate perpensa; nihil non probum, nihil non sanctum, nihil non pium interlegendum mihi occurrit. Quapropter iam illud typicis excussionibus tradendum esse, & par est, vt equidem censeam: & vt id facias, obnixius impensiusq́ue exhortor.

Teſtimonio igitur relationis huiuſce confiſus. Ego Frater Franciſcus Gilibertus de ſaponaria Minorides præmemoratus Inquiſitor Imprimendi illud, licẽtiam facultatemq; Concedo quod quidem opus clauditur ducentis duabus paginis in originali, Datum in ædibus San. Crucis Die 15. Decembris. 1570.

Ego Guido Seruidus Preſes & Vicarius Generalis Florentiæ præſcriptam licentiam ratam habens, vtendi ea libertatem tibi condono.

COSMO MEDICI, MAGNO DVCI HETRVRIAE.

FRANCISCVS SPELIENSIS.



FFICIVM me impulit, fidesq́; quam dedi olim auctori nostræ sodalitatis, vt cõsumerem omnes meas cogitationes in consilijs ipsius factisq́; contemplandis, postquam me omnino parem non esse cognoui, morib. sanctißimi uiri institutisq́; uita exprimendis: cumq́; totam mentem conuertissem ad hanc curam, ueterem exercitationem ingenij, studiumq́;, cui adolescens deditus fueram, totum contuli ad hæc, quæ animo videram, litteris prodẽda. Quod si vllam in partem præstiti, quod conatus sum, non me diuinus ille spiritus, qui poetas ad pangendum carmen

adiuuare solet, afflauit; sed alter non minor ardor inflammauit, in quo solo imitatus ali quantum mihi videor conditorem nostræ disciplinæ: vt enim ipse præter ceteros flagrauit amore veræ pietatis, nullumq; periculũ atq; incommodum recusauit, vt sitim hanc suam expleret (propria hæc enim hominis laus est) ita ego longo tempore incensus fui iusto hoc ac mihi debito desiderio, versibus celebrandi laudes diuinißimi viri: cuius gloriæ ille, dum vixit, numquam cupidus fuit. vel potius ipsam quantum potuit declinauit: ea tamen nunc monumentis commendata, proderit multum mortalibus: non paucosq; ad Christum toto pectore amandum, vt ipse fecit, excitabit. Fructum autem hunc tenuem exigui ingenij mei; & ita quidem pusilli, vt ne hoc quidem, & si non magnũ opus efficere potuerit, nisi commotum instructumq; fuisset amore illo, quem ostendi, ad te mitto princeps optime; & quia toto ani-

mo ſemper ducem noſtræ familiæ coluiſti: & pauperes eius ſodales liberalitate tua ſæpe ſubleuaſti, & mihi etiam ipſi, vt meos hos labores diuulgare poſſem, præſidio fuiſti; & demum quia dignus es multo maioribus poetarum & doctorum hominum muneribus, quæ illi paßim honeſtißimo tuo nomini iure optimo dicant, cum ipſis valde faueas & eorum ingenia ſtudiaq; omni ratione exornes. Vale. Florentia. Calendis Februarij. M. D. LXXI.

HORTATVR MVSAM AD CANENDVM DIVVM FRANCISCVM.

DIC Clio Ausonia nunc mea Barbito
Francisci teneros, auspice dic polo,
Vagitus, pueri dicq; binominis:
Pubentes genios, dic simul & viri
Aerumnasq; graues; cumq; laboribus
Deuictis, animos haud superabiles.
Nec tu dehinc sileas, quot sibi iunxerit
Heroas comites, quot pariter sacra
Tyronum cuneis castra repleuerit.
Tum cantes, socijs vt dederit pias
Legesq; & monitus; & noua cinxerit
Solers præsidijs castra potentibus.
Dic armis quibus, ò dic quibus hostium
Magnas sæpe acies contuderit modis:
Et telis quibus in prælia tendere;
Fortis Dux socios compulerit suos.
Dic ò tandem agè dic, alta Lauernæ amat
Dum solus nemora, atq; antra vigil fouet,
Noctes atq; dies, vt latus, vt pedes,
Vt palmas iaculis confoditur sacris.
Et iam sidereis prærutilans notis,
Vectusq; alituum quadriiugis deum,
Plantis stelliferis astra supermeat,
Mox & flammiferum scandit ouans polum.

EAN-

EANDEM FACIT VERECUNDAM

ORnari ne posce comas, habitumq; Subasi,
Non Parnassæi Musa colona iugi.
Imò agedum cœtus malè culta horresce disertos,
Et contenta legi, murmura plebis ama.
Hoc noua res monet, hoc cantatus præcipit Heros,
Fas probat & ratio, vitaq; poscit inops.

COSMO MEDICI MAGNO DUCI HETRURIAE.

HEus tu Musa animo (tibi seuerus
Importunus, & acer, improbusq;
Suasor nam modò visus) hîc monentem
Rursus me placido, ac libenter audi.
Appenninigena incitus fluentis
Arnus quà rapidis secat virentes
Campos, vir sedet inclytus potensq;.
Hunc cultus tibi nominis refulgens,
Et, quæ nescia martij furoris,
Hetruscas modò latius per oras,
Sedes florida gens tenet quietas;
Sceptri regia vis, sacriq; mores
Ostendent. Agè Musa non timebis
Nasum Rhinocerotis hoc patrono.
I, cunctarier, i, vetat serena
Pax vultus placidi: vidén' fauentis
Læta Principis ora? nil timendum,

Nil iam non aditum patentem ad altum
Recludit solium, nihil profectò
Non spondet veniam huberem futuram.
Et nunc quid dubitas tremens, quid hæres?
Iam iam cuncta fauent, simulq; rident.
Cuncta protinus annuunt cupitos
Successus: modò perge, quid moraris?
Totis aude animis: manum roganti
Extemplò dabit ille præpotentem.

AD PAVLVM MANVTIVM.

O Fama Ausoniæ decusq; linguæ
Disertissime Paule, & vndecunq;
Integræ specimen celebre vitæ;
Ecquid, dum monumenta raptus inter
Tulli magna tui vigil frequentes
Noctes conteris, aut graues Maronis
Perpendis numeros, senisq; Graij,
Aut dum Aristotelis strues resoluis
Implexas, latebrasq; perspicaci
Cæcas iudicio bonus recludis,
Diuiniq; adamans melos Platonis,
Mente sidereos petis recessus;
Hispellas tibi Maurus ille, Diui
Cantator pius, & cliens fidelis
Francisci, bone dic rogo Manuti,
Sedet iam tum animo, an procul recessit?
Et nostri te amor ortus vnà, & vnà

Occasu

Occasu inuido, & inuida solutus
Fortuna, leuis, irritusq;, & aura
Vanis lusibus incitus reliquit?
O' Vos ne date dij boni, piorum
Bonis cordibus hoc nefas potiri.
Est Manutius est pius, benignus,
Est comis, nec amantior bonorum,
Non insignior Vllus æquitatis
Humanæ studijs, piosq; mores
Nemo cultius hoc manu tuetur:
Seu mox contuleris simul recentes
Heroas, mage seu petas repostos
Porrò semideos, micantia æui
Felicis decora, & poli beatos
Iam tum municipesq; principesq;.
Tu Verò optime candide ac Venuste;
Sic quondam eloquij impetus suauis
Romani simul Atticiq; nunquam
Pectus deficiat tuum, nec almæ
Vnquam Castalios parare honores,
Vnquam cana tibi obligare laureis
Sertis tempora desinant Camœnæ;
Dic ò dic agè nunc rogo Manuti
Synceram sine labe Veritatem.
Quin & consilio grauis seuero,
Atq; acer monitis ades roganti.
Vidisti, & memor es, reor, camœna
Olim quàm tenui, malus poeta
Cantarim ipse meum patrem, beatum

Iam

Iam cæli indigetem, inclytumq́ ciuem.
Vidisti studiosius profectò,
Haud frontem caperatus, haud cachinnans,
Haud rugis tetricus rigente naso,
Sed sano placidoq́ & erudito
Actus iudicio: nouumq́ rerum
Desuetarum habitum, orsa, verba, nexus
Admirans animo stupensq́; scito
Inuentum ore pium ac recens, probasti.
Ergo (nam simul hinc & hinc amici
Instant mi stimulantq́ consuluntq́,
Edam protinus, ac sinam beatum
Iam tum Heroa legi) quid ipse censes?
Tu iam consule tu mihi ò diserte,
O' lux ò pater eruditionis,
Iuge ò mellifrui leporis huber:
Te quippe vnum ego consulo, tuiq́
En dumtaxat amo opto posco & oro
Planum iudicij mororq́ nutum.
Ne des nubiuagis mea inuidisq́
Vota inuoluier hæc notis, sed vltro
Nutanti ambiguóq; adesto amico
Felix ac bonus, & bonas feracis
Opes pectoris effer: insupérq;
Has nugas eme, garrulámq; musam,
Pannosámq; rudémq; putidámq;,
Non flauo precor ære: sed venusto
Pingues eloquio inuicem tabellas
Emptor tu modò prodigus repende.

Et

Et cano hic meus obstrepens olori,
Cantu raucisono lutosus anser,
Ad me fac redeat, tui leporis
Dulci nectare perlitus, reportet
Fac Cycnea mele, ac simul reuersus
Assultet mihi plausibus caneris.
O tu terq; quaterq; sic beabis
Fidum candidum amabilemq; amicum.
O hæc ut rogo Paule! da roganti
Da, te, siquid amarier vacabis
Posthac, semper amabo, & vsq; & vsq;.
Sed rursum patere, vnum ego exigam abs te;
Quippe hoc insuper opto perdoceri.
Tu doce modò (scis potes tuumq; est)
Est'ne incognita posse amare nobis
Condonatum? obiter datum profectò est,
Hoc, inquis. mihi amabitur diserti
Patris non minus ergo vera imago,
Aldus filius eruditus ardens
Grauis comis amabilis venustus.
At si dehinc oculis, simulq; amatis
Detur colloquijs eo potiri;
Nimirum ipsum ego; quàm parens tenellum
Vnicumq; amet ardeatq; natum;
Ardebo mage, perditeq; amabo.

AD EVNDEM.

O Casti nemoris cultor amabilis
Cœtus Thespiadum, ò fama & honor sacri.
Libethri: ò tu adeò Phœbe pater comis

Perfulgens

Perfulgens nitidis, & fide persona
Insignis: sed enim tu valida minax
Hasta, atq; ore potens & dominans graui
O Pallas modò dic, fata Manutium
Quid tum muta premunt? dicq; silentia
Desueta vnde viri? delituit lepor
Num fortè Ausonius, fluminaq; Attici
Num magna eloquij iam exitio data,
Et Cycnea Mele, & suauisonos modos
Iam mens dedidicit, iamq; situ obsita
Molli torpet iners, cumq; laboribus
Sacris, deseruit Castalios specus?
At si nec scelus hoc numina præcinunt,
Non astra insinuant, fatáue destinant;
Quid mi (porrò alios dapsilis & ferax
Ore vltro, & calamo lætificat graui)
Tantùm mutus iners asper & horridus,
Indignansq; adeò docta Manutius
Ora heu stipat? & ò Paule, tuis bonis,
Cùm ne hinc damna feras, me modò perfrui,
Quæ tanta inuidia est? haud dolus, haud scelus,
Haud meme vlla reum noxa agit. Et licet,
Et fas iusq; sinunt, sideráq; annuunt
Nimirum hoc mihi. Sed dic agè, non tua,
Sed communia, quid tu modò pertinax,
Immitisq; adeò parcis & occulis?
O iam Paule rogo, da data, da volens,
Da gratis, quod habes auspice tu deum
Nutu. At iam cupidum si lucra te iuuant;
Has nugas (grauia, aut æmula Mincio

Nequicquam

Nequicquam canimus, Smyrnea nec mea
Clio plectra mouet) nunc cape, neu rudem
Incultam atq; humilem putidam, & usibus
Frugi olim exiguis vix tibi, despice
Musam: quin potius tu bonus inuicem,
Non flaua æra mihi: sed, tibi quod leue
Nimirum ac facile est, Ausony rogo
Da tantùm eloquij suauisonum Melos.

AD LECTOREM POESIS

HEus tu, quicunq; es nostræ pia carmina Musæ
Lecturus, tetricæ frontis bonus excute rugas:
Pelle oculis liuorem atrũ, atq; inamabile virus
Inuidiæ dimitte animo: pius, integer, æquus,
Innocuusq́;, & sanctus ades: modulamine sancto
Sanctus enim modò sancta cano, purusq́; sacerdos
Primus ego aerei flaua sub rupe Subasi,
Sacrato enumero diuinos ore triumphos.
Nimirum agnosces, meme hic non turpe prophana
Obscœnumq́; lyra carmen deducere, circo
Dignandum incesto: sed enim decora alta, per annos
Iampridem exactos, plectro memorata priorum
Nullius vatum, musáue aut auspice Phœbo
Pertentata olim cuiquam; iam tum altius orsum
Pandere voce graui: & syncero euoluere cantu
Fata Subasæi cunásq; Herois & ortus,
Et pubem geniosq́; leues, & flebile funus:
Nec non quæ victor pugnarit bella, quibusq́;
Ritè triumphatum cumularit legibus orbem.
Hæc cano, per me aures hac Barbitos Ausonis implet
Armonia populi: tu ne caperatus, & acer
Censor ades: sed mitis ouans, hilarisq́; Camœnæ
Plaude vltro, & risu frons læta assultet amico

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIBER I.



ASTRICOMIS Heroa manus, thoraca, pedesq;
Vulneribus fossum, qui flaua è rupe Subasi,
Ore, tubaq; canens, mille indiga ad arma vocauit
Agmina, & ad vitæ melioris compulit vsum;
Mens canere ardet. Amor Diuum, leuis Aura canenti
Pande ortus, obitusq; viri, sauosq; labores:
Et quo quenque modo subijt, quibus obuius illis
Vltro ierit telis: qua spe discrimina tandem
Angusta intrepidus vitæ tentarit egenæ.
Tuq; idem alme Heros inopum dux inclyte; seu iam
Sanguineis ardentem astris, te sede corusca,
Flammantis regio cæli tenet ima; volucrum
Quà patris intenti iussis de more supremi,
Aurea tecta colunt cœtus, quot voluit arenas
Oceanus: pennis acti pernicibus omnes,
Omnes stelliferis euincti tempora sertis:
Siue tibi euecto patuit sublimior aula,
Bisseni Heroes, quà, terræ, erebiq; tyrannis
Deuictis, bissena altè statuere trophæa;
Da bonus auxilium, da me pater æquore vasto,
Currere iter cœptum, atq; audacem remige puppim

Allabi dextro, & portu se condere amato.
Postquam Rex superum, magni patris vna propago,
Aethere delapsus, latuit mortalis in aluo
Virginea, & primis vagitibus impulit auras
Vitales: dehinc vir, transuerso brachia ligno,
Atq; ambas fixus diuersa cuspide palmas,
Et malo ingenti corpus protentus, acerbam
Mortem obyt (scelus infandum) pro sontibus insons:
Vt pius antiquam labem, mortalibus ægris
Concretam ablueret: neu iam vltrà admissa prioris
Furta patris luerent morte exilióq; nepotes,
Sed tandem exempti vinclis & carcere cæco,
Aetheream læti ad sedem, & patria astra redirent;
Conueniunt simul Heroes, sub paupere tecto,
(Parua manus, neq; enim bissenis amplior) omnes,
Quos, dum nodosis circundant retibus vndas,
Captiuósq; trahunt scruposa ad littora pisces,
Rex pridem bonus ipse, opera ad maiora vocarat.
Tum læti eximio sortitus munere tanti,
Consilia inter se vario sermone volutant,
Quid faciant, quibus auspicys, quóue ordine cœptam
Instituant vitam, quibus ipsam legibus ornent,
Explorant, simul ambigua ac diuersa loquentes.
Præcipuè verò chari præcepta magistri
Multà, diuq; agitant, iterumq; iterumq; reuoluunt.
Quippe illum obseruant animis, ipsumq; verentur
Absentem: immani pridem quem funere raptum
Deflerant, viuumq; iterum quem tertia viuis,
Reddiderat croceo surgens Aurora cubili:

Quem

Quem sæpe æthereo fulgentem lumine & ipsi,
Os humerósq; deo similem inspexere pauentes:
Quin etiam coràm simul audiuere loquentem
Attoniti, nec iam dictis mortale sonantem.
At verò è numero tum visa auertitur vnus
Scrutariq́; audet manibus sacra vulnera, moxq́;
Vt tetigit, sensitq́; hominem, manifestaq́; veri
Vt Ducis emicuit facies, & nota per aures
Vox yt, increpitat: Deus ò Deus, ac simul ore
Incuruus prono exclamat, me me vt mea fallit
Mens læua, vtq́; animum diuersum agit auius error.
Et tamen ora modò defleti viua magistri
Nosco equidem, nosco diuini lumina vultus:
Et multà incusans scelus exhorresco prophanum.
Ergo vbi summa diu, ac multùm res acta per altos
Sermones; tandem Regis memorabile nomen
Constituunt latè magnum deferre per orbem:
Et canere ignotos populis, & pandere ritus.
Hæc, animis nunc has, nunc alternantibus illas,
Vna viris adeò potior sententia visa est.
Haud mora: se se operi ardentes, operisq́; labori
Accingunt: nec iam longo post tempore, magno
Orbe pererrato, nomen fulgebat amatum,
Perq́; vrbes, perq́; arua volans, perq́; atria regum.
Et iam flammifero vultu, rutilisq́; quadrigis,
Alternis varias lustrante Hyperione terras,
Plurima curriculis ierant felicibus acta
Secula: vitisator pacatis qualia regnis,
Haud dederat primis Saturnus gentibus olim:

Non Ianus pater occipitis, non lumine frontis
Viderat, horrisonas quanquam iam, cardine verso,
Bellorum portas, ferro grauibusq; catenis
Clauserat, iniectóq; in vincula sæua furore,
Insuper & vectes, æratáq; robora centum
Obdiderat, se se custodem liminis addens.
Interea gentes, solidis quas maxima latè
Fert humeris tellus, quasq; ambit gurgite Nereus
Fluctiuago, securæ adeò felicia quondam
Secula multa itidem, cursu ventura perenni,
Expectare audent: nec deteriora quietos
Gaudia concipiunt, spondéntq; futura per annos.
Nec verò in tantas frustra spes numina votis
Sancta accersissent, precibusq; ea munera caßis
Optassent: populos latè ni iam vndiq; Erinnys
Obsedisset atrox, perturbassetq; beatos.
O superum pietas, ò, cæca, atq; inscia rerum
Corda hominum sic prorsus hebent? sic fidimus vltro
Fortuitis? heu nos paßim mutabilis æui,
Sic infelices alterna eludit imago?
Ergo hic vna hominum facies, amor omnibus vnus
Relligionis erat: sanctósq; in pectore mores,
Cana fides, castusq; pudor seruare docebat
Puros tunc Mystas, per quos extrema recedens
Iustitia, & terras linquens, repetebat Olympum.
Aureáq; immiti cedebant secula ferro.
Heu nanq; immanis rex illætabilis Orci,
Antiquum exercens odium, inuidiæq; cruentis
Accensus stimulis, inuisum effundere in orbem,
Iam

Iam scelerum innumeras facies, & mittere sæuas
Ad superos pestes, Stygijs properabat ab oris.
Quæ lætas non antè auras, non sidera cæli
Lucida, non rutilam spectarant lampada Solis,
Vel cùm terrigenas manibus rescindere cælum
Aggressos Titanas, & impia bella minantes
Cælicolis, pater omnipotens, per nubila densa
Fulmine contorto, fumoq́ inuoluit & igni.
Iamq́ aderat funesta dies: qua dira cruentis
Tisiphone manibus, colloq́;, & crinibus atris
Stridentes implexa angues, facibusq́ coruscans
Fumiferis, erebi vasti illætabile regnum
Liquerat (insuetam requiem dux efferus Orci,
Et pœnas animæ sontum obstupuere remissas)
Monstrorumq́ ferox comitatus, & agmina diræ
Adsunt sæua duci: nam quicquid Tartarus ingens
Terrificum gignit, quicquid lugubre sub vndis
Luctificis Cocytus habet, iam luminis oras
Occupat, & latè æthereum simul inficit orbem.
Horrida Tisiphone signa exitialia dextra
Lethifera attollens, infert dux præuia sese,
Et monstra exacuens ciet, & furialia suadet
Hortatu ingenti scelera, atq; exaggerat iras.
Vltro adsunt animosæ acies, & dicta facessunt.
Iamq́ adeò latè obscura sub nocte per agros,
Perq́ vrbes paßim, per compita, perq; domorum
Tecta, insultantes feraliq́ ore gementes,
Terrorum facies uisæ, auditæq́ uolantum:
Scilicet hic fremitus imitantur voce ferarum

 Terribiles,

Terribiles, illic; immani corpore fœdas;
Quas olim, mundi uasta sub mole nocentis,
Primigenæ cælo eiecti duxere Volucres;
Ostentant formas, vulgò, & mortalibus ægris
Turbatas pauida mentes formidine quassant.
Nanq;, Vbi non turpes Sphynges? non Gorgones atræ
Improuisò astant? Vbi non Lernæa repentè
Sibilat Hydra, caput numeroso uertice tollens?
Emicat hic immanè fremens, ardensq; Chimæra:
Illic assurgit Vasti Cyclopis imago:
Hic canis ore triceps, illic dat Scylla biformis
Inguine latratus: tum vulgò horrentia monstra
Mille alia æthereas complent terroribus auras:
Et quæ, sæpe metus natis impunè parantes
Componunt matres obscœno corpore, seu quæ
Parietibus pictor, tabulis seu ponere sueuit.
Præterea, quibus ad fauces, atq; ostia mundi
Tartarei cecidit sorti custodia, pestes,
Luminis inuisi nitida regione potitæ,
Vnà omnes (scelus) Vnanimes peruadere gentes
Festinant, pariterq; obseruantißima recti
Corda hominum tacitè inuertunt, animisq; Venenum
Vipereum subdunt. Immanior omnibus, antè it
Præcipiti dux Vna alias impulsa furore,
Ceruicemq; tumens, irarumq; ignibus ardens.
Nempe hæc; cùm genitor superum Vix prima recentum
Molitus rerum, magniq; exordia mundi,
Astrigerum Valido firmasset cardine cælum,
Affigens rutilos septenis orbibus ignes,
Cuiq;

Cuiq; suum : cùm vix terram librasset, & vndas,
Atq; ignem, & liquidum circùm fudisset inane;
Agmina cælicolum ter trina, recénsq; creatum
Alituum vulgus, mentes sine corporis vsu,
Aggressa, imperio Regis desciscere ab alto
Impulit ætherei, & cælum quatere omne tumultu,
Fraternisq; armis. Ah gens malè suasa, Triones
Quid super Arctoos, animis molire triumphos?
Quid struis inuitis sedes super ardua fatis?
Et nunc ergo acies pariter collecta sororum
Ponè subit: bacchans & scintillantibus ardens
Ira oculis it prima duci comes addita magnæ,
Qui cum, diuersis manibus discordia binos
Attollens gladios, partitur læta labores.
Tum verò ambabus regnandi insana cupido,
Hortatrix scelerum pollens, & saga malorum,
Sese vltro agglomerat, sæuósq; adiungit in vsus,
Nequicquam torpens, nequicquam ignara nocendi.
Gliscit vbiq; fames auri, & noua semper hiatus
Pandit inexpletos, opibusq; ardentior auctis
Vsq; subit: fraus insidijs intenta prophanis,
Acta volat blandis, & versicoloribus alis,
Nec verò inuidiæ tristis vestigia linquit,
Quin vltro obseruans, notæ famulatur amicæ.
En agedum iam luxus iners: & cordibus imis,
Quem subdit fœda, atque animis venus implicat, ignis,
Quæ non damna ferunt, quæ non mortalibus ægris
Exitia intentant? hominum præcordia circum
Hinc vis nimirum torpet, frigescit, hebétq;

Sanguinis obtusi: hinc sese alta ignauia tollens,
Obruit & mentes, animósq; oblimat inertes:
Nec simul hospitijs virtus stabulare sub ijsdem
Fas habet: at mærens longinquis exulat oris.
Tum malè suada fames, simul & deformis egestas,
Infelix, partuq; vno, ac genere edita eodem
Progenies, gemitusq; graues, lamentáq; fundunt
Grandia, res duras exosæ, acrésq; labores.
Talis erat mundi species, his concita laruis,
Hac lue pallescens, hac tabida peste cubabat,
Infelixq; obducta atro lugebat amictu.
Sicut; vbi imprudens ardentem murice pallam
Sidonio, pingui virgo respersit oliuo;
Tundit crebrà dolens formosis pectora palmis.
Vt ve furens animi genitrix, affusa cruentis
Vulneribus nati gemit, ac bella impia, & hostes
Deuouet, incusatq; immanis sceptra tyranni:
At postquam auricomum Titan ferrugine vultum
Obsitus, auctoris rerum, diuumq; parentis
Crudelem interitum lachrymis deflèuit amaris;
Bis centum, ac denis quater actis ordine lustris,
Omnipotens pater, humanæ miseratus iniquum
Excidium gentis, rebus dedit, æthere ab alto
Auxilium fractis, & finem luctibus atris.
Interea nanque indigetes decora addita cælo,
Iam scelerum exosi, detestatiq; malorum
Monstrificas facies, pacem mortalibus ægris
Sæpe Deum orarant patrem de more supremum.
Nec minus, astriferi summo de vertice Olympi,
Alituum

Alituum speculatæ acies, quæ funera terris,
Quas hominum clades, stygis exitialia vulgò
Monstra darent; tristes spectarant sæpius antè:
Sæpius & magno hæc conquestæ ritè parenti
Ediderant. O tandem imas pater aspice terras
Lugentes: ò sæuus ades iam criminis vltor:
Tótque ò iam prohibe occasus, tot comprime mortes
Terrigenum, tótq; indignas auerte ruinas.
At si parcis adhuc iræ, & tua dextera nondum
Constituit diros moliri fulminis ignes:
Viribus ò saltem iam nunc pater annue nostris:
Et mox omnis ouans volucrum gens ibit Olympo
Par nimbo effusa, & terris lato agmine cunctis
Vi multa incumbens, aggressáq; turbine vasto;
Quæ mare nunc, terrásq; imas, & inane profundum
Permiscent furijs; quamprimùm immania bello
Contundat monstra, atq; erebi deuoluat in imum.
Talibus aligeri cœtus iam sæpe querelis,
Astiterant patris magni solia aurea circum:
Cùm tandem ductor performidabilis hasta,
Aegidéq; insignis, custósq; & gloria sacri
Splendida Gargani; mœrens acríq; dolore
Saucius intumuit, castásq; exarsit in iras:
Térq; caput nitidum stellanti vertice quassans,
His comitum cuneos affatur vocibus vltro.
Cernitis ò ciues (quid enim vsquam lumina cæli
Aurea suffugiat?) monstra infelicis auerni
Perpetuis accensa odijs, ardentiáq; atris
Ignibus antiquæ inuidiæ; quo dira tumultu

Bella ciant superis: memori quàm pectore condant
Fulmina adhuc, sæuósq; ignes, quibus æthere ab alto
Exturbata olim per inania cæca ruinas
Traxere immanes: sed needum sedibus altis
Progenies ascita poli, gentésq; relatæ
Terrigenum astra super, tot iam labentibus annis,
Excidere infandis animis potuere: sed altè
Cordibus inuisum genus actum immitibus hæret.
Imò & gens hominum postquam donata supremo
Aethere, nobiscum cæli regione potita est;
Protinus irarum, cæciq; furoris habenas
Effudere omnes: totiusq; agmina gentis
Tartareæ, ex illo sine more, sine ordine clangens
Tisiphone ad superas dux effera compulit auras.
Tanta, hominum stirpem cæli conscendere sedes,
Turpibus inuidia est animis, furijsq; cruentis.
Et tamen ò socij tantis in rebus inertes
Nos torpemus adhuc? nos & iuuat vsq; nocentum
Iam tempestiuas pœnas differre? quid vltrà
Cessat in auxilium sopita potentia cæli?
Quid tot cognatæ segnes modò funera gentis
Spectamus? quid tot cædes, gemitusq; cadentum
Securi audimus, sæuáq; in morte relictos
Despicimus nostros ciues, comitésq; futuros?
Nec contrà pudet informes spectare triumphos:
Et quæ Tisiphone dux sæua (ah dedecus ingens)
Orbe sub obscuro furtim spolia aurea condit?
Imò agite, vlla pijs siquando audacia factis,
Ite modò, hic animis, opibusq;, manuq; petenda est.

An non aligeros nobiscum ætate recentes,
Hic quondam, cùm vix primæuo lumine pasti,
Incestare polum auderent ciuilibus armis,
Contudimus? pugnæq; acris certamine fusos,
(Desuper irato patre exturbante, corusco
Fulmine) dispulimus, cacóq; inuoluimus Orco?
At nunc non ne animos antiquo in robore perstans
Cælestes agitat virtus? aut non amor idem
Corda habet? est pudor, est nunc mens, est illa profecto
Viuida lux mentis: suáq; est non torpida dextra,
Non effœta annis vis, non defessa labore.
Faxo hodie (noster modò Rex non abnuat) hostes
Nequà animos posthac valeant impunè superbos
Tollere, nequà hominum placidam turbare quietem,
Aut vltrà æthereas miscere furoribus auras.
Scilicet ignaui vacuiq; sedebimus ipsi,
Vltro expectantes, orbis dum fœda nocentis
Monstra, hominum mortale genus simul omne ruinis
Inuoluant; rursumq; polos, & sidera tentent?
Dixit, & vltorem mox se se iurat amati
Per iuga Gargani, per, quod super insidet illi,
Templum augustum, ingens, argento diues, & auro.
Tum celer (aligeriq; vnà comitantur euntem
Innumeri) æthereo Regiq;, Hominiq;, Deoq;
Sistitur, & tales effundit pectore questus.
Rex diuum, proles vna, atq; æquæua parentis:
Nos, tua gens; postquam generis pars maxima nostri,
Indiga consilij, & cæci ducis arma sequuta,
Sedibus his deiecta, imis se condidit vmbris;

Vidimus infandos obitus, indignáq; primi
Funera terrigenæ: sortémq; cadentis amici
Pertulimus tristes, & deplorauimus vltro.
Hunc tu Rex olim miserans à morte receptum,
Morte obita reuehis nobis, cælóq; reponis.
Ecce autem nunc rursus hiant læta ora barathri
Horrifici, rursumq́; humano sanguine inundant
Tartareæ fauces, & limina fœda rubescunt.
Nimirum hi luctus, hæc sunt quæ sæpe canebas
Bella olim ò bone Rex nobis ventura: sed ò iam
Non ne idem Italiæ monstrabas sæpius oram
In medio, glebæ lætam hubere: Tybris amœno
Amne secat quà pingue solum, lenisq́; Subasi
Quà latera excelsi læuo ferit ardua cornu?
Hinc erebi excidio regnis narrare solebas
Venturum Heroem, duce quo gens aurea mundo
Surgeret informi, scelerum vestigia terris
Quæ mox pulsa ageret totis, virtute relata:
Cui nec quærere opes, partis nec parcere curæ,
Nec tecta alta foret struere, aut iuga nectere tauris:
Horrida sed cultu, pallénsq; atq; aspera victu
Exiguo; populos, spernacia corda salutis,
Moribus instrueret sanctis, & ad astra vocaret.
At neq; (tanta ierint cùm iam labentibus annis
Secula.) adhuc vllus virtutum limina pandit.
Cælicolis nondum meriti instaurantur honores.
Obsitæ adhuc squalent sine thure, sine ignibus aræ.
O' tandem Rex mitte ducem, descendat in ima,
Oramus, noxæ immunis, sancta, inscia culpæ

Iam promissa anima, & terrenos induat artus.
Nos verò en Stygijs (tu Rex bonus annue) monstris,
Inuictisq; animis, validisq; occurrimus armis.
Hæc ductor. simul interea gens tota volucrum
Ore fremit circùm. Tum Rex, qua sidera mulcet,
Qua ventos frangit, tumidos premit æquoris æstus,
Voce infit: silet æterni domus omnis Olympi.
Dicite (quandoquidem audetis tentare reposta,
Alta exorsa mouens, effabor) dicite vestrum
Ecquis erit, surgentum ignes, iterumq; cadentum
Astrorum qui nosse queat? cæliq; meantis
Ritè vias, animóq; leues comprendere cursus?
Et qui nube caua gelidos suspendere rores,
Rursus & occiduis terras perfundere hiulcas
Imbribus eualeat? vos ne æquoris obijce fluctus,
Et tumidas cohibetis aquas, & frangitis iras?
Num vos mole graui fixam librastis inani
Tellurem in medio: & longos iunxistis in annos,
Fœdere concordi pugnantia semina mundi?
Et nunc ergo adeò vestris quid tanta recursat
Cura animis? famulare genus, patris abdita magni
Consilia, & nutus arcanæ discere mentis
Fas habeat? summum ne etiam exoptabit honorem?
Desinite hic moniti: vetitumq; procacibus ausis
Aggressi posthac quicquam tentare cauete.
Imò agite, hanc animis, quæ vos nunc acrius vrget,
Exuite omnino curam, & secludite læti.
Non adeò patris (neque enim id vos credere fas est)
Confractæ vires, non tarda potentia longis

Non effœta annis, sera aut quassante senecta,
Occidit: ipse æuo non exuperabilis vllo.
Cùm iam tempus erit, cùm iam sententia magno
Certa animo stabit; luctantem atrumq́; gementem
Auxilio attollet mundum: quæq́; ætheris auras
Nunc latas erebo immiscent, fera monstra, profundo;
Fulmineo (si tanta vocet res) turbine, dextram
Iratam attollens, stygias deuoluet in vndas.
Quippe & cùm ruerent in primos cæca furores
Hic quondam, & totas bello turbare choreas
Auderent (vidistis enim, & certamine magno
Vos insurrextis tum contrà) experta potentis
Fumea tela manus; per inane ruentia magnum,
Et fremuere atrùm, & gemitu increpuere prophano.
Sed quid ego hæc tantis? aut quid vos demoror vltrà?
O bona gens, ne vota quidem datis irrita ventis,
Ne patris surdas clamor questusq́; per aures
Vester iit: tantis precibus iam tum ille benignus
Annuit ore pio: lucis spirabilis Heros,
Monstratum quem sæpe meó didicistis ab ore,
Auram hausit. genitrix ortum quem nomine primùm
Dixit Ioannem: sed mox cunabula linquens
Maternum amisit, Galláq; è gente petitum,
Patre iubente, nouum, nostro sed numine agente,
Accepit nomen, Latiæq́; vocabula genti
Externa adiungens, Franciscus deinde vocari
Maluit, atq; hæres donis gaudere paternis.
Et nunc imbellis patria se continet aula
Ignotus fama: tamen & puerilibus vltro

Sese

Se se animis infert, noménq; affectat inane.
Mox verò indignans, fatis melioribus, illud
Auertetur iaem, & famæ crepitantibus auris
Insultabit atrox, iratóq; ore refellet.
Illa magis contrà insurgens, centumq́ resoluens
Ora, mouens centum linguas; obnixa per orbem
Multà recusantem, volitans rumore secundo,
Heroem, Heroisq́ feret facta inclyta cantu.
Ergo vtcunq;, puer tenero sub pectore versat
Nil modò non ingens, nil non spectabile, & altum.
At vir deinde grauis (diuino hic acrius igne
Ardebitq́ animus, pura & mens luce nitescet)
Altius insurgens, & iam virtutis alumnus
Durus, ad arma ferox, & formidabilis Orco;
Inuadet meliora, Deo meliore monente.
Principiò monstris, regiq́ immanis auerni,
Perpetuum indicet bellum: mox ardua tollens
Signa manu, resides populos noua ad arma vocabit.
Nec mora, continuò gentes, quà nubilus auster,
Quà boreas perflat, primo quà surgit ab ortu
Phœbus, & Hesperijs pronus quà mergitur vndis
Insurgent, fortésq; animis, & viribus acres
Vltro acies Itali ducis ad castra indiga mittent.
Quas ille excipiet lætus, vultuq́ sereno.
Tum placidus, monitis noua corda, animósq; recentes
Componet; moréśq; dabit, legésq; seueras:
Esse acrem vitam, durósq; instare labores,
Et bella immani cum gente horrenda monebit.
Hunc tandem (accipite hoc postremum, animisq́ tenete)

Post

Post cædes erebi, deuictáq; bella tyranni
Tartarei; radijs fessos cælestibus artus
Insignem, egregiáq; haudquicquam laudis egentem,
Sublimem læti nostro accipietis Olympo.
Rex ore hæc: nutúq; fauens simul orsa sequutus:
Sidera quo micuere: atq; aurea culmina, cæli
Sublimes arces acclinauere trementes.
Ceu; pubes obsessa, altis è mœnibus, hostes
Si fortè irrumpat: spolijsq; & cæde potita
Victricem sese referat; mox omnia clamor
Implet lætitia plausúq;, & sidera cæli
Pulsat ouans: meritis cumulantur honoribus aræ:
Sic Volucres, magni circum solia aurea Regis
Affusi, choreásq; leues, flexusq; sequaces
Ducunt extemplò: genibus tum pectora curuis
Demissi acclinant: & læti numen adorant.
Interea assistunt delecti, carmine laudes
Qui claras resonent, atq; immortalia summi
Regis facta canant: Vt primùm iussa parentis
Magna sequens, Vltro è summis descenderit astris,
Et castæ intrarit sacrum penetrale puellæ,
Vt clausus decimi norit fastidia mensis,
Victusq;, aluiq;, Vt prærepta incommoda lucis
Dura, luens cæcis hominum mala crimina pœnis,
Pertulerit. Tu bellipotens Rex, Vna propago
Aequæuo genitore sata, atq; è numine numen.
Victor iò, colubri immanis tria prælia calcas:
Ipsumq; esuriens trino tu confodis anguem
Oraclo: tu balantes sub tecta reducis,

Pastórq;

Paſtórq; & cuſtos vigil agnos: ora luporum
Tu valida cohibes dextra: non vlla trementem
Te facies vnquam, ſeries ue horrenda laborum
Ambiguum vidit: non terruit igne coruſcans
Nocturno furibunda cohors: quin (prodiga magnæ
Ah virtus animæ) tu mactatoribus vltro
Te prodis, ſeruásq; tuos à cæde clientes.
Tu præcelſum onerans ſuſpenſo corpore malum,
Tranſuerſum paßis robur metire lacertis.
Nec tu adeò noſtræ caſus Rex gentis inultos
Deſeris, æthereæ ſed, te inſtaurante, refectis
Ordinibus, choreæ fulgent: quin optime rerum
O' fictor, patre æterno mandante, creatus
Per te homo, res alias præſtans, operumq́ tuorum
Poſtremus labor: auricomi cuſtodia luci
Quem penes olim eſſet: magnum qui protinus orbem
Regnandum acciperet: pecudumq́ immane ferarum,
Pictarumq́ genus volucrum, & quæ mõſtra ſub vndis,
Tam varijs gignunt formis vada cærula Nerei,
Imperio premeret: ſolertiq́ omnibus vſus
Ingenio rebus prudens indiceret aptos.
Qui noſtris tandem cuneis aſcitus, biantes
Sarciret plagas, & dißita cogeret aſtra.
Salue operum ò tantorum opifex, ſalue auctor, & idem
Seruator noſtri: ſalue, atque ades optime nobis
Tu felix: placidusq́ foue, & rege numine fauſto:
Dexter ades terris: mortalémq; aſpice gentem:
Da premere hanc pedibus fulgentia ſidera, lætos
Da ſimul exercere choros, & dicere laudes

Nobiscum, mortisq; tuæ cantare triumphos.
Talia dant cœtus stellata per atria lætis
Vocibus aligeri: & latè subsultat Olympus.
Franciscus puer interea; quanquam ordine curas
Confuso haud viles imo sub pectore versat,
Mensq; ardens opera alta ciet; non protinus omnem
Et vulgi plausum, & popularem auertitur auram.
Blanda voluptatis sedenim malè prouidus vltro
Hortamenta sequens, animum iuuenilibus actis
Implicat: atq; æui florem, primámq; iuuentam,
Delicijs epulisq; terit, mollitq; profusis.
Ergo iam lucris patriæ desuetus artis
Paulatim incumbit, miro pellacis amore
Raptatus genij, ac dehinc haud iam parcit auitis
Quicquam opibus: mensæ geniali more paratæ
Diripiunt illinc, crebra hinc spectacula lychnis
Edita nocturnis (genitor tractabilis vltro
Munifico indulget puero) simul omnibus ille
Largus; præcipuè miseros attollit egenos.
Quippe animo dudum, primis surgentis ab annis,
Sederat ingenium mite, ac pacata voluptas,
Qua monstrante, inopis didicit miserescere turbæ.
Hos inter genios, hæc inter gaudia, soles
Lætus agit festos puer, olim quæ sibi parcæ
Fata trahant ignarus adhuc. At pestis auerni,
Effera Tisiphone; toto gens aurea mundo,
Quo tandem; auxilio certo mortalibus ægris,
Terroriq; Orco simul excidióq; futura;
Exurgat; tempus iam contemplata propinquum;
Infremit

Infremit ore atro: & crudelibus excita curis,
Multa cauet, metuitq́; erebo: ducis ardua signa
Horret venturi, populaturiq́; profundos
Continuò manes, inferniq́; atria ditis.
Tum verò exardens, toruisq́; irata Cerastis;
Vertice dependent quicunq; ante ora, vel armis
Incumbunt, spirisq́; obeunt colla atra retortis;
Méne, inquit, reginam erebi, mundiq́; nocentis,
(Heu quis iam cæli sceptrum inuidet? ire per astra
Quis vetat, & superum regnum incestare quietum?)
Quod vici, edomui, quod iam mea sub iuga misi,
Incessit mortale genus? mea tela rebellis
Temnit homo, ridétq; faces? iterum astra, secundo,
Contemptórq; mei, & diri securus auerni,
Hospita regressu tentat? (prô dedecus) olim
Gens ne etiam prouisa mihi, stygijsq́; futura
Excidio regnis, tandem sub luminis oras
Præmisit ventura ducem? modò crimina per tot,
Et scelerum facies, manuum acta infanda mearum,
Ille viam inuenit? sed non ego victa quiescam,
Non cœpta obrumpam: non arua Subasidis oræ
Pace frui dabitur: stat nunc quassare tumultu
Agrestes subito: & sæuo fodere oppida bello.
Nunc nũc quid fax hæc valeat, quid dextra, quid hydri,
Dux ille addiscat: cadat atro vulnere faxo.

Hos fremitus eiet ore, insanáq; corde sub imo
Versat consilia, & centenas suscitat artes:
Excidium stygijs quò magnum auertat ab oris:
Ductorémq; pium extinguat cum gente futura.

 Confieri

Confieri posse hoc tandem res ordine visa est.
Extemplò informes erebi, noctisq; colonos,
Quiq; altos carpunt magnum per inane volatus,
Quiq; & terrarum, & ponti lata æquora turbant,
Auctores scelerum, intenta sibi voce vocatos
Sistit, & increpitans sic est aggressa trementes.
Ecquis desidiæ vestræ modus? ecquid inertes
Deseruit vis atra animos, ignauáq; virus
Pectora? cur angues per lurida colla retorti
Iam placidi mitésq; iacent? solertia praui
Ingenij quò dira abijt? sæuæq; nocendi
Mille artes, quas primæuis didicistis ab annis?
Hoc certare modo, vestri sic damna paratis
Vlcisci generis? tantiq; iniuria vobis
Penditur exilij, & prærepti gaudia cæli?
An ne etiam; quibus eiecti cecidistis ab oris,
Cùm vos fulmineo perflatos turbine, ab astris
Expulit, & loca senta situ, atq; horrenda subire,
Astrigeri iußit Rex impacatus Olympi;
Immemores estis? stirps heu per secula nulla
Non inuisa mihi; gemmata sedilia cæli,
Tradita principiò vobis, sed rapta repentè,
Scandet ouans? ergo infensus dux indiga tandem
Coget ad arma acies hominum, cæloq; vocabit?
Haud ita. Plura loqui vetat ira. Inde alta cruentum
Confectura nefas, nigris sese excitat alis,
Aereo tendens iter exitiale volatu.
Ceu; dum scintillam sub noctem fessus arator
Fomite suscepit, stipulæq; admouit aceruo;
Flamma

Flamma repentè salit, debacchaturq́; per auras
Vulcani crepitans furor, & globus emicat ardens:
Sic corda exciuit Dea fœda furoribus atris
Monstrorum atq; animos acuit. Tunc omnibus vnà
Antiquis fœcunda odijs, concussa resurgunt
Pectora: & irriguum nota in præcordia virus
Mox redit: attollunt sese nigrantibus alis,
Tartarei volucres: diuersiq́;, agmine facto,
Diuersas magni cursu populantur inanis,
Quisq; suam, partes: numero, quot vere tepenti,
Per sudum glomerantur apes, vbi cedere auita
Sede, nouas gentes breuis vrget regia tecti,
Ignotásq; domos, atq; extera quærere regna.
Dumq́; illi infandos mores, ritusq́; prophanos
Cordibus insinuant hominum, cæcósq; venenis
Tartareis vitiant animos: crudelis Erinnys
Alta secat nubes: nec dehinc mora, Tybris amœno
Quæ scindit fluuio, pulchérq; Subasus opacat,
Dentibus infrendens, lætis superastitit aruis.
Scilicet hic gentes placida sub pace quietas
Viderat, & populos mites colere oppida circùm
Imperijs assueta pijs, & legibus æquis.
Viderat agrestes rastróq; & vomere adunco,
Vertere pingue solum, festósq; è nomine diuum
Sæpe agitare dies, & pendere munera templis,
Vltro primitias Bacchi, Cererisq́; quotannis.
Hic magis insanas subitásq; exarsit in iras:
Anguiferumq́; caput quassat: ceruicibus altis
Quo motu sese toruæ erexere colubri:

Et linguis sonuere atrùm, & micuere trisulcis.
Saeua dehinc rabido sic ore. Haec ne effugit ergo
Tartareas regio vna faces? stygijq; veneni
Haec immunis adhuc? ò vasta potentia dextra
O' virtus vbi dira mea? cessere furores?
Ira, odiumq; iacent? agedum mihi caetera nusquam
Bella fremant; toto nullos miscere tumultus
Orbe iuuat: vires sedenim hic, quascunq; ministrat
Ingenium crudele mihi, stat fundere gentis
Huius in occasum, tortósq; absumere crines.
Nec prius absistam, aut ira exaturata quiescet;
Quàm caede inuisus ductor lacer occubet atra.
Talibus infremuit. Tum, ceu lupa, ventris acerbat
Quam rabies, caulam si fortè irrumpat, in agnis
Prima caede famem sedat: mox corpore praestans
Si morsus aries fugiens, euaserit, & iam
Arua tenet cursu; furit illa, ac protinus vnum
Illum hiat: insequiturq; vnum, & rabido ore lacessit;
Sic monstrum infelix erebi, stridentibus alis
Gorgoneis, campis turrita sistitur vrbis.
Inde opportunum speculata modumq;, locumq;,
Quò gentes odijs perfundat, finibus illis,
Insaniq; animos accendat martis amore,
Aggreditur furibunda nefas: nec spargit inanes
Principiò causas belli, expertesue cruoris.
Fortè etenim è populis geminis, quos, monte sub alto
Hinc alit Assisium, Perusina vrbs educat illinc,
Quósq; amnis media arua secans, Tyberinus amoeno
Dispescit fluuio, & piscoso diuidit alueo,

Lecta simul manus agrestum conuenerat ingens,
Gramineum in pratum, viridans quod Tybridis humor
Efficit, & longi curuaminis vndiq; circum
Vmbrifico obtentu densissima populus ambit.
Hic verò exurgens è plebe Macherius omni,
Edidit excelsis quem corpore turribus æquum,
Vberibusq; aluit bisquinq; Subasia tellus,
Constitit in medio confidentissimus vnus:
Atq; vltro his pubem turrita ex vrbe profectam
Incessit dictis. Vestri heus erit agminis ecquis
Mecum hodie, quem fortè adigat concurrere virtus
Viña sedens animo, & robur tentare palæstra?
Tantum effatus: & extemplò simul omnibus ima
Ossa per, horror ijt: defixiq; ora tenentes,
Corporis immanem molem, & Cyclopea membra
Mirantur: frustráq; diu par quæritur illi.
Vix tandem socium crebris hortatibus actus,
Ausus obire grauis pugnæ discrimina Barcon,
Barcon populeis vmbratus tempora sertis
Hispida, ab Herculea solitus remeare palæstra.
Imò hic (visa etenim non iam certaminis æqua
Sors tanti) infractus trepida formidine nutat.
At subijt mox laudis amor, turpisq; recessit
Corde metus: tunc horrentem reiecit amictum
Ex humeris: aperit grauia ossa, torosáq; nodis
Brachia callosis, hirsutáq; pectora nudat,
Corpore in exiguo, & medium prorumpit in agmen
Hostis: eum indignans ridénsq; Subasius vltor,
Strymonias, ait, I, pygmæe lacesse volucres.

At breuis exarsit tumidas luctator in iras:
Nec certat dictis: tantùm; dimissus arena
Ceu canis in media toruum petit ore iuuencum,
Assultusq; leuis cautos molitur ab armo:
Donec ab admorsa rictu dependeat aure;
Conjcitur, lateriq; cauo sese implicat hostis.
Immiscétq; manus modò crura, modò inguina circum,
Iliáq;: & nexus modò colla in celsa minatus
Assultat leuis, at nimia breuitate lacerti
Frustrati, mollésq; fluunt, laxiq; residunt.
Contrà ille immotus vi stat grauitatis, & hæret,
Non secus alpino quàm robur vertice fixum.
Ludicræq; animo indignans certamina pugnæ,
Cunctatur magnas vires effundere in auras.
At postquam piguit tandem, puduitq; iocari,
Accensusq; furor, tumidusq; incanduit atro
Felle animus; tum deiecto cum pondere supra
Accuruans humeros sese Barcontis, vtrunq;
Corripuit femur, & pronum deuoluere tentat
In caput, & cælo sublatas vertere plantas.
Ille minor quò mole subest, hòc acrior astu
Contendit: pedibusq; pedes, crus tortile suris
Dat circùm insertans, immaniáq; ossa reuincit
Nexibus: vt pinus edera altæ robora cingit.
Poplitibus tum calce instat, flexusq; repandos
Molitur genibus: cedunt ossa aspera crurum,
Vt pelagi rupes circumlatrantibus vndis.
Iámq; oneri elapsus vinclisq;, huc acer, & illuc
Insultat pede mobilior: nunc terga lacessit,

Nunc

Nunc latus: & volucri circùm velocius aura
Pes volat, amplexumq́; hostis celer effugit arctum.
Non tulit vltrà Heros (pudor, ira, & conscia virtus
Exagitant animos) extemplóq; arte fugaci
Ludentem rapit, atq; in nodum amplectitur angens,
Elisiq́; vias pulmonis stipat anhelas:
Quàm facilè, aut leporem, candentem aut corpore cygnū,
Fuluus ad astra volans, vncis rapit vnguibus ales:
Terrigenam ue Libyn ceu, matris fraude reperta,
Sustulit Alcides, animámq; elisit hiantis.
At socium turbata manus, concussáq; durum
Indignans animis casum morientis amici,
Vnà omnis fremit auxilium, & succurrere gliscit.
Germanus clamat Nileus prior, ò bona pubes,
Arma, citi date tela manu, defendite nomen
O' socij patriæq́; decus: simul arripit ipse
Pastorale veru: ruit inconsulta subinde
Turba omnis comitum, raptisq́; sine ordine telis
Heroa inuadunt: Glomerata Subasia pubes,
Quos contra, auxilio valido tibi sæue Macheri,
Correptis (quæ cuiq; aderant) agrestibus armis,
Procurrit, structámq; aciem non segnior offert.
Ergo acrem immiscent pugnam: media ardet Erinnys,
Attollitq́; facem gaudens, animisq́; furores
Aggerat insanos: resonat clamoribus æther.
Rara acies ferri visa est effulgere: quernis
It verubus res dira: minax hic robore nodis
Præduris grandido, stirpe hic, furit ille securi.
Ictibus ossa crepant: resonat quassata per armos

Crebra

Crebra sudes: gliscit mars impacatus, agrestum
In morem: Nileus auctor suasorq; tumultus,
Vt præceps animi, telo vt præcurreret hostem
Primus in aduersum, primus cadit ictus obusta
Cuspide, quà supra extremus sedet ilia thorax.
Sternuntur Lilus pariter Sandérq; gemelli,
Accola Tibri pater tuus hic, rurisq; colonus
Diuitis aßiduus, laris & moderator auiti.
Ille animis ac mente acer, sacrata Mineruæ
Mœnia turritæ pridem conscenderat vrbis,
Raptus amicitia musarum, & Palladis arte.
At verò tum fortè dies de more penates
Festus ad antiquos lætum reuocauerat illum.
Infelix puer, insuetis dum se implicat armis
Occidit, immani deiectus vulnere clauæ,
Puluereóq; cadens deturpat sanguine crines.
Prô dolor, erepto, quantum instar perdis, alumno
Cecropi diua tuo: sacer vt Permessus, & alma
Te puer, Aonides, simul vt te Lydius amnis,
Naiades vt vitrei Thrasimeni in littore flerunt.
Nec minus interea crudeli hinc inde frequentes
Occumbunt fato, multos fera vulnera tardant.
Dum verò agrestes insano Marte furentes,
Decernunt campo: séq; atra cæde vicißim
Deijciunt: belli causas sparsisse potentes
Tisiphone gaudens, altè victricibus alis
Attollit sese: móxq; vrbem ascendit Hetruscam,
Ipsa auctor diræ, atq; eadem fera nuntia pugnæ.
Nec mora, terrifico primùm ardua mœnia circum,

Bacchatur

Bacchatur stridore vlulans: tum celsa domorum
Conscendit tecta, atq; è summis turribus, atro
Sic, vocem intendens, gemit ore: I, vise cruentam
Agrestum ò pubes stragem Perusina tuorum.
Exin stridentes, qui stant pro crine, colubros
Vertice gorgoneo, manibus detondet aduncis,
Pérq; vias passim, per compita lata, domósq;
Spargit: & aerio mox insessura Subaso
Auolat, anguicomis excindens nubila pennis.
Extemplo attoniti gelida formidine ciues,
Contremuere animis: nec dehinc mora, nuntia diri
Fama mali, totam veris rumoribus implet
Vrbem; improuisóq; astat lacerum agmen agrestum:
Imploratq; patres, obtestaturq; senatum.
Tum verò iuuenum furor, atq; insania vulgi
Arma fremunt simul arma: frementibus ira ministrat.
Hic rapit, ille ruens poscit, data suscipit ille.
Idem omnes simul vrget amor, simul impetus idem.
Ire volunt, igni ferroq; Subasida gentem
Perdere constituunt, & ponere mœnia flammis
Aequa solo, totámq; euertere funditus vrbem.
Parte alia proceresq; graues, patresq; seueri,
Flagrantes irarum æstus, animosq; feroces
Emollire parant: tantoq; impensius instant
Consilijs, iuuenum quantò furor acrius ardet.
Et tamen indomitos, vndantesq; agmine denso
Vix retinent muris, portarumq; obyce frangunt.

FRAN-

FRANCISCI MAVRI
HISPELLATIS
MINORIDAE
FRANCISCIADOS. LIBER II.

HOs, iræ impatiens, fremitus perusina iuuentus
Dum ciet, & tristi fora, compita, templa tumultu
Miscet; ab aduerso virgo sata nocte Subaso,
Terrificos dat voce sonos: canit horrida Martis
Prælia sanguinei, dirumq; Subasidis oræ
Excidium: & fœdas strages, atq; atra minatur
Funera: succussus nutat pater ipse Subasus,
Attonitusq; minis diræ, cum pondere vasto
Intremit, acclinátq; apicem: simul alta trementi
Circunquassa patri responsant auia questu
Luctisono: & raucis mugitibus herbida complent
Pascua, balatu pecudum assultare frequenti
Assueta, & querulis paßim resonare cicutis,
Pastorumq; leues musas audire loquentum,
Seu dum læta canunt, seu dum certamina miscent
Rustica, & alterna modulantur lite Camœnæ.
Hinc duri, subigunt qui proxima rura, coloni,
Perculsi insueto portentificóq; tumultu
Horrescunt, trepidant, domibusq; satisq; ruinas
Continuò expectant: placanda hinc numina donis

Supplicibus

Supplicibus clamant: cumulanda altaria sacris
Frugibus, & notos superos in vota vocandos.
Nec minus insuetis stridoribus oppida ciues
Qui circùm alta colunt, tremefactis mentibus hærent,
Ignari quæ fata premant: iræ ne deorum
Instent vltrices scelerum, aut compage soluta
Telluris, cælo iam dux impegerit atras
Tartareus pestes, stygióq; obduxerit orbem
Aethereum fumo. sed montis rupe sub alta
Condita oliuiferi, lateriq; hærentia flauo
Mœnia, præcipuè gelido concussa tremore
Consternata iacent: etenim feralia sese
Haud dubitant quin monstra petant: iam scilicet inter
Pastorésq; suos, Hetruscorumq; colonos,
Fama canens aderat, pugnam exarsisse cruentam,
Tyrrhenámq; adeò Tyberino in littore pubem,
Confectam cæde immani, exanimámq; iacere.
Hinc sibi iam Hetruscos bellum molirier atrum.
Interea turrita ardens, accensáq; diris
Vrbs furijs, arma inquirit, varia vndiq; tela
Aduocat, exterget clypeos, ensésq; repurgat.
Nec mora, stat legio, validis hinc inde maniplis
Collectis, animosa, fremens: portásq;, morásq;
Odit: & impatiens iræ, moderamina patrum
Incusat: nec deinde minis, nec parcit amaris
Vocibus: erumpit tandem: portásq; per altas
Agmina densa ruunt: simul impacata iuuentus
Præcipiti deiecta gradu, clangore tubarum
Horribili intento, descendit montibus altis,

Euaditq;

Exaditq; ardens flauentem Tybridis amnem.
Instructaq; acies ductores ritè sequentes,
Quæq; suum, latè campis potiuntur apertis.
Ceu quondam hybernus torrens è vertice montis
Cùm ruit, angusta vallis nunc fauce reductus,
Nunc scopuli obiectu confractus, spumea tollit
Culmina, & ecce premens subitò lata æquora campi,
Saxa, trabes, arbusta, greges, armentáq; torquet.
Iámq; Subasæas complerant milibus oras
Vastificæq; manus, vnáq; exercitus ingens.
Audijt extemplò vicino è monte fragores
Belligeros, mediam longo secat Appenninus
Qui dorso Italiam, atq; in partes diuidit æquas.
Audijt arrecta non secius aure sub vndis
Clitumnus vitreis, pulchros pulcherrimus agros
Flumine perfundens, niueisq; armenta fluentis,
Dulcia Tyrrheni donec patris oscula libet.
At verò indomitas acies, pubémq; furentem
Nec mora, nec requies, nec vis tenet vlla, virentis
Donec oliuiferum latus obsedere Subasi:
Attonitámq; vrbem, lateriq; hærentia flauo
Mœnia peruigili circuncinxere corona.
Ergo improuiso assultu, subitóq; frementes
Armorum sonitu, clamorem ad sidera tollunt.
Tum verò alterna qui iam statione vicißim
Obsidant portas, delectu milite ab omni
Excipiunt, quiq; excubijs simul acribus instent,
Quiq; aditum explorent murorum, ac peruia siquà
Mœnia, seu cæcis furtis malè fida patescant.

Cætera

Cætera dehinc legio campis discurrit apertis,
Nunc huc, nunc illuc, insultátq; æquore toto
Sublatis cristis, rutilóq; insignibus auro
Exardens clypeis: latè omnis frrreus hastis
Horret ager, fulgétq; armis, atq; ære coruscat.
Et nunc hi ferro muris, atq; ignibus instant,
Nunc variant aditus, manibus nunc lampadas atras
Conijciunt: frustratæ animis iræ acrius ardent.
Ipsa autem iam tum victrix, lætóq; superba
Successu votorum, inter densa agmina gaudens
Ceruice anguifera, mediam sese Eumenis infert,
Exacuitq; animos, colubrósq; implexa retortos
Tediferis manibus, stygiæ ciet agmina gentis.
  Heu tantis anima vna malis sancta, inscia culpæ
Impetitur: caput insidias molitur in vnum
Tot Dira: vnius tantùm sitit illa cruorem
Francisci: præsaga animo quem gentibus hostem
Tartareis acrem videt, agnoscitq; futurum
Vastatorem erebi, & decus immortale Subasi.
  At quanquã hos inter fremitus, subitósq; tumultus,
Illæsum ferro puerum, cædisq; cruentæ
Immunem omnino accipimus: non protinus ictus
Fortunæ effugit, non casus pectore nullos
Aduerso excepit, non & nullius adiuit
Tentamenta mali, non nulliusq; periLli.
Nanq; Subasæi proceres, è mœnibus altis,
Arma, virumq; acies armis animisq; furentes
Dum spectant latè, gelida formidine quassi
Horrescunt, trepidiq; hærent; timor improbus aufert
Consiliũ,

Consilium, mentémq; ægris, & pectora turbat.
At delecta manus primorum ex agmine toto,
Exardens animis, accensáq; laudis amore,
Nec mortem exhorrens pro libertate tuenda;
Concilio, numerus patrum quod ritè vocarat
Secretam ad sedem, coràm improuisa sonoro
Cum fremitu armorum simul affuit: ac prior vnus
Birtholides, fandiq; vices, poscitq; receptum.
Continuò patres iuuenem, pubémq; decoram,
Armisq; insignem, & multa virtutis honore,
Accipiunt, fariq; iubent: data iussa sequutus
Sic iuuenis. Rerum; ò patres, quæ maxima poscunt
Consilia, expectántq; manus viresq; potentes;
Haud facilis fortuna: senes nanq; ire labores
Nec fas per magnos, iuuenum nec sana furores,
Præcipitésq; animos adeò sententia mollit.
Quare agite, & nostris auditis mentibus vltro,
Consulite. Est mecum (coràm vos cernitis ipsi)
Magnanimus iuuenum cœtus, quos insimul ardor
Vnus agit: mens vna omnes tentare periclum
Ingens, extremumq; monet: nec numinis expers
Fidimus inuentum: iam tum (nec fallimur, ipsi
Rem nanq; omnem oculis animisq; inspeximus, altis
Preßius è muris) Tyrrhena per agmina segnis
Inserpit languor: primi cessere furores:
Cessere assultus crebri: fiduciáq; ardens
Iam tum hebet, atq; omnis virtus sublapsa resīdit.
Quin fama est (diuum credo iam territat vltrix
Ira, minisq; instans, pœnas intentat amaras)
Occultam

Occultam tentáre fugam, tacitósq; regressus.
At nunc, dum titubat gens, dum malè prouida rebus
Hæret in ambiguis; magna nos cæde profusam,
Extemplò aggreßi dabimus, penitusq́ fugatam.
Annuite ò patres vos tantùm audacibus orsis:
Obstupuere senes, subitóq; exterritus omnis
Consessus simul infremuit: pars fortibus ausis,
Assensu facili indulgent, animósq; feroces
Laudibus attollunt, stimulósq; furoribus addunt:
Pars contrà trepidare: etenim certaminis impar
Visa adeò Fortuna: anceps victoria, seu iam
Sanguinea, & multo quondam statura cruore.
Tandem vbi dissensus longis sermonibus actus,
Magnáq; per varios res alternata tumultus;
Vicit amor patriæ, libertatisq́ Cupido.
Interea Oceani rutilos vrgebat in vndas,
Sol deuexus equos: importunusq́ labori
Nox terras, cælumq́ ingens complectitur alis.
At iuuenes votis tota iam mente potiti,
Et nacti optatas cæcis aggreßibus vmbras,
Temporáq; armorum belliq́ accommoda furtis,
Ire ardent: odere moras: atq́ ora parentum,
Affatusq́ cauent, & maternos vlulatus.
Et iam instructa acies portas properabat ad altas.
Egreßis, procerumq́ manus, populiq́ caterua
Multà implorantes superos, multisq́ fauentes
Indigetes patriæ, votis precibusq́ vocantes;
Auxilium exposcunt felix, rebusq́ secundam
Fortunam ambiguis orant, lætumq́ regressum.

Olli per tutos calles, & nota viarum
Ingreßi (caue deuotos caue Tusce furentes
Et Decios, Paulósq;, ruit, caue, Mucius alto
E monte) vnanimes obscura silentia tranant
Noctis, & vmbrarum grata intempesta silentum:
Queis comes, haud atros Martis Franciscus honores,
Exuuias ue inhians, prædæ ue cupidine captus,
Sed iuuenum hortatus, & debita fata sequutus,
Tum nouus insuetis, & futilis ibat in armis.
Ergo vltro vigiles primi, infelicibus acti
Occurrunt fatis: primi, heus agè, perculit aures
Quis strepitus nostras? quæ ue arma? dolus ne sub armis,
Pax ne subest? mox conclamant. at viuida pubes
Nil contrà: in geminas tantùm se diuidit alas
Tota cohors, hinc, inde frequens denso agmine cingens,
Impediénsq; fugam, simul & diuortia claudens.
Extemplò vigiles trepidi, veniámq; precantes,
Deprensi, mentésq; ducum coguntur & omne
Prodere consilium. primis succeßibus acer
Exultat iuuenum cœtus: tum cætera discens
Tyrrhenæ gentis, virides sine more per herbas
Agmina fusa toris, securo stertere somno;
Acrius vltro animos attollit: cordibus ignes
Ira, furórq; ardens addunt, virésq; ministrant.
Hic ergo accelerant omnes, & voce repressa,
Castra vnà inuadunt torpenti milite plena,
Et malè desidibus cuneis seruata refringunt.
Vtq; vbi maturis pastor malè prouidus ignem
Frugibus admouit; latos effusa per agros

 Mox

Mox sata flamma rapit, lætasq; inuoluit aristas;
Et piceam crepitans propellit ad æthera nubem:
Sic per castra furit Tyrrhena, Subasia pubes.
Quáq; ardens ruit, hàc feruens via limite rubro
Sanguineum commonstrat iter, tepidóq; cruore
Halat humus, feruéntq; tori, simul alta tepescunt
Cædibus horrificis tentoria: tum magis iræ
Ardentes iuuenum crudescunt, quò magis atro
Sanguine tela madent, & cæde retunditur ensis.
Nec modus audendi: facies non vlla timoris
Obstat: hiant nunc diductis, sparsisq; per æquor
Agminibus latè: subitis ceu nubibus imber,
Præcipitiq; noto, campos obnubit apertos,
Nunc coeunt, densantq; acies, cantuq; recepti
Conueniunt, vnáq; omnes, quò maior agit res,
Præcipitésq; ruunt incursu, animisq; furentes.
Congressusq; auidi maiorum, extrema relinquunt
Agmina: iámq; adeò plebem indignantur inertem.
Nunc agedum, toto vel si mihi pectore Phœbus
Insinuet sese, surgántq; in gutture linguæ
Centenæ, haud strages, & vulnera, sanáq; fando
Luctificæ valeam comprendere funera noctis.
Hac fortuna tenus læto sese obtulit ore;
Hic verò ad sedem primorum optantibus altam
Monstrato iam calle; fidem mutauit, & ingens
Orsa nefas; rem sublabi, retróq; coegit
Ire subinfractam, iuuenésq; absistere cœptis.
Nanq; vbi primorum celsa ad tentoria ventum est;
Ductores; qui fortè toros, ludósq; sequaces

Nocte super media læti traxere; repentè
Accepere sonos, atq; improuisa frementum
Arma vident fulgere virum. fit protinus ingens
Clamore ingenti pariter concursus ad alta
Signa: animis primùm deprensa Subasia pubes
Substitit ambiguis: tum se collegit in arma:
Et ruit, haud vllo discrimine territa mortis.
Continuò exiliens, leuibus manus excita in armis,
Obiecit primùm se, exploratura periclum.
Hi simul occumbunt confossi pectora telis,
Et primi immanes multo dant sanguine pœnas.
Gliscit amor pugnæ: pérq; incita pectora, virtus
Læta Subasigenis exultans, acribus vrget
Multa animos stimulis, laudumq; accendit amore.
Tum verò Hetrusci ira, ignominiáq; furentes
(Primorum ante omnes cœtus) simul agmine facto
Obijciunt sese contrà: dehinc cætera gentis
Agmina concurrunt, vnáq; exercitus omnis.
At mentes concussæ acies, trepidæq; morantur,
Nec conferre manus, nec se committere pugnæ
Vltro incertæ audent, ignaræ, quæ manus instet,
Qui ue improuisò, quantus ue aduenerit hostis.
Primorum sedenim tandem clamoribus actæ,
Accensæq; animos crebris hortatibus, acrem
Inuadunt pugnam, miscéntq; arma ilicet armis.
Obstant intrepidi contrà, viresq; refringunt
Aduersas, numero exigui, sed viuida bello
Corda, Subasæi, versis nunc terga prementes
Mollia, nunc retro magno clamore reflexis
Cedentes

Cedentes sensim, & vestigia lenta trahentes.
Interea hinc, atq; hinc, Arctoa grandinis instar,
Missilibus iactis, acies infanda per ambas,
Exoritur strages: cedit iam parua Subasi,
Obruiturq; manus numerosi incursibus hostis.
Iámq; Onymus, Faniusq; ardens, & Tessinus acer,
Sassitésq; ferox, infesto vulnere primi
Occubuere, cadit proles generosa Comertæ
Gentis Ioniae, qui tum pulcherrimus vnus,
Quiq; Subasigenum fortissimus, agminis idem
Dux erat: inde cohors duce iam spoliata retro rsum
Paulatim cedens absistit, & agmine verso,
Gnara viæ, gnara anfractus, tutiq; receptus,
Lecta per occultum repetebat mœnia callem.
Optato in reditu Franciscus defuit: illum
Cæde rati absumptum tristes luxere parentes.
Id visum haud superis: sed protinus Ales in armis
Affuit æthereis, custos tutelaq; sanctæ
Fida animæ, custos manuum, ne cæde maderent,
Quæ mox debebant sacris effulgere signis,
Et monstra attonitis diuina ostendere terris.
Ire sub Hetrusci tantùm ditione superba
Captiuum bonus hunc custos permiserat Ales.
Interea biiuges croceos Aurora citabat,
Reddebátq; polo lucem, terrisq; colorem.
Hetrusci ingentem stragem vt videre suorum,
Continuò fractiq; metu, fixiq; dolore
Ingemuere: cadunt animi, virésq; fatiscunt.
Iam piget incœpti: bellum execrantur, & ipsos


Auctores inconsultos odere profectò.
Hic & primores animisq; & mentibus ægri
Concußis vnà coeunt; rebusq; profusis
Consulere optantes, sortémq; attollere lapsam,
Multa inter sese vario sermone volutant,
Ambigui ne trahant bellum distenta morarum
Per spatia, expecténtq; hilarem (quæ sæpe ferendo
Ire solet) donec vultum, mutatáq; certam
Ostendat Fortuna fidem, solidáq; reponat
Res sede infractas: subitò an, taciteq; coactis
Relliquijs, tenténtq; fugam, patriámq; reuisant.
Hæc dubijs agitant illi, alternántq; vicißim
Consilijs. Mystes; qui non sæua arma sequutus,
Non galea non ense minax, clypeoq; superbus:
Sed pacis niueæ suasor, bellumq; prophanum
Vsqueadeo execrans, se pridem milibus vltro
Addiderat; coràm simul astitit, atq; ita fatus
Infit (eum increpitans flagrantis numinis aura
Ignibus afflabat liquidis, multáq; tremendum
Intrans corda Deus reddebat imagine, multo
Igne accensum oculos, & anhelum pectora flatu.)
Aequum erat ò proceres, patriæ cùm mœnia læti
Alta tenebatis, nec dum ora Subasia Tusci
Sanguinis vndarat riuis, maturius omnes
Fortunæ casus, rerumq; expendere longis
Consilijs fines dubios: nam nec modò fortis
Deiectæ locus, aut strages facinusq; regressum
Vsquam vllum inuenient: tot clari sanguine & armis
Occubuere viri, tot nostra corpora gentis

Fusa

Fusa iacent campis; turrita vt mœnia prorsum
Exhausta, & totam viduatam ciuibus vrbem
Iam rear, & matres confectas luctibus atris.
Præterea queis cum vobis res tanta gerenda est,
Qua sorte hac versata tenus cognoscite; nempe
Haud hominum cum gente: latet diuina sub illis
Stirps ignota modò, sidus mortalibus ægris
Mox ingens, votis hominum precibusq; vocandum.
Quare agite, infaustis quamprimùm absistite cœptis.
Cede Subasæis ò pubes, cedite campis
O proceres: neq; enim Tyrrheno (credite, meme,
Credite, numen agit, versóq; in pectore numen)
Hæc datur excindi (Deus obstat) mœnia ferro.
Imò agite, Hetruscis, è gente Subaside, castris
Si quos vincla (nephas) captiuos dura coercent,
Soluite, eant patrias reduces date protinus ædes.
Conticuit Mystes. proceres diuina notantes
Verba, atq; ardentes, & scintillantibus æquos
Spectantes oculos astris, vultusq; ruborem;
Attoniti mussant: at vulgi, frigidus horror
Protinus ossa subit, præcordiáq; intima quassat.
Iámq; adeò citat inde fugam: monitusq; minæq;
Vrgent fatidici vatis, stimulátq; deorum
Relligio, vatiq; exterrent fulmina cæli.
Tum proceres, vati quanquam parere canenti
Festinant, lento abscessu, grauibusq; facessunt
Consilijs, coguntq; acies, linquuntq; Subasum.
Iam belli fremitus, atq; arma horrenda silebant,
Iámq; optata quies almam, & pax læta regebat

Vrbem, supremo quam stantem in vertice rupis,
Sole recens orto, descendens umbra Subaso
Plurima flauicomo, roranti tegmine opacat.
Hanc, quoniam montis radicibus assidet imis,
Assisium prisci latio sermone vocarant.
Ergo hic Franciscus, nondum praecepta parentis
Detrectare audens, lucris, de more paterno,
Instabat, mercésq; auro mutabat auaras.
Quam curam indignans animo exercebat amaro.
Quin iratus opes execrabatur, & aurum
Oderat infensum, vota & meliora sub imo
Pectore versabat tacitus: nam sæpius antè
Nescio quem inculti glebis squalentibus agri
Thesaurum obduci, vepribusq; latere sub asperis
Infossum audierat: cupidus quem fortè repertum
Occulit inuentor, donec bona singula venum
Det sua, & auricomi mercetur iugera campi.
Atq; hunc ille auidus tantùm vestigat, & ambit,
Hunc petit, hunc ardet: labor, aut via dura petentem
Nec; dum purpureo fulgens ciet ore rubentem
Lucifer Auroram, nec dum se gurgite Titan
Eluit Hesperio, sed nec dum lucida nostrum
Succendunt orbem, nec, dum Stygi mersa sub imà
Astra latent; terrere queunt: pulcherrima quæq;
Despicit ille: animum; non quicquid donat Hydaspes
Aut Tagus, aut Hermus, rubriq; inuisa profundi
Littora; sollicitant: hic optatissimus olli,
Hic pretio, hic forma præstans; hunc propter amicos
Iam iam hominum cœtus vitat: tantùm altà deorum
Limina

Limina adit: flaui sæpe ardua montis anhelans
Ascensu superat capita, atq; antra aspera dumis
Arboribusq; obtecta, vmbrisq; horrenda requirit.
Vitæ vbi primæuæ queat atra piacula fletu
Eluere, & diuos pacem exorare precando.
Ceu puer aspernans grandæui iussa magistri,
Oblitus decoris, sanctiq; oblitus honoris;
Vt tenebræ excussæ, redit vt lux pristina menti,
Et peccasse piget; metuens lora aspera, læsi
Continuò affusus genibus senis oscula figit,
Et placat lachrymis irati pectoris æstus.
His tunc assurgens, virtutis limina cœptis
Franciscus pulsare manu, hæc tunc omina vitæ
Ostentare piæ, & desueti pandere durum
Callis iter: liquidis nondum tamen ignibus auræ
Diuinæ expleto flagrabat pectore, toto
Nondum animo exardens iter affectabat Olympo.
Quippe amor infensus patris, ac timor improbus illi
Mentem adeò ancipitem stringebant dente procaci.
Ergo dum pendet, dum sic cunctatur, & hæret,
Dum fouet incertus sedes de more paternas,
Tabifico molles artus languore solutus
Decubat, extemplóq; ardet puer obsitus atra
Febre, toro iacet ignauus: corpusq; maligno
Dente lues puerile comest, tenerasq; medullas:
Inserpant animo donec bona tædia vitæ
Humanæ, & rebus pigeat seruire caducis.
Cælestésq; optare domos, & sidera tantùm
Discat, & astrigero paulatim assuescat Olympo.



At verò (ò diuum non implacabilis ira)
Ne mora longa quidem, spatium ne temporis ingens
It medij, æstifici saliens cùm pectoris ardor
Occidit improuisò, exceditq; artubus omnis
Continuò dolor, & macies depulsa: colórq;
Mox abit informis: redeuntq; in corpora nota
Paulatim vires. prima id longæua cubili
Custos fida astans nutrix sensitq;, sagáxq;
Perdidicit: prima exclamat, simul ò simul ite
Ite, pijs meritos templis exoluite honores:
Et flammas densate aris, pictasq; tabellas
Ferte citi, votiq; rei, modò carmine sacro
Rem signate piam, & subitam vulgate salutem.
Non hanc Phillyrides, non hanc dedit arte paterna
Phœbigena, aut herbis: non Thessala murmure saga.
Maius numen agit, maior vis institit ægro.
At puer, vt vires, & robora nota per artus
Iam validos iam firmatos colludere sensit;
Attollit sese, atq; animum ad maiora suburget.
Sic quondam, antiquis, tepido iam vere reuerso,
Exuuijs coluber positis, candore iuuenta
Exultat viridi, & nitida ceruice superbit.
Ergo aderat tempus, quo prima insignia laudis
Debita Francisco, claris sermonibus vltro
Spargeret in populum, patuloq; effunderet ore
Fama canens: Diuum rector fauet auspice nutu
Principijs magnis factorum: animumq; vigentem
Attollit pueri, & vires sub pectore firmat.
Nanq; dies solemnis erat sacra dicta quotannis

Rite Subasigenum patrum de more vetusto:
Qua iuuenum cœtusq; senum, matrésq; trahentes
Implicitos dextris pueros, tenerasq; puellas;
Votáq; soluentes superis, delubra petebant:
Linigeræ alternos adsunt hinc, inde choreæ
Dum præstò ad cantus, puriq; altaria circum
Pura sacerdotes Cererem, laticémq; Lyæum
Delibant sacrum: supremáq; pocula Regis
Aetherei instaurant, & votis numina poscunt.
His & Franciscus comes vnà accesserat: & iam
Finis erat: Mystæq; sacris cantuq; litarant,
Turbæ supplicibus donis: cùm promdus ibat
Iam lætus, iam multà animum mentémq; receptis
Oraclis puer expletus, iam numinis haustu
Diuini pectus, simul & penetralia cordis
Intima perfusus multo: cui comminus ibat
Obuius, & proauis, & prisco sanguine clarus
Mox iuuenis: sed quem tenuis iam copia rerum,
Atq; angusta domi, & turpis vexabat egestas.
Obsitus hinc macie, palléns q;, & frigore quassus
Horrifico, turbis spectandus rarius ibat.
Quem miserans vidit postquam Franciscus euntem,
Ingemuit tristi sub pectore; móxq; ita secum:
I, nunc, i, rebus nimium confide secundis,
Coge rubri quicquid rutilis demersa profundi
Piscatur gens nigra vadis, quicquid ue sub vndis
Auriferis diues Pactolus voluit, & Hermus;
Ecquid eris felix? tecum aut Fortuna iocari
Desierit? stabit ne dolos oblita latentes?

Et dubia

Et dubios vultus mendaciáq; exuet ora?
Prô dolor, hora breuis multos bona parta per annos
En aufert: sic nanq; manu res illa procaci
Permiscet, luditq́ eadem, ridétq;; beatum
Si quem nunc spectet, miserum nunc reddat eundem.
Dixerat hæc, vnáq; ardentem murice tergo
Extemplò exuerat chlamydem, soteria dudum
Prima, valetudo quam ritè parauerat illi,
Et bona iam nutrix membris aptarat adultis.
Tum verò horrentemq́ gelu, auersumq́ pudore,
Iamq́ fugam meditantem animo, puer occupat vltro,
Et dictis notum Franciscus mulcet amicum.
O' præstans animi iuuenis (neq; enim alta tuorum
Stirps ignota mihi, atq; antiquæ gloria gentis)
Texta vel externis (ea sors, is casus agunt res
Humanas) superant nobis: hanc accipe lanam
Tu modò, capta instar solaminis vtere: seruat
Centum alias genitor, totidem mihi cura senilis
Nutricis, charæq́ vrgent mandata parentis.
Sic ait, & volucri auersus fugit ocyor aura,
Indignans populi laudes, vulgiq́ fauorem.
Fama autem insomnis custos, & nuntia velox
Factorum, non segnis adest, & murmure vocis
Exiguæ primò clarum & memorabile factum
Raucisona eloquitur scissæ sub tegmine vestis:
Inde solum linquens, paulatim attollitur alis
Mobilibus, liquidumq́ altè secat aera pennis:
Arduáq; exuperat pernici nubila cursu.
Quóq; magis volitat, fit viribus ocyor auctis,

Stridenti

Stridenti mille exagitans sub gutture linguas.
Intereà genitor diuum, mundiq́ repertor
Hæc è suprema cæli spectauerat arce:
Iámq; opus insuetum magnum ac spectabile, secum
Ipse vnà tacitus, quo res hominumq́, deumq́
Aeterna sub mente fouet, versabat amore.
Quóq; animus pueri prorsum incandesceret, ignem
Flammantem, mira cælestiq́ arte parabat.
Ergo oculos solio ex alto circuntulit, omnes
In partes latos: torsitq́ ter arduus aureis
Illustrem radijs faciem: qua sidera cæli
Circumlapsa micant, totusq́ incenditur orbis.
Alituumq́ sibi circùm hinc affundier, atq; hinc,
Milia prospectat, ter trinos dißita in orbes:
Et iussa, & tacitos animis seruantia nutus.
Vnus, quos inter, rutilans in veste rigenti
Auro intertexto, & claris lucente Smaragdis;
Stelliferisq́ comis, picturatisq́ lacertis,
Stabat scintillans, & versicoloribus alis
Terga vmbrans: hic primæuos, ortuq́ recentes
Aligeros cœtus; quos dira superbia quondam,
Seditione polum, & bellis turbare prophanis
Impulerat; nequicquam expers depinxerat artis,
Parietibus latis: vbi grandis machina templi
Stat cuncto spectanda polo, cùm maximus aurea
Sede pater sedet; atq; acciri protinus omnes
Concilium in magnum, toto iubet æthere diuos:
Seu dum consilia æterna, & caligine tecta
Pandere vult: terras seu dum mandata per imas

Deferri iubet, & figi mortalibus ægris.
Fulmina quin etiam cælesti impresserat auro,
Aethere queis magnus pater exturbauerat illos;
Vtq; atro inuoluens fumantes turbine, & igni
Dispulerat cælo, & longum per inane rotarat,
Factáq; sub Stygijs luere impia iusserat vndis.
Hic bonus ergo operi visus: mox deligit vnum
Hunc pater ille astans solio, hæc simul aure capeßit.
Vade agè (quid factū memorem? Frāciscus in annis,
Vidisti nunc, primæuis quo pectore surgat,
Quámq; hodie laudum sibi clarum insigne pararit)
Cum primùm Hesperijs sol sese obduxerit vndis;
Roriferisq; poli culmen teret alta quadrigis
Pulchra soror; tu nocte micans, per nubila densa,
Præpetibus celerem pennis molire volatum:
Donec oliuifero lateri commissa Subasi
Mœnia conspicias: tum verò tempora nactus
Opportuna, quies dulcis cùm strauerit alto
Membra hominum somno, & curas sedauerit acres;
Finge domum, reges qualem sibi fingere suerunt,
Insignem varijs spectris, auroq; superbam
Conspicuo: mox sopiti quam subijce menti
Francisci, penitusq; alto sub pectore conde.
Hæc pater: Ille, imas cæcis vt vestijt vmbris
Humida nox terras, magna stellantis Olympi
Egrediens porta, per sudum illabitur alis
Sidereis, firmáq; pedes tellure potitus;
Mox operis comitem somnum vestigat: & illum
Agrestes inter duros, laßósq; colonos
Deprendi,

Deprendi, & rictu passo distertere opinus;
Rura adit: excubias sedenim vt: duróq; labori
Intentósq; mares videt, intentásq; puellas;
Digreditur: magnásq; vrbes, thalamósq; superbos
Regum intrat, mollésq; toros collustrat adactis
Luminibus: tandem infossum, plumáq; sepultum
Aspicit; agnouitq; Deum, postquam audijt illum
Raucisono magnos efflantem pectore ronchos.
Hic oculos circumq; ferens, infráq;, supráq;,
Veris vbiq; comas spectat: laquearibus aureis
Narcißiq;, rosæq; leues, & hiantia loris
Lilia dependent, tortoq; papauera collo.
Quicquid Arabs, quicquid ue Cilix felicibus aruis
Fert, torus altus olet: subterq; asarota camini
Tota Palæstini conspersa vaporibus vndant.
Tunc Ales quassatq; manu, versatq; iacentem
Multà Deum: sentit crebris impulsibus actus,
Attollitq; parum caput: at mox deinde relabens,
Marcida pertundit nutanti pectora mento.
Rursus eum volucer quatit, humentesq; reuellit
Vngue comas: surgit cubito subnixus: & vdos
Emungens oculos, hæc tandem ait excitus: ò nunc
Quid tu meme vrges infensus? agè, excipit Ales,
Me sequere, vna tua est ars, quæ modò ritè laborem
Prima operis nostri iuuet, vnum somne ministrum
Te volo: ne segnis cœptis tu desice nostris.
Sic monet, atq; alis vnà secat aëra: somnus
Ponè sequens, grauis aligerum vix æquat euntem.
Iamq; Subasæis instabant mœnibus alti,

Cùm

Cùm pennis volucer fixis stetit: atque ita somni.
I, nunc, i, placidam Francisci lassa quietem
Membra per, infusus penitus mitissime defer,
Noctificisq; oculos pennis tege blandus, & imi
Largius epotent da nigra obliuia sensus.
Ales ait: somnus paret: iacet obsitus vnà
Lethæa mox nocte puer, dulciq; sopore.
Tum memor antiquæ cælestis nuntius artis,
Aduocat ingenium, atq; animi vim suscitat acrem:
Effingitq; alti sublimia tecta palati:
Educit vacuo surgentia culmina cælo,
Et nitidos postes, & limina magna, columnasq;
Erigit, effigiésq; erectis postibus aptat.
Iámq; arcis medio præcelsæ regia latè
Aula patens stabat: varijs quam præscius Ales
Ornat imaginibus, picturatisq; figuris:
Mirandámq; facit: sed quid portendat, & olim
Quid res quæq; ferat, monstri non inscius ipse,
Sollicitáq; manu, & docta bonus occulit arte.
Tempus erit (mora parua) sacras cantata per ædes
Talia cùm resonent, voliténtq; per ora virorum,
Et passim gentes ea, magna per oppida narrent.
Ergo vbi diuinus fatalem nuntius arcem
Perfecit; mouet extemplò, lapsuq; quieto
Ingens ducit opus, sopito machina coram
Ardua Francisco donec sistatur, & alto
Mira domus animo penitus surrepat imago.
Tunc improuisò media puer astitit aula,
Et molem ingentem, desuetáq; munera somni
Miratur:

Miratur : nec mente capit, nec sufficit omnes
Perlustrare oculis partes : animóq; figuris
Abstrusis impar ; nunc has, nunc aspicit illas,
Perturbans seriem : tum multa inuoluit hiatu
Crebrò interiecto : conniuens multa relinquit.
Quin & multorum captum despondet, & vltrò
Contemplatum animo procul amouet : ipsa residit
Obtutu defessa acies, geminaq; fouenda
Sæpe manu, deiecta cadit : ceu; lampada Solis
Cùm quis fulgentem, primo surgentis Eoo,
Improuisò oculis ægre vigilantibus haurit;
Obsitus extemplò tenebris circùm vndiq; densis,
Deijcit attonitum vultum, digitisq́; profundam
Ex oculis noctem, lachrymasq́; educit obortas.
Tum rursum ignaro legere omnem ex ordine visu
Picturam incipiens, seriémq; euoluere rerum
Obnitens; oculos primùm sublimibus ægros
Partibus affigit : vibratus plurimus vnde
Per medium fulgor radianti luce coruscat.
Iámq; è suprema subducti parietis ora
Pendet, inexpletùm spectans : insignia nanq;
Bellorum hic videt, & picti decora alta trophæi,
Insignemq́; Crucis truncum de more minantem
In Cælum, & sacro rorantem sanguine Regis
Siderei, videt infracti spolia horrida Ditis,
Et vectes solido ex ære, immanésq; catenas
Tartareis raptas valuis, & ferrea cernit
Hinc, inde ex alto pendentia robora malo :
Quæ quondam victor nitidas ad luminis oras

Euexit rediens erebi vastator opaci.
Stant verò innumeræ gentes circùm vndiq; malo
Affusæ, & pictis variæ quàm vestibus, ore
Tam diuersa sonant: curuisq; ingentis adorant
Poplitibus crucis effigiem, laudésq; canoris
Vocibus æternas, & dulcia carmina dicunt.
Iam verò aduersis hinc atq; hinc frontibus ambæ
Quæ stant murorum facies, non nullius artis
Insigne ostendunt, non nulliusq; laborem
Senserunt dextræ, aut docti nouere magistri
Ingenium: ambabus suus est honor, altáq; miris
Effulgent hinc, inde modis decora: vtraq; rubri
Diues opum pelagi, & multo spectabilis auro.
Fulgurat hinc nitor, & longè latéq; micantes
Scintillæ exiliunt, sparguntq; coloribus auras.
Quales, obiectu Solis caua suscipit Iris,
Iris honor cæli, largos dum nuntiat imbres,
Et ferus irata molitur fulmina dextra
Iuppiter, ac tonitru male conscia pectora quassat.
Quippe acies binas; nigrantem atróq; coruscam
Hanc igne, & toruos implexam crinibus angues,
Tollentemq; faces læua, dextráq; Cerastas
Pro telis, atrùm linguis, atq; ore sonantes
Horrificùm. Aethereis animosam insignibus illam,
Accinctámq; armis fuluo radiantibus auro;
Læuus habet paries, campóq; ostentat aperto
Permistas bello, ac per mutua vulnera sese
Paßim sternentes, deuastantésq; cruentis
Cædibus, & iactis tardantes membra sagittis.

Res verò haud geritur ferro, sudibus ue: sed astu;
Nam legio facibus, stygijsq; armata colubris,
Insidias struere, antiquo de more, latentes
Haud ignara; dolis tantùm decernit, & instat
Artibus occultis, semperq; attollit in hostem
A tergo sese tacitè, subitòq; tumultu,
Permiscere acies, Martémq; accendere sueuit.
Tum verò incautis furtim exitiale venenum
Dira animis subdit, figitq; expertia tactus
Spicula pectoribus; tacitè quæ deinde meatus
Lapsa per occultos, immistáq; sensibus imis
Fumantes addunt tedas, penitusq; relinquunt
Moribus hærentem flammam implicitámq; medullis.

At legio auratis fulgent cui tempora sertis,
Cui frontes vittis redimitæ insignibus albent,
Ingentésq; animos cælestia tela ministrant;
Haud contrà ignauis diræ in certamina pugnæ
Pectoribus ruit: ardentes sed concita vires
Aduocat, attollitq; animos, semperq; parata
Incursus acie expectat, vigiliq; latentes
Detegit insidias cura, fraudésq; retundit.
Assultu quin sæpe hostes tentare quietos
Audet: & obiectans sese imperterrita monstris
Arte lacessitis cauta, bella aspera miscet.

Ergo impacatæ vario certamine ducunt
Conflictum assiduum, sternuntq;, caduntq; vicissim.
Inde animis ardent, gliscuntq; odia aspera vtrinq;:
Irarumq; æstus furit hòc magis, area campi
Quò magis horrescens effuso sanguine inundat.

Qualis apes; geminis sceptri cùm regibus ardor
Incessit; trepidas canor ad prætoria regis
Cogit quasq; sui: donec rex signa moueri
Imperet: agglomerant tum sese, acriq; cohortes
Marte ruunt hinc, inde: ardet fulgentibus alis
Aethereus latè campus: pugna aspera surgit.
Talis amor nitidasq; acies, aciésq; nigrantes
Vrget, ita alternant, & mutua funera miscent.
Sunt etiam pugiles, qui sæpe hinc, inde subacti
Exurgunt, iterumq; acres certamen adorti,
Exultabundum palma, exuuijsq; superbum
Aere cient hostem, rursumq; in prælia poscunt:
Nec frustra ardor is est, ea non audacia victis
Vana subit: nam victor ouans (mirabile visu)
Sæpe resurgentis perfossus cuspide victi
Occidit, ipse breui palmæ lætatus honore.
Talia læuus habet paries: quæ dextra subinde
Monstra gerat facies, agè nunc ex ordine pandens,
Expediam cantu: sedenim maiora canentem
Orsa manent: labor insuetus noua carmina poscit.
Principiò, haud temerè, aduersæ mox frontis ab ima
Ora exurgit, humi fixis radicibus altè,
Arbor opaca, ingens, frondosaq; culmina tollens,
Et pulchro exuperans obscuras vertice nubes,
Affectánsq; viam cælo, & fulgentibus astris.
Tum verò (haud longi mora temporis) ardua pandens
Brachia, mox terras longè latéq; iacentes,
Cæruláq; vndisoni visa est tegere æquora ponti.
Parcit Hyperborei flatus huic, parcit & Euri
Impe-

Impetus: hanc madidis non decutit Aphricus alis:
Distinet, atq; vltro hinc arcet sua sidera torrens
Sirius: Aemonij longè tela horrida monstri,
Esse iubet mollis tepidi clementia cæli.
Ver autem aßiduum fulget: sempérq; comanti
Arbor honore viret: semper nitet aurea cono
Purpureo, florum nunquam viduatur odore.
At folijs (nouitas rerum, ac spectabile monstrum)
Ora hominum thorace tenus, signata refulgent,
Nomine cuiq; suo, circumradiante per oras
Marginis, & vitas pariter morésq; docente.
Nec verò, aut temerè folia, aut vi deinde reuulsa,
Sponte sed ipsa cadunt: pleno cùm tempore fulgens
Iam lux certa vocat fatalia nomina, cumq;
Vitales auræ pictis animæq; sigillis
Ordine debentur sacro, melioris & vsus
Frondibus auricomis iam vitæ debitus instat.
At primis vltro delapsis, fœtibus arbor
Perpetuis fœcunda; nouam succrescere prolem,
Dátq; coma extemplò simili frondescere ramos,
Cognatæq; recèns conuestit prolis amictu.
Præterea, ne dura manus, ne falcis adunca
Sæua acies truncum, sacros ue lacessere ramos
Fortè ausit; pecorum nequà ora infesta petulco
Discerpant morsu, bifida aut vestigia frondes
Proculcent lapsas; circunstant aggeris alti
Excelsæ rupes, præruptæq; vndiq; fossæ.
Non secus Oceani deuexo in littore magnus
Furta cauens Atlas, pomaria flaua, sororum

Delicias quondam Hesperidum, sinuosa draconis
Immanis circùm ducens terga, obijce sepsit,
Nempe opus inualidum, ac munimen inane futurum
Alcidæ contra incursus, clauámq; potentem.
Ergo dum folia ex altis crepitantia ramis
Labuntur, non insanis ludibria ventis
Exturbata volant, longéue impulsa recumbunt:
Sed dulci crepitu, placidóq; ruentia lapsu
Leniter auricomi subsidunt stipitis vmbra.
Tum subitò exoritur strepitus, frondésq; iacentes
Igneus exagitat vigor, emollitq; rigorem.
Illæ paulatim maiorem ducere molem,
Ac se tollere humo, rectæq; astare videntur.
Nec mora, quæ tantùm ceruicis insta gerebant
Signa priùs (desueta fides) mox quæq; figuram
Ostendunt rectam, nec vitæ lumine cassam,
Nec truncam membris: totidemq; sub arbore sacra;
Stant hominum veræ facies, vescuntur & aura:
Strauerat antè solum lapsis quot frondibus arbor.
Quales damnato, vastóq; sub æquore merso
Orbe, Promethides vidit consurgere saxis
Post tergum iactis, omnem cùm prorsus abactam
Stirpem hominum, atq; altis immersam crederet vndis.
Nunc agè, quis labor, aut quæ turbam cura recentem,
Frondigenasq; viros maneat, quæ munia vitæ,
Expediam dictis. Pater ò sanctißime, qui tunc
Rerum ignarus adhuc aderas mirator, ab alto
Ipse mone; nunc diue tuum rege numine vatem,
Audentem seriem tantarum euoluere rerum.

Dicam equidem hanc prolẽ, dicam alta ex arbore natos,
Progeniem pater alme tuam, Regésq;, Ducésq;.
Dehinc te diuinos monitus, atq; alta canentem
Præcepta accingar sacrato dicere cantu,
Cogentémq; acies, atq; agmina mille vocantem,
Indiga ad arma virum, referentémq; aurea ab antris
Vulnera Tyrrhenis: nec non tua funera plectro
Tristia dulcisono, niueos imitatus olores,
Deflebo ad tumulum: dicam tandem astra petentem
Ignea, primus ego, & sedes flammantis Olympi.
Frondigenum pubes vitam sortita repentè,
Principiò stupet, ac demisso territa vultu,
Corruit obtutu primo, iucundáq; lucis
Dona improuisò spectans horrescit obortæ.
Tum verò attollens acies, manibusq; retundens
Oppositis fronti, ignoti noua lumina cæli,
Paulatim addiscit radios perferre nitentes.
Inde vbi sidereæ crucis eminus alta trophæa
Aspicit, exuuijsq; grauem, maculisq; decorum
Puniceis malum; duplices ad sidera palmas
Continuò tendit: gressu mox deinde citato
Euolat in densam turbam, seséq; frequenti
Miscet adorantum circunfusaq; coronæ.
Exin procumbens, truncóq; amplexibus hærens,
Luget inexpletùm, rorantiáq; oscula figit.
Ortæ improuisò desueto è germine plebis,
Hic amor, hic labor est, vitaq; is vertitur ordo.
Ecce autem in partes geminas stirps arboris vltro
Scinditur, & rima diductum robur hiulca,

Mox puerum incessuq́; grauem, formáq; venustam,
Et palmas (monstrum insuetum) thoraca, pedésq;
Ardentem stellis auro fulgentibus, edit.
Non puer Idæus tam claris emicat astris,
Quamuis ille polos aurati fluminis imbre
Diluat, auratas inuergat & aureus vrnas,
Auratáq; manu diuinum nectar in auro
Misceat ardenti, syncerâq; pocula diuis.
At postquam cæli lumen spirabilis hausit,
Suspirans, imóq; trahens à pectore, crebro
Singultu concussam animam; tristiq́; dolore,
Continuò ingemuit: largeq́; humentia fusis
Fletibus ore rigans; duræ mala tædia vitæ,
Atq; ærumnosos testantia signa labores
Prima dedit: gentemq́; cruci mox feruidus alta
Affusam irrumpit, saltuq́; exturbat ouantes
Perualido cuneos: pauidi cessere recentes
Frondigenæ: defixa oculos turba astitit omnis,
Obstupuitq́; acrem puerum, assultusq́; viriles,
Ingentem exiguo virtutem in corpore cernens.
Ille subit densas acies, tumulumq́; supinum
Ascensu exuperat nitens, crucis aurea donec
Robora complectens passis deuinciat vlnis,
Osculaq́; infigens, lachrymis irroret amaris.
Talia lethæo perfusus lumina somno
Prospiciens Franciscus hiat, stupet, hæret, & horret.
Miratur decora alta crucis, circumq́; profusas
Tam varias gentes: strages miratur acerbas,
Certantesq́; manus, & cæci prælia Martis.

Nec minus auricomæ fœtus & germina plantæ
Attonitus spectat: laudat molémq; manusq;
Artificis doctæ: sed mirum ante omnia partum
Roboris obseruat: patulóq; hunc oris hiatu
Suspicit: hunc animo toto bibit altius vnum.
Ingentémq; Heroa vocat, mortalibus olim,
Cùm iam terrenos artus firmauerit ætas
Acrior, auxilio missum: qui deinde caducæ
Defunctus vitæ fato, ascitusq; beatis
Concilijs diuum, & nitidis decus additus astris
Conspicuum; votis miserum precibusq; vocatus,
Assuescat facilis rebus succurrere egenis.
Sic decorat puerum, nec sese agnoscit in illo,
Nec proprias cernit laudes, nec sentit honores,
Ignarus quibus æthereo sese æquat Olympo.
Quippe sui iam tum penitus securus, & expers
Prodigij; nihil ipse suo cum corde superbum,
Nil immane putat, nil de se cogitat altum.
Interea excelsæ summo de vertice plantæ,
Binæ sponte cadunt maturo germine frondes,
Insignes ambæ effigie, circumq; per oras
Illusæ extremas gemmis auróq; corusco.
His postquam humano, vesci spirabilis aura
Luminis, ore datum est, improuisóq; gemelli
Exiliere animis, formaq;, & germinis ortu
Aequales pueri; tyrio mox alter onustus
Ornatu, insignisq; caput diademate fulsit
Regali: quo dehinc spreto, puer ipse Tiara
Continuò sacra tegitur, sceptróq; relicto,

Pastorale pedum sumit: sanctósq; fluentis
Auriferis mersare greges, caulasq́ tueri
Atq́ ouibus discit sæuas arcere rapinas.
O felix ò grex ter fortunate quatérq;,
Cui datus hærebit custos. heu sed modò cæcas
Atra manus quid tu Clotho iuuenilibus annis
Inijcis? hunc seram qua tanta videre senectam
Inuidia est? At mox ò formosissime raptum
Vt te Frondigenæ deflent? tua funera tristi
Vt luctu celebrat totis bona Gallia terris?
Precipuè sed littorea quà Delphica pubes
Vrbe sedens, latè domat arua insessa Lyæo.
At diuersa alter contentus sorte, potentum
Non genus antiquum numerat, non diues auitis
Nominibus fulget, nequicquam opulenta beato
Ambit eum fortuna sinu, luxuq́ profuso.
Et tamen hunc gremio primùm Dea Cecropis altrix
Excipit, Aonióq; altum nemore ardua secum
Attollens sistit: pueri nec sedula curam
Amittens, vltro insinuat, mentémq; per altam
Sese olli infundit, multumq́ accendit amorem
Ipsa sui, ingentiq́ animo simul implicat ignem.
Nec verò absistit cœptis, puer inclytus acrem
Donec flammifero mentem suspensus Olympo,
Arcana æternis penetralibus abdita norit,
Æthereiq́ patris præclusa oracula pandat.
Interea, dum prima ætas adolescit honesto
Flore, animam mors dente atro diuellere tentat;
Quam pia supplicibus votis, precibusq́ secundis,

Iam tristem, iam tum fugientem, mater ab orco
Abducit, natumq; vltro mox deuouet aris.
Seruatósq; artus horrenti velat amictu.
Nec mora, continuò, vitta puer ipse decorans
Cæsariem euinctus simili præfulget, & ostro
Insuper exardet tyrio, superátq; priorem
Purpureo, obnubit quo tempora sacra, galero.
Tum verò exurgens parilíq; è germine cretus
Stat subitò puer, hunc iuxta, corámq; repentè
Emicat, egregius forma, ac simul indole sacra
Præditus: huic vultum placidum clementia circum
Peruolitat multa: & iam tum circumstrepit olli
Virtus, sidereísq; vltro festina coronis
Exornat frontem, multumq; interserit instar.
Iámq; animo pueri curas auertit inanes,
Præclarumq; aliquid iam tum acrem inuadere mentem
Diua monet, magnisq; vltro sese addere rebus.
Ille autem humanæ sortitus munia vocis,
Extemplò ore sonat Ligurem, tum dulce Monilij
Nomen hians canit: & saxosam littoris oram,
Increpitat claro sonitu; qui deinde (iuuenta
Nec dum florentes prima lanugine malas
Texerat) ante aras, superis in vota vocatis,
Se vouet, & teneros horrenti protinus artus
Tegmine obit, dura subnectens ilia veste
Mollia: nec longo post tempore, sedula virtus
Attollens puerum, germano addebat alumno,
Iámq; parem rutilo dabat effulgere galero.
Hæc animo attonitus spectat Franciscus: & ecce
Delapsa

Delapsæ geminæ frondes iacuere sub vmbra
Materna, lenisq; auræ ceu flatibus actæ
Emicuere, & ter lætum increpuere sonorem.
Tum simul exurgunt, improuisóq; coorti
Frondigenæ constant gemini, tunicáq;, sonóq;
Discordes primùm linguæ: quippe alter Hetruscos
Personat ore modos: imitatur Iberia voces
Nigra tuas alter; qui mox dulcedine raptus
Carminis externi, Germaniq; æmula Tusci
Ora ciens; modulos sensim didiscit Iberos,
Gentilésq; sonos latio sermone coercet.
Nec mora, & occiduam Calpen, & littora flaui
Linquit auara Tagi, fitq; accola pinguis arenæ
Medoaci, Iliadæq; exornat mœnia fato,
Mœnia Cecropiæ studijs sacrata Mineruæ.
Et tamen hi virtute pares: tenerisq; sub annis
Ambo vnà obducunt rigidis sua corpora lænis,
Ambo se addicunt diuis, arisq; deorum.
Inde acres membris, solidáq; ætate virentes,
Ore tonare ambo, ceu fulgura bina, videntur
Aetherei mandata patris: vastumq; per orbem,
Suggestis super excelsi, ac diuinitus acti,
Fingere corda hominum, & sanctis componere dictis.
Labitur interea foliorum ex arbore nimbus,
Quanta olim, Boreas Arctoo sidere pastus,
Sæuā hyemem torquēs, Rhodopen niue pulsat, & Hæmū.
Iam multis nec tam Libycis furit Auster ab oris
Imbribus accinctus, nec tot ciet æquore fluctus;
Quàm multis, sacræ Crucis aurea signa, recentum

Agmina

Agmina frondigenum, stipant obeuntq́; coronis.
Praeterea facili viridiq́; exurgere cliuo
Haud longè exiguus collis; cui vertice summo
Fulget odoratum lauri nemus: hic breuis omni
Frondigenum numero manus intercepta, sub vmbra
Nigranti stabulat: laena his fluit hispida setis
Demissa ex humeris, ima ac vestigia lambit.
Continuóq; sinus horrentes ilia circum
Mollia subnectunt duri tortiq́; rudentes.
Hoc primùm virides artus tutantur amictu,
Mox iam maturos; gemmis, ostróq; superbo
Conspicuis, rigidóq; auro simul intertexto,
Exornant tunicis: incanáq; tempora cingunt
Tegminibus de more cauis: quibus ordine circùm
Ductae aequo inserpunt trinae, effulgéntq; coronae.
Haud quales tenerae rorantia prata puellae,
Sole recèns orto, populatae intexere suerunt.
Media sed diues, quales seu Bactra, vel Indus
Nudus Erythrei praedatus littora ponti,
Regibus antiquo imponit de more superbis.
Hi cultus Heroum, ornant hac corpora cura.
Caeterà Petreiae dextráq;, animóq; carinae
Haerent affixi clauo, soliumq́; tuentur
Diuinum aetherei simul & sceptra aurea Regis.
O felix nimirum aetas, venturáq; felix
O gens sub tantis ducibus: bona numina terris
Euersis sanctos vos ne inuideatis alumnos.
O tum Roma tuos colles florere triumphis
Quàm multis cernes, ò quam melioribus, illis

Orbe tui Eoo, quos Hesperióq; subacto,
Aduexere duces, Tarpeia cacumina reges
Dum sæpe externi, vincta ceruice subirent.
Nanq; imas tum cana fides, Astræáq; virgo
Iam profugæ, repetent terras: furor impius Arcto
Sub gelida, iniectus centena in vincla, niuosam
Perflabit Rhodopen fremitu, ac terroribus Hæmi
Succutiet saltus: vtráq; expulsa rigentis
Oceani, Tanaisq; gement bella horrida fines.
Iam verò immensa Franciscus imagine rerum
Conciderat puer attonitus: cùm prouidus Ales
Surgentem primo mox contemplatus Eoo
Auroram; somno dat finem, & visa resoluit.
Bina autem stabant diuersa in munera portæ
Somnipara, quas, dum molem confingeret altam,
Struxerat: huic valuas laueis nitido ex Elephanto
Fixerat, effluerent quà falsa insomnia: cornu
Illa nitet vitreo, synceris peruia visis
Huc trahit interpres Franciscum; cornea quem mox
Emittit porta: in ventos domus alta recedit.
At volucer liquidum paribus secat aera pennis
Arduus igniferi repetens astra aurea cæli.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. III.

Roscida complexus fugiens Aurora seniles,
Oceano bigas croceas tollebat ab alto:
Et nitidum primo cœlum vestibat Eoo.
Monstrifero puer excusso de pectore somno,
Excitus è stratis Franciscus corripit altis
Confestim sese: & pedibus circundat alutam:
Nec non Colchiaca saturam ferrugine lanam,
Meandro illudens triplici quam circinat aurum,
Promissam ex humero, in læuam de more retorquet.
Tum verò (quanquam nondum vis reddita menti
Attonitæ, nondum vegeto sub pectore sensus
Excußi omnino) subnixus sede quieta
Composuit sese: atque animo memoranda volutat
Secum vnà repetens visa altius: occupat ingens
Arcis opus, crebróq; agitans examine pulsat
Primùm aciem mentis: sacræ tum germina plantæ
Aurea sollicitant animum: natiq; repentè
Frondigenum cœtus (visu mirabile) fratrum:
Insuetumq; genus pugnæ, insuetumq; trophæum
Multà trahunt memorem puerum, variæq; per omnes
Picturæ ambages, aulæq; insignia versant.

Visa

Visa animo repetens, dum singula discutit ille;
Aera improuisò tinnitum è turribus altis
Dant caua raucisonum: signo de more sacerdos
Quo matutinus vocat ad sacrata tribules
Limina conuentus: Cererem, sacrumq́; Liæi
Thuricremas puri laticem dum libat ad aras.
Ergo iter accelerans sacram molitur ad ædem.
Ingressus primùm ante crucem (nanq; alta sub ipso
Stabat fortè tholo) procumbit poplite curuo:
Attolénsq; pios oculos, pariterq; supinas
Ad Cælum palmas tendens; sine murmure vocis
Mente adit æthereas sedes: diuumq́; silenti
Affatu genitorem orat, fruiturq́; beato
Colloquio: tandemq́; infit sic ore soluto.
Magne pater, rectórq; poli, diuumq́; potestas,
Aspice me iactatum vndis, æstuq́; furenti
Curarum: rege quassum animum, atq; attolle iacentem.
Tuq́; vna æterni proles æquæuáq; patris;
Cuius ope, informi quondam stygis obsita limo
Gens hominum, nunc astra tenet: qua maximus æther
Fulget, obitq́; imum rerum pulcherrimus orbem:
Qua constat magnum quicquid secat aera pennis,
Quicquid monstriferi gignunt vada cærula ponti,
Et quæcunque parens natura alit hubere glebæ
Saltibus in magnis, latisq́; animalia campis:
Quæ nec non refoues, nec non alis omnia: seruas
Luce replens cuncta, & diuini numinis haustu;
Méne vltro exortem tanti das luminis vnum?
Vnus ego heu patiar terrena inserpere tantùm

Vota

Vota animo? iam mille ierint virtutibus alti
Auspicibus, séq; intulerint sublimibus astris:
Solus ego illecebras, & non innoxia sectans
Consilia, heu foueo terras, & demoror vltro?
Da precor humanas Seruator maxime curas
Dehinc animo exuere: atque insueta per auia gressu
Tendere iter durum; leuibus da concitus alis,
Quò me tollere humo sublimem, & sistere certa
Sede queam: æthereaq; erecto ad sidera vultu,
Spectare interdum fulgentem lampada lucis.
O tandem, da nocturnis felicia visis
Omina: neu quid triste ferant, neu liuida quicquam
Portendat lugubre acies: verùm omnia læto
Successu, faciliq; olim venientia cursu
Excipiant, quoscunq; manent ea fata merentes.
His postquam orauit dictis, ter leniter aræ
Oscula defigit summæ, ter circinat ipsam
Paßibus æquatis, ter prono concidit ore.
At pater æthereus cælo manifestus ab alto
Annuit: improuisò etenim tremere omnis ab imo
Visa ædes, summiq; tholi sacra tecta moueri.
Tum verò ex alta subitò cruce reddita vox est,
Térq; aures pueri claro sic verberat ictu.
Semirutis Francisce domus iam tum, aspice, muris
Vt mea præcipitem casum labefacta minetur.
I, (te cura manet) repara, vel subijce pronus
Ceruicémq;, humerósq;: tuis ea viribus olim
Alta diu stabit: nec plura his audijt ille.
Ac veluti mater, cui dudum effœta senectus,

Desuetiq; negant thalami connubia prolem,
Siquà improuisò cæsi crudelia nati
Funera conspiciat, mox acri fixa dolore
Corruit, exanguisq; iacet, nec pectora pulsu
Spiramenta cient, nullus quatit halitus ora:
Sic voce audita Franciscus territus hæsit,
Diriguitq; simul, totóq; expalluit ore.
At postquam excitus calor exanimata reuisit
Membra leuis, pérq; ossa vigor suus ima recursans
Emicuit; iucunda repens sese obtulit vltro
Lætitia, arcaniq; intrans penetralia cordis,
Exturbatq; metum, placidáq; in sede locatos
Blanda fouet sensus, frontemq; animumq; serenat.
Ilicet agglomerant sese, comitesq; fideles
Hinc pietas bene suada, hinc obsequiosa voluntas
Adjiciunt vltro, & facilem cælestibus aptant
Imperijs mentem pueri: suadetq;, mouentq;
Quam primùm diuis animo parere volenti.
Ille audit, nec tanta horrens hortamina temnit,
Nec iam dissimulat, nec rerum exterritus alta
Mole hæret, tantiue operis versare labores
Abnuit: occurrunt, primaq; ante omnia sese;
Quas pater ingentes penetrali sede coercet;
Diuitiæ objiciunt, opportunaq; futurum
Auxilium spondent, explendis ordine iussis.
Tum verò infossum terræ, obductumq; latebris
Stipatumq; arctis, clausum & compagibus æreis
Multà animum ciet, atq; oculos circum uolat aurum.
Ergo his exardens secum ipse affarier infit.

Prô superas quàm multa tenet clementia sedes?
Indomitæ quàm longè animis cælestibus iræ
Abiunctæ? fugat inuidiam procul æthere toto
Aurea pax, odij fugat exitiale venenum,
Persequiturq́; minis, tortóq; agit vsq; flagello:
Nam terras exosa, atq; impacata nocentum
Corda hominum; cæli fulgentia tecta beati
Læta tenet: diuum cui dat pater optimus iras
Mulcendas animi, & flammanti pectoris æstus.
Et tamen, ecce hominum gens, numina temnere diuum
Audet: quodq́; sacris nec honor virtutibus vllus:
Quòd rari peccata luant, & sera nocentes
Supplicia expendant: quòd nec iam sanguine pœnas
Dent meritas sontes; superum lenta otia culpat:
Teláq; ficta vocat, fulmen deridet inane.
Parte alia Eumenides, piceiq́; exercitus omnis
Cocyti, quas non pestes, quæ mentibus ægris
Crimina non hominum suadent? bella impia credo
Iam restant diuis, & cæli mœnibus altis.
Et faciant: pater omnipotens modò cesset inultus
Aethera tutari, & conniuens tela reponat.
Nondum etenim immanes Erebea oblita ruinas
Monstra: animis nondum præceps deiectus iniquis
Excidit: imò odijs ardens gens dira vetustis,
Inuidet æthereis cælestia regna colonis.
Necnon interea fœdas, mortalibus ægris
Insinuat scelerum facies, animisq́; venenum
Vipereum subdit tacitè, immiscetq́; medullis.
Hinc legum neglectus honos: hinc iura, fidesq́;,

Faeq; pium, exilij, terris procul acta nefandis,
Probra luunt: tum luxus iners, & fœda voluptas
Splendescunt, gliscit regnandi insana cupido.
Vnde iræ, inuidiæq; lues, vnde aspera bella
Sanguineis accensa odijs; it separe ferro
Cincta vtrunq; latus, gaudénsq; in prælia ciues
Aduocat, vnanimésq; ciet discordia fratres.
Quis verò quis nunc; amor implacabilis auri,
Quæ mala, quot scelerum labes, quæ funera quondam
Ediderit, quæ nunc edat; comprendere dictis
Eualeat certis? quot per discrimina cæcos
Ire animos cogat? quàm duros voluere casus?
An non iura truces, non fas vertere tyranni,
Non sanctam rupere fidem, non sacra rapinis
Templa deum infandis inceßauere, cupido
Dum regni infrenes animos inuasit, & auri
Incaluit cupidis sitis, exarsitq; medullis?
Iam verò Eoi sinuosa per æquora ponti,
Nónne animi præceps, & vitæ prodigus audet
Nauta procellosis caput obiectare periclis?
Credo equidem non ille tegi contentus auito
Sarcophago: aut, quia terra grauis, durumq; cubile
Dura dat illa nimis, tu mollius vnda parabis:
Et vos ò turpes phocæ, scopulosáq; cete
Excipitis placido mitiq; cadauera somno.
Sed iam agè stirps hominũ; clarum quæ ducis Olympo
Sidereo genus, & cæli diuumq; repertor
Cui genitor datus; excutere, interdumq; supremo
Tolle oculos cælo: generiq; auertere terras

Extera

Extera regna tuo, atq; animo res concipe fixas.
Nunc tantùm (heu mores vltro insectamur iniquos,
Perdita facta libet simul hîc versare malorum)
Cerne vbi honor meritus, magnis vbi munera diuis
Debita, vbi cultus sacer, aut vbi digna sacerdos
Liba ferat superis: templorum heu limina vulgò
Horrent senta situ: squalentq́; sine ignibus aræ.
Desertisq́; adytis resonabilis instrepit Echo,
Echo montanis assueta latere sub antris.
Quin etiam, manus auxilio ni protinus instans
Huic subeat tecto, deuexáq; culmina nisu
Attollat valido (medij breuis hora) ruina
Præcipiti demissa solo domus æqua recumbet.
Sed quid ego hæc multis sequar? aut quid demorer vlterà?
Quid ue alios horter dictis, questuq́; fatigem?
Me vox ipsa petit, me sancta oracula diuum
Sollicitant, me poscit opus, nostrumq́; laborem
Exigit: hac dextra domus inclinata, necesse est
Exurgat, nostrisq́; diu stet viribus olim
Ergo agè nequa meis hodie mora subdola factis
Esto, operi accingar, simul & præcepta facessam.
At quis erit modus? aut quo res eat ordine tanta?
Quáue ope? num solus vastas attollere moles
Ipse queam? sat erunt ne manus, humeriq́; labori
Hi tantùm? aut magnos deuexa hæc machina poscit
Thesauros? poscit: nec iam breuis arca profectò
Sufficiat: verùm (neque enim opportunius vsquam
Auxilium occurrat) genitor præstabit abundè.
Ipse aderit: superant illi nanq; æra, latentisq́;

Argenti atq; auri penitus defossa talenta
Innumera: hæc cultus vertam melioris ad vsum.
Quæq; animo fecit cupido dudum ipse prophana
Munera: sacra equidem, & dijs acceptißima reddam,
Instituens templa, & diuum de nomine festos
Solennesq; dies, nec iam sine honoribus aras.
Talibus institerat dictis, secumq; loquutus,
Hæc vnà ediderat: tum demum voce repressa,
Continuò gressus patris molitur ad ædes
Festinos, memorem auditi multà excitus aura
Oracli mentem, & tacitè secum ipse volutans
Corde arcana deum, cælestisq; omina vocis.
Et iam improuisò limen subit, ac simul acer
Inuadit prædator opes, cæcósq; recludit
Thesauros: sopita diu (procul arbiter omnis
Conscius) æra manu ciet: auolat ocyus vnà,
Argentóq; auróq; grauis: pernicibus alas
Adiungit plantis vrgens timor: omnia patris
Irásq;, ardentésq; minas, rabiémq; furentis
Raptori intentant puero, ingeminántq; pauorem.
Non sic Idaliæ, si quà aduentare draconem
Aspiciant volucres, niueo sub pectore fœtus
Implumes cohibent, pennisq; cubilia vallant:
Nec tam sollicito, nutrix elapsa cadentis
Excidio patriæ, gremio conuectat alumnum,
Multà timens oneri charo, sed cæterà compos
Nequicquam ipsa sui, propriæq; oblita salutis:
Quàm furto puer, & rapto timet anxius auro.
Iámq; propinquabat templo, portámq; subibat
Semiru-

Semirutam: contrà sacræ venerabilis ædis
(Seu fortuna tulit, nutu siue altis actus
Aetherei) custos sese dedit obuius olli.
Quem prior affatu placido, demissus & ora
Franciscus petit, & dictis compellat amicis.
Vidi equidem longæue pater: nec vana fefellit
Vmbra oculos: manifesta docet res, aspice, quantus
Imminet huic templo casus: quámq; alta ruinam
Præcipitem mox tecta dabunt: ea robore firmo
Ni quisquam fulcire paret, sublapsáq; tutis
Sedibus attollens fundamina prima reponat.
Ergo hæc, magne senex quianam te cura refugit?
Quid tu conniues? quid tanto in pondere cessas?
An fortè (id ne verò ausim scelus ipse fateri)
Dissimulans, meritos diuum auersaris honores?
Aut; quia sanguis hebet, frigétq; effœta senectus,
Et tenui exiles, medicóq; in sanguine vires
Iamdudum torpent; operum defessa labores
Membra exhorrescunt duros, trepidusq; recusat
Infestas animus curas, atq; effugit vltro?
Exue sollicitos agedum seclude timores.
Non te damna manent, non te labor vrget iniquus.
Me tantùm (non magna peto) nunc accipe tecum;
Non grauis hospes ero, non me accepisse pigebit.
Hos humeros, has dura manus onera ipsa grauabunt.
Tu iubeas tantùm, sedeas, spectésq; magister.
Est mi ætas viridis, sunt fortia membra, lacertiq;
Haudquicquam molles; ardet præstantibus ausis
Non segni sub corde animus, sub pectore virtus.

Imò agedum (quoniam manibus, manuumq; labore
Non tantùm moles eget hæc; sed opem exigit æris)
En hîc æris onus (prodit, nam veste latebat,
Aurum ingens) cape tu munus, cape muneris vsum.
Hæc ille. At senior vultus, animumq; virilem
Miratur pueri: simul ipsum insueta loquentem
Obstupet, & mentem diuini numinis haustu
Arcano expletum ratus; obseruátq; frequenti
Obtutu, & multo iam tum dignatur honore.
Aes autem penitus refugit, tactuq; perhorrens
Abstinet omnino: contrà dehinc talibus infit.
O' præstans, ò macte animo, virtute futura
Macte adeò, quæ tanta puer te cura fatigat?
Vnde amor hic? quod numen agit? quo robore fretus,
Quóue duce insuetos audes tentare labores?
Nempe anni imbelles primiq;, & debilis ætas,
O' puer ista negant. At non tamen irritus ardor;
O' dijs auspicibus miseræ dux addite genti
Præsidiumq; hominum, patriæ spes, sidus & orbi:
Hic tuus: haud frustra curam hanc sub pectore versas.
Non sorte, aut errore venis, sed numine certo
Huc ades: & vox me; (quod tu non veris) ab alto
Quæ dudum increpitans tenues demissa per auras
Te petit, inseditq; altè tibi corde sub imo;
Nequicquam latuit, nequicquam has præterit aures.
Tu verò docilis (neq; enim simul omne retexit
Consilium magni patris modò nuntius ales)
Accipe quæ ventura cano, quæq; ipse canenda
Sidereus mandans volucer mihi detulit idem.

Multa feràm: memori tu condita mente teneto,
Haud condenda diu (breuis hora) ea lucis in auras
Edet, cùm populis vicina per oppida vulgò
Fama canet, magnumq́ dabit volitare per orbem.
Tum verò ipse, alijs partim referentibus, aure
Accipies latus, partim delata sub ipsis
Luminibus manifesta leges, atq; ore notabis.
Principiò (quanquam non illaudata recursat
Cura animò) non te nulla ignorantia fallit.
Esto, olim quassata ædis prærupt́aq; sacræ
Culmina vix superant, totiusq́ vndiq; templi
Fundamenta labant: téne hanc cælestia credis
Iussa domum moneant humeris attollere pronis?
Nimirùm mandata aliud, longè tibi templum
Nobilius monstrant diuinæ oracula vocis.
Stat quippe alta, patens, ingens, augusta, columnis
Mille innixa domus, saxóq; extructa supremo,
Ardua siderei sedes atq; vnica Regis:
Quam sibi non manibus petijt, nec munere poni
Instituíq hominum: verùm non inscius artis
Ipse opifex molem sublimem eduxit in auras
Aethereas, soliumq́ alta sibi fixit in arce.
Quis positus tanti modus, aut quo marmore tandem
Constet opus, mentem dictis aduerte, docebo.
Ipse deum Rex, ferret adhuc cùm pectore magna
Prodiga corda animæ: nec dum fregisset auerni
Claustra, suis aptans decora immortalia membris;
Stagnantis piscosa legens de more profundi
Littora, diuiniq́ canens mandata parentis;

Bissenos animo prudens secreuit ab vndis,
Piscantum de plebe viros: operumq; fideles
Ipse sibi asciuit comites, regniq; futuri.
Hic opifex (neque enim hoc humano exurgere templum
More datum: noua sed species, mirandáq; rerum
Spectanda effigies erat, atq; insueta piorum
Congeries hominum) lectos Heroas ab imis
Sedibus, ingentis veluti fundamina molis,
Surgere prima dedit: primos hos fixit Atlantes,
Et templum inuictos iußit fulcire superbum.
Iußit & ignotos, varijs è partibus orbis,
Accitu populos, noua relligionis ad arma
Cogere, consortésq; sibi de gente colonos
Aggerere externa, atq; alios, aliósq; vocare,
In regnum auspicijs paribus: virtute corusca
Qui sobolem claram ferrent, & rebus adessent
Auxilio magnis valido, imperiumq; iuuarent.
Quiq; ministerijs sacris per longa subirent
Secula, venturisq; darent ex ordine ritus
Perpetuos natis, sacróq; in munere leges.
Quin etiam prolis, venturorumq; nepotum
Successum, tot Rex olim spondebat in annos,
Concilium accitu quot iam differret in vnum
Cogere terrigenas cunctos, gentémq; beata
Sede locare piam, & fumanti turbine & igni
Deijcere, & stygio sontes deuoluere fundo.
Magnanimi Heroes vix iam cælestia dicta
Diuini audierant Regis, cùm turba repentè
Certatim omnis ouans, iussos ceruice labores

(Quisq; suum) incurua subit, & mandata facessit.
Et iam fulta domus bissenis aurea saxis
Constabat: nec deinde domum, sed verius vrbem,
Mœniáq; alta vrbis credas iam posse vocari:
Tantum operi Rex ipse opifex dabat incrementi:
Tot, manus Heroum iussis operata magistri,
Milia iam magnæ positis aggesserat vrbis
Mœnibus: excelsis ea gloria fulgere tectis.
Iámq; adeò certis longos transegerat annos
Ritibus: instructiq; sacris, de more priorum
Legibus ardentes simul intemerata coloni
Liba frequentarant, & relligionis honores
Sustulerant cælo: fulgebántq; aurea vulgò
Secula: nec deerant composita fœdera pacis.
At postquam terris hominum diuina propago
Visa potens nimium est, séq; alto æquarat Olympo;
Protinus intumuit styx atra immanibus vndis,
Infelicem vteri partum illatabilis edens.
Tum pestes visu horrificæ, tum prodijt omne
Monstrorum genus: anguiferum caput extulit altè,
Exardens odijs, & inexaturabilis ira,
Inuidiáq; atro pectus fœcunda veneno
Tisiphone, & vetitas mox occupat ætheris auras,
Improuisò animos hominum obsessura quietos.
Atq; hinc, interea sensim labentibus annis,
Decolor infandis succedere motibus ætas.
Ex illo in peius sublapsa potentia retro
Imperij, & sacræ virtus emarcuit vrbis.
Et nunc sordet honos, iacet omnis gloria magna
Spreta

Spreta domus: nunc siderei tecta aurea templi
Cælestem ornatum, & nitidum posuere decorem:
Quin & præcipitem lapsum deuexa minantur:
Qualem pergameæ deiectis turribus arcis
Laomedontiades gemitu spectauit amaro.
Hanc sibi cælicolum sator instaurarier vrbem,
Quassatámq; domum refici iubet; ipsius ergò,
Hoc & semirutum, & prærupto culmine templum
Monstratum pridem tibi crede: hoc illius astat
Argumentum ingens, & nobilioris imago.
Quare agedum ò nimium felix, tu posceris alto
Huic operi, te magna petunt exorsa, tibi ingens
Exurgit labor, extremi te gloria finis
Iam manet egregia, & clarum per secula nomen.
Interea ne vana quidem fiducia surgit
Hæc tibi prima animo: tantis non aspera votis
Sors venit: hoc dabitur (mora parua) reponere tẽplum.
Quin maiora domos poscunt te numina: poscit
Ante alios Regina poli: cui deniq; magnam
Instituens, magnos simul instaurabis honores,
Et veniæ indices festos de nomine soles.
At verò exactis, positisq́; his ordine rebus,
Iam te efferre animos, atq; ad maiora necesse est
Ire incunctanter: cùm iam sublapsa vocabit
Auxilium domus alta tuum: cùm ritè nouanda
Aurea deposcent vrbis te mœnia sacræ.
Tu verò ne pectus iners, ne robore cassum
Offer: ades tantùm, & primum molire laborem.
Principijs adiunge manus: mox auspice Olympo,

Cætera non duro venient labentia fato.
Non montes tibi ligna ferent: non vecta per altum
Littore ab externo candentia nauta parabit
Marmora; cedet onus ferri, lentumq́ bitumen,
Et lapidum cedet, fuluæq́ aggestus arenæ.
Coctilibus non hæc exurget machina muris.
Non te artis tela, instrumentorumue paratus
Sollicitet: curis non his, non talibus armis
Res eget: haud molis nouitas, desuetáq; rerum
Congeries duros vectes, ferróq; grauata
Robora deposcit, non coniunctura tenaci
Aera trabes morsu, & versandas cardine portas.
    Lingua potens fandi tantùm, & mulcere superbas
Gnara hominum mentes, sanctisq́ effingere dictis;
Arma tibi non mollia erunt: suggestibus altis
Cùm tu olim excelsus, diuini iussa parentis
Ore tonans magno, insuetóq; oracula vulgò
Abdita more canens; trepidis mortalibus ægra
Pectora concuties, & conscia corda malorum,
Verborum ingenti tonitru quassabis: ibi illi,
Iam tum execrantes commissa piacula, magnos
Orabunt veniam diuos, & sæua trementes
Supplicia, ardentésq; faces, tortósq; cerastas
Eumenidum horrentes; probrosæ crimina vitæ,
Et pestes animi, gemitu lachrymisq́ piabunt.
At scelere abluto, & culparum labe prophana
Turba exutæ animos, puráq; in luce nitentes
Virtutum; mox te demissum sidus Olympo
Nimirum ostendent: testabunturq́ futurum

Ductorem

Ductorem ignaris, monstratoremq́ꝫ salutis.
Quæ cuncta è cæli diuum pater optimus arce
Despectans, hominésq; videns iam sorte relatos
Diuina in melius, prisco fulgere decore;
Annuet ore tuis cœptis: læuáq; serenos
Parte ciens tonitrus; lætis mox gentibus auræ
Aethereæ nimbum flagrantem, & luce corusca
Fulgentem, cœlo latè demittet ab alto:
Qui corda afflatu vitali frigida lambens,
Incendátq; imos sensus, atq; igne repurget.
Ac veluti Alcides Nessæi tabe veneni
Saucius, Cetæos postquam bene pertulit ignes,
Et grauia abiecit duróq; obnoxia fato
Membra; leuis potuit cæli conscendere sedes:
Sic adeò; quas tu magnis hortatibus olim
Implebis, monitisq́ꝫ acer, dictisq́ꝫ seuerus
Contuderis; gentes sueta iam luce refectæ,
Expletæq́ꝫ animos diuini numinis haustu;
Haud mora: continuò desertæ mœnia ad vrbis
Vndiq; concurrent: paßimq́ꝫ sine ordine sese
Conyjcient portis, & raris ciuibus vltro
Miscebunt socias, simul ornamenta futuræ
Alta resurgentum murorum, & robora castris
Viua sacris: sic structa iterum (mirabile visu)
Mœnia iam tum vrbis magnæ fulgentia surgent,
Cælesti iam pace animis & fœdere iunctis.
Hic modus, hæc facti via tanti, ita vertitur ordo,
Et labor, & rerum summa: hæc exorsa manebunt
Te primum auctorem: tua dehinc exempla, nepotum
Turba

Turba sequutura est: quos tu dux optimus altis
Praeceptis olim institues: sed protinus ipso
Aggressu, magniq; operis sub limine primo,
Bissenos comites, lectissima corda virorum
Accipies tecum fidos: de more quibuscum
Partitus curas acres, operumq; labores
Ingentes; rerum summa ad fastigia tendes.
Ergo age, sub tanta, moneo, ne deficevicto
Mole animo, néue ipse tuis hoc viribus impar
Rere opus: haud deerunt tantis conatibus vsquam
Numina: non frustra superos in vota vocabis:
Vltro aderunt, dum tu supplex in munere sacro
Implorabis opem; atque hominum de gente petita
Auxilio affusae circùm tibi mille cateruae
Exurgent, signisq; tuis sese agmine denso
Addent, raucisonis vel quà complectitur vndis
Vltima postremum terrae latus Amphitrite,
Et piger inuiso prohibet quà marmore segnem
Arctophilax currum, sitientémq; emouet vrsam.
Omnis natorum, feret omnis terra nepotum
Vltro acies tibi: laetus honor, laetiq; triumphi,
Pérq; humiles pagos, pérq; arua, per oppida quondam
Te praeclara manent. Quid dehinc? te maximus orbis
Progenitorem, ingénsq; polo sibi numen ab alto
Demissum accipiet, votisq; vocabit ad aras.
Primùm autem quà protentis media Ausonis ora
Secta iugis, audit gemini vaga murmura ponti;
Magnanimae tibi nascentur, belliq; potentes,
Florentésq; acies, tectaeq; insignibus armis,

Turba

Turba assueta malo, & virtutum exercita curis.
At tu ne vere hos sine more, sine ordine cœtus
Venturos (medium breue tempus) læta subibit
Prima acies; quam perspicui dabit accola creber
Clitumni, flauiq; tenent qui littora Tybris.
Nulla tibi hac vna fulgentior agmine toto,
Nulláq; amabilior veniet, nulla acrior armis.
Ipsa caput populis, sceptroq; insignis eburno,
Incessu Regina graui, simul altior ibit.
Indigáq; arma tenens, patris alta insignia forti
Attollet dextra, populusq; sequentibus ardens
Ostendet sidus, flaua de rupe Subasi.
Protinus hinc, illinc geminas radiare phalanges
Aspicies: hanc fœcundis è collibus ortam
Picenis, non segne piæ, non futile rebus
Militiæ vulgus: qualis sub nocte minores
Astrorum currus inter micat aurea Phœbe,
Iam luce aduersa fraternæ lampados icta.
Illam flauentis tranantem Tybridis vndas,
Conciliata iugis tibi Tuscia mittet ab altis,
Tuscia vesano dudum exagitata furore,
Frangere dum ferro nostra, aduersantibus astris,
Mœnia conatur, flammisq; ac milite sæuo.
Nanq; illam (ò diuum nutus expertia nunquam
Facta hominum) iam tunc vltro meliora sequentem,
Exutámq; ira, exutámq; furore, pigebit
Omnino immanis cœpti, insaniq; laboris,
Quèm frustra effudit, nostrum dum posse Subasum
Eruere, atq; immo iactat se euertere fundo.

Quin etiam excelsæ super alta cacumina rupis,
Opportuna tuis, nemora inter frondea seruat,
Antra olim votis: illic tibi certa quietis
Temperies: illic specus altè hiat ore profundo:
Cui niger horrifica lucus super imminet vmbra,
Multum adeò expirans iam relligionis honorem:
Vnde animo detur superos inuisere cœtus.
Illic interea non exercebere nullis
Insidijs: aderit mox importuua Megæra
Bella ciens: tu, nequa pios fraus implicet orsus,
Arma, animumq; para, duróq; accingere Marti.
At cùm densa tuo lateri sese agmina iungent,
Ne tu animi victus, ne curas territus acres
Effuge, neu seriem magnorum horresce laborum.
Quin audax i contrà: inopum dux omnium egenus
Nimirum tu solus eris, tu posceris vnus.
Nanque aderunt acies lata non segnibus ausis,
Nec iam degeneres, claræ aut virtutis egentes.
Accinctæq; vltro casus mox ire per omnes;
Subdent séq; tuis, animósq; & pectora iussis.
Quas tu magnanimas, & rebus certa ferentes
Corda videns summus; læto bonus ore vicißim
Accipies, dictisq; vltro solabere amicis.
Sed quid ego externo venturam è sanguine prolem
Enumerem tantùm? nullón' tua mœnia fœtu
Te patrem efficient? nullóq; Subasida terram
Fulgentem partu, & stellantem floribus olim
Aspicies? Imó, (hîc iuuat ò cantata referre,
O iuuat Heroas rursus memorare futuros)

f Ne

Ne medij ne longa quidem mora; fœtibus ortâ
Bissenis hinc tu primùm ditabere: primos
Hos lateri comites addet fortuna volentes
Prima tuo: lætus grauium adiumenta laborum
Hos tu prima leges, tecumq́; per ardua duces,
Rectorésq; dabis rerum, & post fata magistros.
Quippe ardor iam tum primæuis acer ab annis
Concilijs superum sacratos protinus illos
Ostendet: nec non animis iam viuida virtus
Degeneres penitus curas auertet: & acres
Magnum aliquid mentes inuadere, leta monebit,
Atq; vltro sese claris adiungere rebus.
Quales Peneiæ viridi sub stipite lauri
Lenticomi subeunt frutices, matrisq́; sub altis
Luxuriant circùm condenso vimine ramis:
Illa petens altas frondoso vertice nubes,
Pubentes cælo fœtus inuitat aperto.
Sic olim ipse tuos magnis hortabere factis
Venturos cœtus, monitisq́; vocabis ad astra.
Quid verò infamis telum crucis eminus altum
Aspicio? turpis lethi genus heu trabe summa
Quid vinclum intortum pendet? scelerate Capella
(Sic capitis dicet te primus tegminis vsus)
Quid struis? aut quò te cæcum furor impius vrget?
Immanis quò præcipitem deuoluit Erinnys?
Vnde adeò exosus lumen spirabilis auræ?
Ah miser, ah malè sane, animi depone furorem.
Non licet hoc tentare manu, quod prodigus audes:

Non tua (quò ruis?) hæc anima est, quam funere acerbo
Deijcis: ipsa olim est numeris repetenda peractis:
Alterum enim illa manet: qui iam dedit, ille reposcet.
Olli stat magno: haud auro, sed sanguinis empta
Imbre sacri: abiures domino caue perfidus illam:
Tu custos etenim tantùm: tibi credita: serua
Innocuam: properat (modò tu ne intercipe) tempus,
Cùm sancta, atq; atræ pestis, culpæq; prophanæ
Inscia, terrenos artus, moribundáq; linquet
Membra volens: ac sidereo simul ardua cælo
Attollet sese, & domibus potietur amatis.
Ergo agè linque nefas, immania cœpta furentis
Frange animi: parce infandis scelerare piorum
Concilium probris: ne auertere dicta verendi
Fida patris: da corda volens, aurésq; monenti
Da faciles: ille ad nitidas vocat ætheris arces:
Ille iter ostendit comes & dux præuius idem.
O scelus, omnino restis placet: æquoris æstu
Surdior irati: non sic alpina niuosis
Hærent saxa iugis, alto aut stat caudice robur.
Nec monitus audit patris, nec mollia dictis
Pectora dat nostris: sacri haud venerabilis illum
Tangit honor cœtus: heu vana procacibus austris
Verba damus: sancta absorbet monita inuius aer.
Occidimus: manus instat agens (miserabile visu)
Obscœno truculenta operi: vidén' ipse retortos
Sub collo nodos? heu iam trabe pendet ab alta
Turpe onus: abde cauis manibus: parce omine fœda

Parce puer scelerare oculos: agè longius atram
Proijce, néue tuis hanc pestem interſere natis.
Tu verò ô sceleris fax atra incestáq; turpis,
Vade anima: i, trux, dira, nocens, inamabilis vmbra,
Quò te noxa ingens trahit: i, plaga sexta reposcit
Nempe erebi, informis specus, atq; immane barathrum:
Te nox cæca sinu penitus demersa profundo
Expectat: Phlegeton illic torrentibus vndis,
Cocytus lachrymis tibi grandia pocula miscent:
Styx odium: lamenta Acheron tristésq; dolores,
Perpetuos seruant olim ingeminántq; per annos.
Tu mox Iscariden comitem comes accipe: iuncti
Ite truces, simul ite pares: absumite pœnam
Omnem erebi: Eumenidas scelere incestate cruentas:
Terdenis ille insignis diuésq; talentis
Ad mortem æthereum Regem queis prodidit: at tu
Nec scelere absimili, furto nec dispare fulgens.
O puer interea tu ne hunc horresce tumultum.
Hoc vno auulso comite, haud tibi deficit alter.
En procul aspectans fœtum succrescere cerno
Iam lætum, iam formosum, iam veste nitentem
Compare: iam non vulnus hiat, seriésue cohortis
Interrupta patet: nati stant ordine rursum
Fatali, numeróq; acies effulget eodem.
Verùm agè da faciles oculos mihi, & aspice, fœtus
Bissenos circum quot subnascentia passim
Germina consurgant: quàm densis terra nitescat
Floribus hæc: quot noster adhuc inglorius (at mox
Supra Idam, & geminū Parnassum, et culmen Olympi,
Supra

Supra Hæmũ, & Rhodopen, Taurũq́, & Caucaſon altũ
Tollet oliuiferum caput) effulgere Subaſus
Iam tum adeò incipiat ſertis: quin oppida latis
Circùm fuſa agris, & quæ radicibus imis
Hærent flauicomi montis; ſua pignora vulgò
Certatim addicunt vltro tibi, & vndiq; mittunt
Natorum cuneos: en iam ſocia agmina gentis
Aſtant magnanimæ circùm, ſeséq; parata
Obijciunt iuſſis: vidén' vt iuuet illa ſub armis
Eſſe tuis? iuuet inſuetum deferre per orbem
Inſigne, atq; acrem ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & iam nunc primùm te Martis ab vno
Tentati, duros cultuq́; habituq́; labores?
Quis tandem innumeros cœtus, populósq; ſequentes
Commemorem? quid facta ducum tua ſigna ferentum
Dicere coner ego? aut, quæ, quas ex ordine terras
Ornabunt aciésq; tuæ, natiq́; futuri,
Qui fatu expediam? ſi famam æquare canendo
Eualeam; primus, gemmas quot proferat annus,
Quótq; Hyblen populentur apes, quota; turbidus auſter
Cùm Scythiæ donat nubes, Libyámq; ſerenat;
Nix quaſſet Rhodopen, aut Hæmum euerberet altum,
Scire queam, & certis numeris comprendere fas ſit.
Quocirca ò columen, ſpes ò fidiſſima noſtræ
Vrbis, ſiſte modò, neu ſingula quære tuorum
Nomina: ſed tantùm partem læuam aſpice montis;
Irriguis perfuſa iacet quà parua fluentis,
Sed morum probitate virens, ſtudijsq́; Mineruæ
Splendida, Aracnæisq́; micans de more puellis;

Fulginia: exiguus manans ibi montis ab imo
Prominet, & longi cuneatus acumine dorsi,
Plurimus in campos collis transcurrit apertos,
Et læto vicina tuas Meuania turres
(Qualis deprenso, nemora inter deuia, noctis
Luce sub ambigua, oblati protenta coloni
Dextra, viatori callis diuortia monstrat)
Prospectu petit, admirans, quos littore sacro
Clitumni pascis, candenti corpore tauros.

Hîc non magna sedent summo incumbentia dorso
Mœnia (sermonis Romana licentia prisci
Hispellum dixit) sed; quem pars dextra supini
Collis opacat; ager Cereri flauæq; Mineruæ
Nunc bonus; alta vrbis latè vestigia seruat
Iam dudum euersæ: & congestæ mole ruinas
Occulit infossas terræ, penitusq; sepultas:
Conuestitq; solo viridi, & frondentibus vmbris.
Hinc ferro inuertit terram dum fortis arator;
Sæpe arcus, sæpe antra caua, immanésq; columnas,
Stratáq; saxa aperit, tumulósq; recludit inanes.
Quæ cuncta aspiciens, stupet ille, atq; ore dehiscens
Attonito; vocat inuenta ad spectacula fessum
Sæpe viatorem, lætusq; ostendit hianti
Obruta, seu templi, seu fundamenta palati:
Et Circi moles, & grandia Mausolea
Voce, manuq; sonat latè dispersa per agros.

Ergo (si qua meo est animo prudentia) postquam
Bis lustra explerit Phœbus terdena, meatus
Monstra per obliquos stellantia sæpe remensus:

Illic exortum cernes tibi surgere fœtum:
Te duce, pubentes cupiet qui protinus annos
Exigere: optatis tetrici sed dura parentis
Iussa, minæq; pijs obstabunt: ille tremiscens
Ora patris turbata, animo parebit amaro:
Dißimulánsq; hilari vultu simul ardua rumpet
Vota, sagáxq; diu premet alto pectore magnum
Consilium, & tristi seram spem corde fouebit.
Interea (neque enim lætis succeßibus annos
Ire sinet cassos) studijs se addicet honestis
Cecropi Diua tuis: & degustare pudici
Libethri audebit laticem, & Libethron amantes
Sollicitare deas, sacrumq; Helicona ciere.
At simul ornarit fleti pia busta parentis
Munere supremo: solidæ viridisq; iuuentæ
Iam tum prævalidis firmatus viribus artus;
Militiæ confestim inopis iuratus inibit
Sacramenta: vltróq; merens sudabit in armis
Feruidus ære tuo: qua sub stipe, fortibus annis
Exactis; iam deuexus, iam vertice canus,
Intermissa diu Phœbi Aonidumq; remisset
Otia, Cygneasq; effundet pectore voces.
Magnorum nec facta ducum, non ditia regum
Sceptra canet: sæuo non eruta mœnia bello
Carmine deflebit: non fasces inclyta dicet
Roma tuos: alia arma vocant, diuersáq; surgent
Sceptra illi, grauibus numeris maiora tonabit.
Scilicet hic primus cœlo te carmine tollet:
Perq; virum vehet ora tui cantator opimam

Pauperiem regni: quã tu splendere iubebis,
Qui te cunq; manent cœtus post fata nepotum.
Ò lætam ò faustam lucem, quæ seruat alumnum
Hunc tibi: da dextram pater ò fidissime proli,
Da simul amplexus venienti, omenq́; secundum:
Et veniam exora, feliciáq; oscula iunge.
Hic Franciscus erit soboles tua posthuma, & hæres
Nominis: huic precibus sedes mercare beatas.
Hæc decora, ò puer, hos tibi me enumerare triumphos
Aethereus, fariq́; ales iubet: omnia quæ te
Progeniemq́; tuam, ventura ex ordine quondam
Certa manent: sed nec, quàm multos seruet honores,
Cælicolas inter, diuum pater optimus olim,
Quámq; hominum fulgens tua, crebra per ora sonabit
Gloria, complecti numero, nec carmine quiui.
Interea (ò lætis nunquam non inuida rebus
Fortuna) haud tantis successibus aspera deerunt:
Tristia iucundis iungentur: luctus amaris
Gaudia turbabit lachrymis: & sæpe tumultus
Belligeri, vnanimis discindent agmina gentis.
Nusquam etenim insidias struere, & pia corda tuorum
Vipereis stygiæ pestes furiare venenis
Cessabunt: ruet ante alias accincta colubris
Tisiphone: heu quot acerba tuis, quæ funera natis,
Quas strages, obitusq́; ducum dabit illa tuorum?
Bellum ingens video, bellum immortale parari:
Hostis amarus, atrox, gens indefessa labore,
Aeterna exercens odia: insaturabilis ira.
Mitto autem ventura olim: & quæ maxima porrò

Bella aderunt seros perturbatura nepotes:
Nunc tantùm perdisce, tuus, qua percitus ira
In te ardet genitor: duro quem robore dextram
Armatum, decorisq; sui, sanctiq; pudoris
Oblitum, & sæuas torto tibi verbere plagas
Intentantem, atrisq; obiectantem aspera dictis,
Mox hic cernere erit: quippe hoc te vulnere primo
Prima lues petet: huic tu primo assuesce dolori.
Huius causa mali infaustum æs, aurumq; paternum.
Proinde age, rumpe moras, moneo, hanc puer abijce pestē,
Vel tu redde patri: non his domus ista reponi
Auxilijs poscit: certas, quibus alta resurgat
Machina, seruat opes cæli bonus arbiter: his tu
Fide vltro, has adhibe, molem his attolle sub auras.
Ne verò Eumenidum sæuos horresce furores,
Neu terrere minis: sed quà vocat ardua cælo
Gloria, carpe viam: nusquam non praua virtus,
Pandet iter: perq; anfractus, perq; inuia saxa,
Hac duce, non omnes quondam superare labores
Non poteris, donec cælo potiaris amato.
Hic fortunatis sua sidera nosse colonis,
Hic & nosse suum fas solem: hic maximus æther
Auricomos late campos, sedésq; beatas,
Nescia regna mali, iucundo lumine vestit.
Talia vaticino senior dabat ore, pióq;
Fata recensebat puero, sobolémq; futuram.
Ille animo prudens memori narrata locabat.
Præscius at longo tandem sermone fatiscens
Conticuit vates, pressaq; hic voce quieuit.

FRANCISCI MAVRI
HISPELLATIS
MINORIDAE
FRANCISCIADOS. LIB. IIII.

AT puer auditis diuinis ordine rebus,
Protinus infelix aurum execratur, & vltro
Incusat sese, furtumq́; : pigêtq; rapinæ:
Iratáq; manu excutiens inamabile pondus,
I, procul ás, inquit, procul i, modò noxia pestis;
Nulla tui spes, nullus amor, fiducia nulla
Me tenuit: solùm pia, sed malè nota fefellit
Vtilitas animum: nostras sermone relata
Ambiguo, dum vox oracli perculit aures.
Nunc malus error abest; veri nunc reddita lux est.
Nunc, sene fatidico nobis ventura canente
Omina, discussa rerum caligine, sortes
Cœlestes claræ, & iussa intemerata patescunt.
His sese increpitans culpat, sic turbidus aurum
Deuouet. Interea genitor de more recludens
Claustra vigil thalami penetraliáq; abdita cæci;
Aera recognoscit: nimirum hac sueuerat ægrum
Mœrorem cura, atq; animum mulcere senilem.
Vt verò emotos vectes, laxa ora, paténsq;
Exhaustumq́; arcæ fundum conspexit inanis;
Diriguit primò, atq; omnis vigor ossa reliquit:

Membra

Membra calor, vocisq; sonus defecit hiantem.
At postquam exarsit dolor, exciuitq; furorem;
Haud mora: continuò, vires micuere per artus,
Quantas non animus capiat senis. Ergo ubi vestem
Direptam ex humeris manibus scidit, altius atras
Clamorem ad nubes, & cæli sidera tollens,
Excitat obturbátq; domum: ceu limine ab imo
Suppositus laxis crepitet Vulcanus habenis,
Iámq; aulam complexa rapax flamma alta pererret
Culmina tectorum, & densis petat astra fauillis.
Hic animi dolor, & furiatæ insania mentis
Consedere parum: credas solaminis ægro
Corde sub, esse locum: poterat quin ille videri
Iam tum homo, iam genitor, rabidam iam Tigrin ab ipso
Deturbasse animo, & sæuum excußisse leonem:
Detorquet vacuam rursus cùm lumen ad arcam:
Spémq; metumq; inter trepidus, bis térq; relata
Scrutatur sua damna manu: ast vbi clara patescunt
Furta: neq; elusa est acies; Franciscus oberrat
Continuò ante oculos, sceleris mox creditur vnus
Ipse auctor, pœnisq; vnus datur, vnius atro
Sanguine placanda est ardens patris ira furentis.
Ergo omnis recalet furor: ingeminatus ad auras
It stridor senis: huc amens, modò voluitur illuc
Corpore præcipiti: tripodas modò cæcus in altos
Arietat, implicitusq; graui cum pondere sese
Sternit humi, & canos deturpat puluere crines.
Tecta sonant luctu: & magnæ stridoribus ædes
Assultant crebris; nati, famulumq; fidelis

Continuè

Continuò accurrit cœtus: ſed prima furore
Inſueto concuſſa animum mœſtiſſima coniux,
Scitatura mali cauſam, atq; vt conſcia rerum
Auxilio iuuet, & luctus compeſcat amaros.
Ille amens animi, & natorum oblitus amorem,
Oblitusq́; pia conſortia coniugis; arcæ
Tantùm ore incumbit prono, atq; immugit apertæ,
Amplexuq́; fouet, lachrymisq́; irrorat obortis.
Stant nati circùm attoniti, ſtat ſedula coniux,
Affuſumq́; virum nunc triſtis anilibus vlnis,
Vt vallet, attollit: nunc conſolantia dicit
Verba: decent animos non hæc lamenta virorum,
Sæpe monet: ſæpe ò ſancto, precor, illa, pudori
Parce, ait, & noſtri generis decus, oro, tuere.
Non magis aure ſenex ſolantia dicta capeſſit,
Quàm pelagi rapidis aquilonibus ira tumeſcens
Audiat excuſſa nautas de puppe precantes.
Perſtat in incœpto: nec pectore ſecius atros
Effundit gemitus: nec diris lingua prophanis
Abſtinet: infauſtum Franciſci deuouet ortum
Prædonis: dira inceſtant conuicia diuos.
At poſtquam inſano gemitu, lachrymisq́; profuſis,
Et clamore nefas vlciſci, futile viſum eſt;
Vertitur immitis mox ad ſcelus ille cruentum.
Iámq; ardens ira pœnas cum ſanguine poſcit.
Iam nati infandum verſat ſub pectore lethum.
Continuóq; domus effert ſe limine ab alto,
Itq́; amens: certæ nec lux rationis eunti
Vlla animo: nec ſentit iter, nec currere ſeſe
Agno-

Agnoscit: mentis furor atq; insania cæcum
Perq; vrbis fora præcipitant, perq; arcta viarum.
Raptor, io, conclamat, io, quis te mihi raptor?
Quis te nate mihi reddat? nate impie, qua te
Deprendam regione? aut te mihi quò malus error
Prædonem abducit? quæ nunc antra improba celant?
Reddite eum superi, vel vos mihi reddite manes.
Hos questus, hæc vociferans iactabat: & vná
Certum iter ad templum secat: atro in puluere Erinnys
Ostendit signata recèns vestigia nati.
Vt leo; prospexit cùm fortè e rupe iuuencum
Imbellem, nec dum lunata fronte minacem;
Sæuit in absentem prædam, siccósq; molares
Exercens sub fauce, atram consumit inani
Ore famem: sæuum discerpti sanguine donec
Perfundat vituli toto cum pectore rictum;
Sic rabie stimulante, senex se concitat ardens.
Hunc sacer aduerso custos è limine templi
Vt primùm aspexit rapidum deuoluere cursum,
Amentémq; animi agnouit, dirumq; frementem;
Continuò secum: non hic solamine paruo
Est opus: ira grauis senis, implacabile pectus.
Heu puer immanis discrimina tanta furoris
Nunc Francisce caue: patri tu ne obuius aude
Ire modò: nunc fulmineo sub pectore nullam
Aut pacem, aut veniam fas est sperare paternam.
Tantum effatus; & extemplò sese obtulit audax
Ardenti: & placido prior occupat ore furentem:
Hisq; atros dictis irarum comprimit æstus.

Turba assueta malo, & virtutum exercita curis.
At tu ne rere hos sine more, sine ordine cœtus
Venturos (medium breue tempus) læta subibit
Prima acies; quam perspicui dabit accola creber
Clitumni, flauiq; tenent qui littora Tybris.
Nulla tibi hac vna fulgentior agmine toto,
Nulláq; amabilior veniet, nulla acrior armis.
Ipsa caput populis, sceptroq; insignis eburno,
Incessu Regina grauis, simul altior ibit.
Indigáq; arma tenens, patris alta insignia forti
Attollet dextra, populusq; sequentibus ardens
Ostendet sidus, flaua de rupe Subasi.
Protinus hinc, illinc geminas radiare phalanges
Aspicies: hanc fœcundis è collibus ortam
Picenis, non segne piæ, non futile rebus
Militiæ vulgus: qualis sub nocte minores
Astrorum currus inter micat aurea Phœbe,
Iam luce aduersa fraternæ lampados icta.
Illam flauentis tranantem Tybridis vndas,
Conciliata iugis tibi Tuscia mittet ab altis,
Tuscia vesano dudum exagitata furore,
Frangere dum ferro nostra, aduersantibus astris,
Mœnia conatur, flammisq; ac milite sæuo.
Nanq; illam (ò diuum nutus expertia nunquam
Facta hominum) iam tunc vltro meliora sequentem,
Exutámq; ira, exutámq; furore, pigebit
Omnino immanis cœpti, insaniq; laboris,
Quèm frustra effudit, nostrum dum posse Subasum
Eruere, atq; immo iactat se euertere fundo.

Quin etiam excelsæ super alta cacumina rupis,
Opportuna tuis, nemora inter frondea seruat,
Antra olim votis: illic tibi certa quietis
Temperies: illic specus altè hiat ore profundo:
Cui niger horrifica lucus super imminet vmbra,
Multum adeò expirans iam relligionis honorem:
Vnde animo detur superos inuisere cætus.
Illic interea non exercebere nullis
Insidijs: aderit mox importuna Megæra
Bella ciens: tu, nequa pios fraus implicet orsus,
Arma, animumq; para, duróq; accingere Marti.
At cùm densa tuo lateri sese agmina iungent,
Ne tu animi victus, ne curas territus acres
Effuge, neu seriem magnorum horresce laborum.
Quin audax i contrà: inopum dux omnium egenus
Nimirum tu solus eris, tu posceris vnus.
Nanque aderunt acies læta non segnibus ausis,
Nec iam degeneres, claræ aut virtutis egentes.
Accinctæq; vltro casus mox ire per omnes;
Subdent séq; tuis, animósq; & pectora iussis.
Quas tu magnanimas, & rebus certa ferentes
Corda videns summus; læto bonus ore vicissim
Accipies, dictisq; vltro solabere amicis.
Sed quid ego externo venturam è sanguine prolem
Enumerem tantùm? nullón' tua mœnia fœtu
Te patrem efficient? nullóq; Subasida terram
Fulgentem partu, & stellantem floribus olim
Aspicies? imó, (hìc iuuat ò cantata referre,
O iuuat Heroas rursus memorare futuros)

Ne medij ne longa quidem mora; fœtibus ortis
Bissenis hinc tu primùm ditabere: primos
Hos lateri comites addet fortuna volentes
Prima tuo: lætus grauium adiumenta laborum
Hos tu prima leges, tecumq; per ardua duces,
Rectorésq; dabis rerum, & post fata magistros.
Quippe ardor iam tum primæuis acer ab annis,
Concilijs superum sacratos protinus illos
Ostendet: nec non animis iam viuida virtus
Degeneres penitus curas auertet: & acres
Magnum aliquid mentes inuadere, læta monebit,
Atq; vltro sese claris adiungere rebus.
Quales Peneiæ viridi sub stipite lauri
Lenticomi subeunt frutices, matrisq; sub altis
Luxuriant circùm condenso vimine ramis:
Illa petens altas frondoso vertice nubes,
Pubentes cælo fœtus inuitat aperto.
Sic olim ipse tuos magnis hortabere factis
Venturos cœtus, monitisq; vocabis ad astra.
Quid verò infamis telum crucis eminus altum
Aspicio? turpis lethigenus heu trabe summa
Quid vinclum intortum pendet? scelerate Capella
(Sic capitis dicet te primus tegminis vsus)
Quid struis? aut quò te cæcum furor impius vrget?
Immanis quò præcipitem deuoluit Erinnys?
Vnde adeò exosus lumen spirabilis auræ?
Ah miser, ah malè sane, animi depone furorem.
Non licet hoc tentare manu, quod prodigus audes:

Non tua (quò ruis?) hæc anima est, quam funere acerbo
Deijcis: ipsa olim est numeris repetenda peractis:
Alterum enim illa manet: qui iam dedit, ille reposcet.
Olli stat magno: haud auro, sed sanguinis empta
Imbre sacri: abiures domino caue perfidus illam:
Tu custos etenim tantùm: tibi credita: serua
Innocuam: properat (modò tu ne intercipe) tempus,
Cùm sancta, atq; atræ pestis, culpæq; prophanæ
Inscia, terrenos artus, moribundáq; linquet
Membra volens: ac sidereo simul ardua cælo
Attollet sese, & domibus potietur amatis.
Ergo agè linque nefas, immania cœpta furentis
Frange animi: parce infandis scelerare piorum
Concilium probris: ne auertere dicta verendi
Fida patris: da corda volens, auré sq; monenti
Da faciles: ille ad nitidas vocat ætheris arces:
Ille iter ostendit comes & dux præuius idem.
O scelus, omnino restis placet: æquoris æstu
Surdior irati: non sic alpina niuosis
Hærent saxa iugis, alto aut stat caudice robur.
Necq; monitus audit patris, nec mollia dictis
Pectora dat nostris: sacri haud venerabilis illum
Tangit honor cœtus: heu vana procacibus austris
Verba damus: sancta absorbet monita inuius aer.
Occidimus: manus instat agens (miserabile visu)
Obscœno truculenta operi: vidén' ipse retortos
Sub collo nodos? heu iam trabe pendet ab alta
Turpe onus: abde cauis manibus: parce omine fœdo

Parce puer scelerare oculos: agè longius atram
Proijce, néue tuis hanc pestem interſere natis.
Tu verò ò sceleris fax atra inceſtáq; turpis,
Vade anima: i, trux, dira, nocens, inamabilis vmbra,
Quò te noxa ingens trahit: i, plaga ſexta repoſcit
Nempe erebi, informis ſpecus, atq; immane barathrum:
Te nox cæca ſinu penitus demerſa profundo
Expectat: Phlegeton illic torrentibus vndis,
Cocytus lachrymis tibi grandia pocula miſcent:
Styx odium: lamenta Acheron triſteſq; dolores,
Perpetuos ſeruant olim ingeminántq; per annos.
Tu mox Iſcariden comitem comes accipe: iuncti
Ite truces, ſimul ite pares: abſumite pœnam
Omnem erebi: Eumenidas ſcelere inceſtate cruentas:
Terdenis ille inſignis diuéſq; talentis
Ad mortem æthereum Regem queis prodidit: at tu
Nec ſcelere abſimili, furto nec diſpare fulgens.
O puer interea tu ne hunc horreſce tumultum.
Hoc vno auulſo comite, haud tibi deficit alter.
En procul aſpectans fœtum ſuccreſcere cerno
Iam lætum, iam formoſum, iam veſte nitentem
Compare: iam non vulnus hiat, ſeriéſue cohortis
Interrupta patet: nati ſtant ordine rurſum
Fatali, numeróq; acies effulget eodem.
Verùm agè da faciles oculos mihi, & aſpice, fœtus
Biſſenos circum quot ſubnaſcentia paſſim
Germina conſurgant: quàm denſis terra niteſcat
Floribus hæc: quot noſter adhuc inglorius (at mox
Supra Idam, & geminũ Parnaſſum, et culmen Olympi,
Supra

Supra Hæmũ, & Rhodopen, Taurũq́, & Caucaſon altũ
Tollet oliuiferum caput) effulgere Subaſus
Iam tum adeò incipiat ſertis: quin oppida latis
Circùm fuſa agris, & quæ radicibus imis
Hærent flauicomi montis; ſua pignora vulgò
Certatim addicunt vltro tibi, & vndiq; mittunt
Natorum cuneos: en iam ſocia agmina gentis
Aſtant magnanimæ circùm, ſeséq; parata
Obijciunt iuſsis: vidén' vt iuuet illa ſub armis
Eſſe tuis? iuuet inſuetum deferre per orbem
Inſigne, atq; acrem ſub te tolerare magiſtro
Militiam, & iam nunc primùm te Martis ab vno
Tentati, duros cultuq́; habituq́; labores?
Qui tandem innumeros cœtus, populósq; ſequentes
Commemorem? quid facta ducum tua ſigna ferentum
Dicere coner ego? aut, quæ, quas ex ordine terras
Ornabunt aciésq; tuæ, natiq́; futuri,
Qui fatu expediam? ſi famam æquare canendo
Eualeam; primus, gemmas quot proferat annus,
Quótq; Hyblen populentur apes, quota; turbidus auſter
Cùm Scythiæ donat nubes, Libyámq; ſerenat;
Nix quaſſet Rhodopen, aut Hæmum euerberet altum,
Scire queam, & certis numeris comprendere fas ſit.
Quocirca ò columen, ſpes ò fidiſsima noſtræ
Vrbis, ſiſte modò, neu ſingula quære tuorum
Nomina: ſed tantùm partem læuam aſpice montis;
Irriguis perfuſa iacet quà parua fluentis,
Sed morum probitate virens, ſtudijsq́; Mineruæ
Splendida, Aracnæisq́; micans de more puellis;

Fulginia: exiguus manans ibi montis ab imo
Prominet, & longi cuneatus acumine dorsi,
Plurimus in campos collis transcurrit apertos,
Et lato vicina tuas Meuania turres
(Qualis deprenso, nemora inter deuia, noctis
Luce sub ambigua, oblati protenta coloni
Dextra, viatori callis diuortia monstrat)
Prospectu petit, admirans, quos littore sacro
Clitumni pascis, candenti corpore tauros.
Hic non magna sedent summo incumbentia dorso
Mœnia (sermonis Romana licentia prisci
Hispellum dixit) sed; quem pars dextra supini
Collis opacat; ager Cereri flauæq; Mineruæ
Nunc bonus; alta vrbis latè vestigia seruat
Iam dudum euersæ: & congestæ mole ruinas
Occulit infossas terræ, penitusq; sepultas:
Conuestitq; solo viridi, & frondentibus vmbris.
Hinc ferro inuertit terram dum fortis arator;
Sæpe arcus, sæpe antra caua, immanésq; columnas,
Stratáq; saxa aperit, tumulósq; recludit inanes.
Quæ cuncta aspiciens, stupet ille, atq; ore dehiscens
Attonito; vocat inuenta ad spectacula fessum
Sæpe viatorem, lætusq; ostendit hianti
Obruta, seu templi, seu fundamenta palati:
Et circi moles, & grandia Mausolea
Voce, manuq; sonat latè dispersa per agros.
Ergo (si qua meo est animo prudentia) postquam
Bis lustra explerit Phœbus terdena, meatus
Monstra per obliquos stellantia sæpe remensus:

Illic exortum cernes tibi surgere fœtum:
Te duce, pubentes cupiet qui protinus annos
Exigere: optatis tetrici sed dura parentis
Iussa, minæq; pijs obstabunt: ille tremiscens
Ora patris turbata, animo parebit amaro:
Dißimulánsq; hilari vultu simul ardua rumpet
Vota, sagáxq; diu premet alto pectore magnum
Consilium, & tristi seram spem corde fouebit.
Interea (neque enim lætis succeßibus annos
Ire sinet cassos) studijs se addicet honestis
Cecropi Diua tuis: & degustare pudici
Libethri audebit laticem, & Libethron amantes
Sollicitare deas, sacrumq; Helicona ciere.
At simul ornarit fleti pia busta parentis
Munere supremo: solidæ viridisq; iuuentæ
Iam tum prævalidis firmatus viribus artus;
Militiæ confestim inopis iuratus inibit
Sacramenta: vltróq; merens sudabit in armis
Feruidus ære tuo: qua sub stipe, fortibus annis
Exactis; iam deuexus, iam vertice canus,
Intermissa diu Phœbi Aonidumq; reuiset
Otia, Cygneasq; effundet pectore voces.
Magnorum nec facta ducum, non ditia regum
Sceptra canet: sæuo non eruta mœnia bello
Carmine deflebit: non fasces inclyta dicet
Roma tuos: alia arma vocant, diuersáq; surgent
Sceptra illi, grauibus numeris maiora tonabit.
Scilicet hic primus cœlo te carmine tollet:
Perq; virum vehet ora tui cantator opimam

Pauperiem regni: qua tu splendere iubebis,
Qui te cunq; manent cœtus post fata nepotum.
Ô lætam ò faustam lucem, quæ seruat alumnum
Hunc tibi: da dextram pater ò fidißime proli,
Da simul amplexus venienti, omenq́ secundum:
Et veniam exora, feliciáq; oscula iunge.
Hic Franciscus erit soboles tua posthuma, & hæres
Nominis: huic precibus sedes mercare beatas.
Hæc decora, ò puer, hos tibi me enumerare triumphos
Aethereus, fariq́ ales iubet: omnia quæ te
Progeniemq́ tuam, ventura ex ordine quondam
Certa manent: sed nec, quàm multos seruet honores,
Cælicolas inter, diuum pater optimus olim,
Quámq; hominum fulgens tua, crebra per ora sonabit
Gloria, complecti numero, nec carmine quiui.
Interea (ò lætis nunquam non inuida rebus
Fortuna) haud tantis succeßibus aspera deerunt:
Tristia iucundis iungentur: luctus amaris
Gaudia turbabit lachrymis; & sæpe tumultus
Belligeri, vnanimis discindent agmina gentis.
Nusqnam etenim insidias struere, & pia corda tuorum
Vipereis stygiæ pestes furiare venenis
Cessabunt: ruet ante alias accincta colubris
Tisiphone: heu quot acerba tuis, quæ funera natis,
Quas strages, obitusq́ ducum dabit illa tuorum?
Bellum ingens video, bellum immortale parari:
Hostis amarus, atrox, gens indefeßa labore,
Aeterna exercens odia: insaturabilis ira.
Mitto autem ventura olim: & quæ maxima porrò

Bella aderunt seros perturbatura nepotes:
Nunc tantùm perdisce, tuus, qua percitus ira
In te ardet genitor: duro quem robore dextram
Armatum, decorisq; sui, sanctiq; pudoris
Oblitum, & sæuas torto tibi verbere plagas
Intentantem, atrisq; obiectantem aspera dictis,
Mox hic cernere erit: quippe hoc te vulnere primo
Prima lues petet: huic tu primo assuesce dolori.
Huius causa mali infaustum æs, aurumq; paternum.
Proinde age, rumpe moras, moneo, hanc puer abijce pestē,
Vel tu redde patri: non his domus ista reponi
Auxilijs poscit: certas, quibus alta resurgat
Machina, seruat opes cæli bonus arbiter: his tu
Fide vltro, has adhibe, molem his attolle sub auras.
Ne verò Eumenidum sæuos horresce furores,
Neu terrere minis: sed quà vocat ardua cælo
Gloria, carpe viam: nusquam non praua virtus
Pandet iter: perq; anfractus, perq; inuia saxa,
Hac duce, non omnes quondam superare labores
Non poteris, donec cælo potiaris amato.
Hic fortunatis sua sidera nosse colonis,
Hic & nosse suum fas solem: hic maximus æther
Auricomos late campos, sedésq; beatas,
Nescia regna mali, iucundo lumine vestit.
    Talia vaticino senior dabat ore, pióq;
Fata recensebat puero, sobolémq; futuram.
Ille animo prudens memori narrata locabat.
Præscius at longo tandem sermone fatiscens
Conticuit vates, pressaq; hic voce quieuit.

FRANCISCI MAVRI
HISPELLATIS
MINORIDAE
FRANCISCIADOS. LIB. IIII.

AT puer auditis diuinis ordine rebus,
Protinus infelix aurum execratur, & vltro
Incusat sese, furtumq́: pigétq; rapinæ:
Iratúq; manu excutiens inamabile pondus,
I, procul æs, inquit, procul i, modò noxia pestis;
Nulla tui spes, nullus amor, fiducia nulla
Me tenuit: solùm pia, sed malè nota fefellit
Vtilitas animum: nostras sermone relata
Ambiguo, dum vox oracli perculit aures.
Nunc malus error abest; veri nunc reddita lux est.
Nunc, sene fatidico nobis ventura canente
Omina, discussa rerum caligine, sortes
Cælestes claræ, & iussa intemerata patescunt.
His sese increpitans culpat, sic turbidus aurum
Deuouet. Interea genitor de more recludens
Claustra vigil thalami penetraliáq; abdita cæci;
Aera recognoscit: nimirum hac sueuerat ægrum
Mœrorem cura, atq; animum mulcere senilem.
Vt verò emotos vectes, laxa ora, paténsq;
Exhaustumq́ arcæ fundum conspexit inanis;
Diriguit primò, atq; omnis vigor ossa reliquit:

Membra

Membra calor, vocisq; sonus defecit hiantem.
At postquam exarsit dolor, exciuitq; furorem;
Haud mora: continuò, vires micuere per artus,
Quantas non animus capiat senis. Ergo vbi vestem
Direptam ex humeris manibus scidit, altius atras
Clamorem ad nubes, & cæli sidera tollens,
Excitat obturbátq; domum: ceu limine ab imo
Suppositus laxis crepitet Vulcanus habenis,
Iámq; aulam complexa rapax flamma alta pererret
Culmina tectorum, & densis petat astra fauillis.
Hic animi dolor, & furiatæ insania mentis
Consedere parum: credas solaminis ægro
Corde sub, esse locum: poterat quin ille videri
Iam tum homo, iam genitor, rabidam iam Tigrin ab ipso
Deturbasse animo, & sæuum excußisse leonem:
Detorquet vacuam rursus cùm lumen ad arcam:
Spémq; metumq; inter trepidus, bis térq; relata
Scrutatur sua damna manu: ast vbi clara patescunt
Furta: neq; elusa est acies; Franciscus oberrat
Continuò ante oculos, sceleris mox creditur vnus
Ipse auctor, pœnisq; vnus datur, vnius atro
Sanguine placanda est ardens patris ira furentis.
Ergo omnis recalet furor: ingeminatus ad auras
It stridor senis: huc amens, modò voluitur illuc
Corpore præcipiti: tripodas modò cæcus in altos
Arietat, implicitusq; graui cum pondere sese
Sternit humi, & canos deturpat puluere crines.
Tecta sonant luctu: & magnæ stridoribus ædes
Assultant crebris; nati, famulumq; fidelis
Continuò

Agnoſcit: mentis furor atq; inſania cæcum
Perq; Vrbis fora præcipitant, perq; arcta viarum.
Raptor, io, conclamat, io, quis te mihi raptor?
Quis te nate mihi reddat? nate impie, qua te
Deprendam regione? aut te mihi quò malus error
Prædonem abducit? quæ nunc antra improba celant?
Reddite eum ſuperi, vel vos mihi reddite manes.
Hos queſtus, hæc vociferans iactabat: & vnà
Certum iter ad templum ſecat: atro in puluere Erinnys
Oſtendit ſignata recens veſtigia nati.
Vt leo; proſpexit cùm fortè è rupe iuuencum
Imbellem, nec dum lunata fronte minacem;
Sæuit in abſentem prædam, ſiccóſq; molares
Exercens ſub fauce, atram conſumit inani
Ore famem: ſæuum diſcerpti ſanguine donec
Perfundat vituli toto cum pectore rictum;
Sic rabie ſtimulante, ſenex ſe concitat ardens.
Hunc ſacer aduerſo cuſtos è limine templi
Vt primùm aſpexit rapidum deuoluere curſum,
Amentémq; animi agnouit, dirumq; frementem;
Continuò ſecum: non hîc ſolamine paruo
Eſt opus: ira grauis ſenis, implacabile pectus.
Heu puer immanis diſcrimina tanta furoris
Nunc Franciſce caue: patri tu ne obuius aude
Ire modò: nunc fulmineo ſub pectore nullam
Aut pacem, aut veniam fas eſt ſperare paternam.
Tantum effatus; & extemplò ſeſe obtulit audax
Ardenti: & placido prior occupat ore furentem:
Hiſq; atros dictis irarum comprimit æſtus.

Huc dudum generose senex tuus affuit vltro
Aere grauis natus: mihiq́; , heus, prior ilicet inquit,
Quin tu semiruti latera occumbentia templi
Erigis? en agedum tibi opem damus (ac simul ingens
Detegit argentiq́; auriq́; onus) accipe, męq;
Hospitio sine paulisper tecum hoc pater vti.
Neu tu rere manus has segnes, néue lacertos
Imbelles, néue hos humeros horrere labores.
Sunt virides anni, roburq́; in corpore firmum,
Sunt animi, atq; animis sua fert fiducia vires.
Ergo adero, & manibus conamina tanta iuuabo.
Sic puer institerat dictis, dehinc obtulit aurum.
Contrà equidem abstinui vel tactu: multa sed illum
Præmonui: multa edocui: multa insuper acri
Præcinui, seris olim obseruanda diebus.
Ille autem non segnis opum contemptor, & auri,
Protinus abiecit distentum pondere follem
Flauicomo: quem seruat adhuc: seruasset & olim
Angulus ille tibi: vidén', i, cape, solue, recense.
His dictis dolor emotus: pressæq́; residunt
Atq; iræ, atq; minæ: linquit mox aspera præceps
Corda furor: redeunt animi, mentisq́; serenæ
Lumina, fronsq́; hilaris discussa nube refulget.
Extemplò sic ira canis, rabidiq́; quiescunt
Latratus, offa cereris cùm forte viator
Prouidus obiecta, rictus impleuit hiantes.
Interea sese Franciscus limine cæco;
Quà veteris latitans secreto fornice templi,
A', tergo sacris aditus de more patebat

Vsibus;

Vsibus; extulerat, patrisq́; euaserat iram.
Laurus erat iuxta longos seruata per annos,
Sacra, virens, diuésq; comæ, multóq; vetustæ
Culmina quassa ædis complectens tegmine & vmbra.
Hic solium tumulumq́; breuem, non marmore secto,
Arboris, aggesto viridi sed cespite, trunco,
Struxerat idem olim cultor bonus, ipse sacerdos.
Ergo huc se puer intulerat, viridiq́; sedebat
Subnixus tumulo: & vultum demissus honestum,
Multà animum exercet, perq́; has, sæpe ire per illas
Ambiguum cogit partes, vrgetq́; morantem.
Instant diuini senis alta exorsa, rudemq́;
Prima cient pueri mentem, longóq; fatigant
Ordine: longa petunt examina: surrigit ille
Sæpe animum, & rerum obnixus vestigat opertos
Tantarum euentus, indepresosq́; labores
Explorat vi multa operum: nec se videt illis
Viribus omnino æqualem: fiduciáq; omnis
Nutat: in ambiguo est omnis spes: omnia turbat
Infringitq́; metus: trepidátq; in pectore virtus.
Dant animos contrà demissa oracula vocis
Cælestis, dant ora senis diuina loquentis.
Viderat afflatum circumspirantibus auræ
Ignibus ætheręæ, & desueta voce sonantem:
Et scintillantes oculos vultumq́; notarat.
Qualis mœror habet puerum, quem durà magistri
Iussa premunt tetrici, coguntq́; exoluere lemma
Nodosum: ille animum multa formidine torquet,
Multa sub arcana taciturnus mente volutans,

Sopiti crebrò ingenij rude pulsat acumen;
Talibus urgetur curis Franciscus, & unà
Spemq; metumq; inter, nunc hoc, nunc deligit illud
Consilium, alternátq; vias, aditusq; viarum.
Cùm geminæ hinc, illinc matronæ protinus astant,
Atq; improuisò circumsiluere sedentem.
Obstupuit puer, & rubor ilicet ora notauit.
Illæ; ut perpetuis graue & implacabile bellum
Exercent odijs, sibiq; aduersantia semper
Regna tenent; sic diuersis mox utraq; donis
Aggressæ puerum; blandos hinc inde tumultus
Miscent, & vario compellant ore vicissim.
Vna prior (quid non præceps audacia tentat?)
Exiguas hæc odit opes, duròsq; labores:
Obscœnisq; choris, epulisq; addicta profusis,
Sarrana sub veste micat, quam circinat album
Mæandro argentum duplici, quamq; aurea morsu
Fibula subnectit, currente per ilia cesto:
Mollis Achæmenios ceruix exhalat odores,
Asper obit circùm quam gemmis aureus orbis)
Occupat. Heus curis quid mentem decoquis ægram
O puer insuetis? unde hæc modò turbida imago?
Quis nouus hic mœror? quæ nox simul improba fronti
Incubuitq; repèns, tristiq; aduoluitur umbra?
En ego (pelle animo curas) modò blanda Voluptas,
Quæ soleo, en adsum: votis agè dona ferentem
Certa tuis, plenáq; manu bona gaudia cerne:
Altricemq; tuam, primamq; agnosce magistram:
Non te acres, duce me, curæ sæuiq; labores

Vrgebant:

Vrgebunt: rubri non vrent feruida cancri
Sidera: non hyemes austri, gelidósq; triones,
Terricrepos non tu cæli patiere fragores.
Sed facili, sine nube dies, tibi limite current.
Otia te expectant iucundæ mollia vitæ.
Ecquid opes tibi deesse queant, iunctißima cùm sit
Vni, conferto diues mihi copia cornu?
Huic ego prima comes: sors vna, eademq; voluntas
Ambabus: sceptroq; pari, solioq; potimur:
Communesq; tenemus opes, & fundimus ambæ.
Tu ne dißimules: equidem; vagitibus auras
Cùm tua vox rupit primis; mox sedula custos
Adsum vltro, ad cunas simul excubitura per annos
Multùm primæuos: tum verò prodiga, adulto
Quæ, non dona tuli? quos non, sine more, reclusi
Thesauros? an nostra olim cura omnis inanis?
Omnis seruitij fusus labor? irritaq; omnis
Gratia? sed iam nunc mæroris prouida causam
Nosco equidem nosco subitam: fraus nulla profectò
Non te ambit: nullus non te premit hostis: agè, instat
Nempe inimica mei, & nunquam non aspera regni
Quassatrix virtus: blandis hæc improba dictis
Te ciet: vt malè suasus abis? vt perfida sectans
Consilia, ingratos vesana concipis annos
Mente, auidus dum tu promissa ingentia duræ,
Oblatosq; ambis animo virtutis honores?
Quas tibi non pœnas, quæ non parat illa sequenti
Supplicia? i, te durum iter, ardua saxa, ruinæ;
Te tribuli spinæq; manent: te turpis egestas,

Te vocat atra fames: iam mille incommoda vitæ
Impendent, casu te deiectura profundo.
Hac duce, contemptis opibus modò Paulus auitis;
Suffugiens cœtus hominum, & spelæa, ferarum
More colens; tandem macie confectus, & annis
Esurientem animam vacuas effudit in auras.
Tuq; agè nunc ò dic Antoni quæso, labores
Qua mercede tuos virtus leuat, ire per oras
Ardentes cancro, & sæuis aquilonibus vstas,
Dum te adeò hortatur, crebrisq; furoribus vrget?
Possem alios (vacet interea) tibi mille referre,
Quorum; virtutis cæci dum castra frequentant;
Sæua infelices animas elisit egestas,
Siue sub horrificis antris, seu sub ioue nudo.
Talia, ni duris quamprimùm auerteris orsis
Inconsultum animum, seruat tibi munera virtus.
Te rogus hic manet, hac nimirum ornaberis vrna.
Contrà autem, si me quondam tibi sana ferentem
Consilia audieris; non te discriminis vllus
Vrgebit casus: non importuna quietos
Abrumpet somnos cura, aut turbabit iniquis
Excubijs animum: soles (agè pectore tristem
Pelle deam) modò felices en ordior vltro
Ipsa tibi: ne curua repèns turpisq; senectus
Ingruat (idq; meum est) faxo: languoris at expers
Omnino adueniet, vegetoq; colore nitescens.
Hæc ore infausto dederat: sic voce prophana
Mœrenti institerat puero ill audata voluptas:
Cùm subitò aduersis exurgens altera votis,

Virtutis nomen diuina voce professa est.
Non picturatæ mollisq; licentia pallæ
Velat eam, non eois fulgoribus ardent
Pectora, contortum non collo nexilis auri
Pendet onus: capiti super altè aggesta rigescit
Canicies: frons hirta subest, cui masculus horror:
Incessus verò, & diuini spiritus oris
Monstrauere deam, qualem se comminus vltro
Infert siderei spectanda per atria cæli.
Ergo vbi cælestem vultum manifesta virago
Extulit; hærentem puerum, ac malè suada procacis
Dicta voluptatis, promissaq; munera iam tum
Auertentem animo dedignantemq; seuero;
Leniter incessit dextra, ac sic intulit ore.
Téne etiam nobis puer inuidiosa voluptas
Eripiet? téne insidijs inuoluere blandis
Incautum parat, & nostris auertere signis?
Inuidet illa adeò iam te mihi (nosco) tibiq;
Immortale decus, simul & venerabile nomen,
Aethereumq; aditum, & summi tecta aurea cæli.
At non hæc; quondam, patris dum sedibus asto
Siderei, penitusq; oculis Heroas adactis
Aeterna inspicio claros sub mente, legoq;
Venturorum animo labentia nomina; de te
Præcinui: talem non te longum ire per aeuum
Promisi, ostendiq;, aut hoc te nomine finxi.
Sed fore, quo nostrum totum peruaderet orbem
Nomen, & ignotus vitæ iam surgeret vsus;
Quiq; olim attollens desueta insignia, primus

Ductor ab excelsa flauentis rupe Subasi
Mille canens acies hominum, indiga ad arma vocares.
Talin' ventosis queat ergo immunda voluptas
Promissis mulcere animum? talem improba fictis
Blanditijs petere audebit? priùs aurea cælo
Sidera diripiet, furtóq; abducet ab alto:
Antè polos cæco nitidos miscebit auerno:
Quàm te diuinis auertat cœtibus illa,
Enthea quàm regni videat dispendia virtus
Tanta sui: stant quippe meæ præsagia mentis:
Stant immota deum, stabuntq; oracula quondam:
Nec turbat casus, nec vis ea dimouet ulla:
Cuncta sed ætherei nutu labentia patris
Prouenient facili. Tu verò hîc exue mentis
Tristitiam, pelle infestos è corde timores.
Læta decent quos læta fouet mea dextera: qua tu
Auspice nunc (agnosce puer bona gaudia) magnis
Assurgis cœptis, opera ad memoranda vocatus.
Quem te (nec sentis) quantis fulgoribus olim
Insignem aspicient homines? quæ fama per orbem
Prouehet, attollétq; astris quæ gloria: cum tu
Gentibus innumeris fidus monstrabere ductor:
Nec non æthereo iam tum mortalibus agris
Delapsum cælo, clarum obseruabere sidus?
Interea blandæ patulas des cantibus aures
Sirenis (moneo te nunc bis térq;) caueto.
Neu tu vipereis imprudens ora venenis
Imbue: circæis quin heu mala pocula succis
Plena fuge: insidias tendit (ne crede) voluptas.

Et quo; te captum sinuosa fraude, ruina
Deuoluat prona; struit illa aperitq; barathrum.
Quippe haud irati rutilantia fulmina cæli,
Haud acies structæ belli, & furialis Enyo,
Officiunt homini magis, atq; effrena voluptas.
Scilicet hæc pleno fortunatißima cornu,
Donat opes magnas, eadem fidißima partis
Seruatrix custósq; venit. Sed tunc reor ista
Munera dat, cùm sceptra rapit, cùm diruit vrbes,
Cùm regna euertit, cùm dat considere in ignes
Mœnia, & æqua solo latè fumantia ponit.
Dicite pergameæ vos hæc modò funditus arces
Euersæ: sed facta procul iam tum extera sunto:
Vestra per, ire iuuat. Magicósne exaudijt illud
Roma tuum culmen rerum insuperabile, cantus?
An ne voluptatis sensit lethale venenum?
Nempe recens paruo donec succrescis asylo
Vrbs contenta viris rudibus, durisq; bubulcis
Regnata, Eoo nec dum hesperióq; sub orbe
Formidata: italis sed tantùm cognita vicis,
Vix dum Fidenis, Curibus vix dum æqua seueris;
Dura voluptatem spernis, sagæq; vocantis
Munera conniuens, obstructa auerteris aure.
At postquam bello clarum, dextráq; potenti
Cælo nomen ijt, seséq; immiscuit astris
Gloria; diuitijs visum est effulgere pulchrum.
Inde animus creuit mox execrabilis auri
Nil non ausa fames: tum primùm spargis amomo
Luxuriata comas, mitráq; imbellis auita

Tempora præcingis: Romano è vertice terror
Heu Gradiue tuus tunc exturbatur, & altus
Cristarum procumbit honos: & fulgidus auro
Languet Achæmenijs perfusus odoribus horror.
Hoc ergo ære merent tecum ò generosa voluptas
Tyrones: hac sede locas, tantisq́; locatos
Emeritos ornas donis, cumulasq́; triumphis.
Nunc contrà, flecte huc acies, agè respice gentis
Castra meæ: vidén? vt durus labor vrgeat illam?
Instent vt curæ? sed non & futilis ardor
Curarum, nec frustra animos premit: aspice magnis
Quæ decora accedant, quæ circùm gloria factis
Exurgat, tantos quæ molliat aura labores.
Hunc né ergo te vana meis abducere posse
A' castris sperare audes? hunc fraudibus ambis
Subdola, & auersum tua sub iuga mittere tentas?
Cur non & stellas summo diuellere cælo
Conaris? maria vndisonos dediscere fluctus
Quin tu eadem ventosa iubes? quin flumina prona
Stare modò, & cursum velocem sistere cogis?
Exue vafra dolos: ne tu spes concipe tantas:
Ne scelus hoc, ne finge nefas: iuratus honesto
Aere meret sacræ virtutis: & en ego tantis
Asto potens sacris: puer hic nunc me duce tentat
Prima rudimenta: & pubentes implicat annos
Militiæ addicitq́; meæ, & se deuouet vltro.
At verò ingressum mecum vnà, haud protinus illum
Molle iter excipiet: sed dura atq; aspera primo
Aspectu obyciam: primumq́; occurret iniquus,

Arctus,

Arctus, inaccessusq; aditus: calcandaq; longùm est
Semita caeca viae, multaq; ambage reflexa.
Quin illum horrifici boreae stridentia flabra
Pertundent, euriq; truces: nudoq; sub axe
Aetheris, illum hyemes madidae, canaeq; pruinae,
Et gelidis noctes perfundent roribus atrae,
Ardentisq; adeò exurent fulgentia Cancri
Astra: gelu quò iam saeuo duratus, & aestu;
Acrior excipiat casus: magnisq; periclis
Ne dubitet, durisq; malis vltro obuius ire.
Haec equidem puero (neq; enim mihi fallere mos est)
Munera aperta fero: priùs haec exhauriat ille,
Et quae, nunc longum, fata enumerare, necesse est.
Nec verò effusus labor hic, non irritus ibit.
Imò vbi; defunctus fatalis limite cursus,
Debita complerit duratae tempora vitae,
Nec iam improuisò deprensus in aequore vasto,
Sed laetus, sed abire optans, lucemq; paratus
Linquere mortalem; terrenos exuet artus;
Continuò ipsa adero, palmamq; & digna laborum
Munera praetendens dextra: tum laurea fesso
Serta comas cingent: merito tum laetus honore,
Sidereis mecum subuectus ad aethera bigis,
Nec famae nec laudis egens, conscendet Olympum.
Illic exuuiasq; tuas, tuaq; arma voluptas
Constituet tumulo, Regi immortale trophaeum
Aethero: diuumq; choris permistus, & inter
Bissenos Heroas, aget simul ipse triumphos.
Haec virtus dabat ore: puer (diuina loquentis

Orsa deæ miratus enim) silet, hæret: & hiscens
Nil contrà nil voce refert: audita locabat
Tantùm animo arcano: & præsentis numine diuæ
Ardet: inexpletumq́; cient pia gaudia mentem.
At verò hæc vbi cuncta amens petulánsq; voluptas
Audijt; impatiens iræ, fremituq́; gemiscens;
Continuò exclamat: nil vos nil demoror vltrà:
Vincis, ait, virtus ò nostris inuida regnis,
Vincis: erit tempus, tibi, cùm noua signa ferentem
Hunc dabitur vehere, & latè spectare per orbem
Insignem palmis, cogentémq; agmina castris
Innumera: Eoæ venient sub signa cohortes:
Et Tartessiacis properabit miles ab oris.
Ast vbi vitalis defunctum luminis aura,
Et claris fulgentem astris, super astra locaris;
Nimirum illius, quæ iam ventura propago est
Tunc nostrum attollet, latéq; insigne per orbem
Læta vehet: tunc sponte meis iurata maniplis
Adijciet sese: & leges, monitusq́; paternos
Aspernata, mihi captiua inseruiet vni.
Sic lætam pueri sobolem indignata voluptas
Deuouet: & vacuas mox victa recedit in auras.
At virtus hærentem animo, vultumq́; pudicum
Deiectum excutiens dextra; solatur amicis
Extemplò dictis, & mentem suscitat ægram.
Qualis flamma repèns salit, atro sulphure tacta
Scintilla: aut cæcam sub noctem qualia scißis
Nubibus astra micant: tales sub fronte serena
Francisci micuere oculi, & vis reddita menti est.

Illius interea comites de more frequentem
Conuentum læti tecta ad consueta vocarant.
Alta fuit domus, arboribusq; obducta latebat,
Suffugiens populi turbas, penitusq; recedens
Mœnia ad extrema, & secreta silentia captans:
Quò siue indulgens epulis, seu ludicra plebem
Spectatum admittens, pubes stipata coibat.
Ergo instructa domus stabat, pictisq; renidens
In morem aulæis, ostróq; accensa superbo,
Limináq; alta patent: & iam delecta iuuentus
Læta toris aderat positis: tum rite ministri
Festini expediunt tonsis mantilia villis,
Et plenis Cererem calathis, Bacchumq; lagœnis.
Consedere altis iuuenes, atque ordine longo
Discubuere toris: manibus data flumina tentis
Accipiunt: feruens famulum manus instat, opimis
Et dapibus mensas onerans, & pocula miscens.
Vescitur, atque epulis impletur læta iuuentus.
Spumantes baccho dulci crateres inundant.
Et iam ritè diem niueus signare lapillus
Cùm posset, furuum Franciscus subdidit absens.
Quippe omnes (noua res aliásq; insueta) quòd vnus
Lætitiam turbans, & tanta gaudia lucis,
Ille absit, pariter demiranturq; doléntq;:
Omnis in absentem fertur manus, vnius omnes
Nomen amant, vnumq; omnes vno ore reposcunt.
Iam verò depulsa fames, & factus edendi
Finis erat: latè famuli iussere patentem
Esse aulam: fluit vndanti mox turba recessu,

Exoriturq́ repens strepitus, perq́ atria latus
Paulatim inserpit rumor: iámq; ardua tecta
Vocibus assultant. Poscit tum præsul ab alto
Plectra toro, acciriq́ iubet qui carmine mentes
Mulceat insueto. Iuuenum pulcherrimus Idas
Idas Thosonides; puero puer vnus ab annis
Francisco teneris, magno dilectus amore:
Scilicet è populo quo non ardentius vllum
Pulchræ inhiant oculis, insectanturq́ puellæ,
Nec generum matres tam crebrà Subasides optant;
Astitit euinctus flauentia tempora lauro.
Hunc puerum sacri permessi ad flumina raptum,
Pectine Calliope, cithara donarat Apollo.
Inde toros dulces, & vincla iugalia vitans,
Ludere fœmineas spes, & contemnere amores.
Tantùm illi musæ cordi, plectrumq́ canorum
Et citharæ: tantùm numeros adiungere neruis
Argutis curæ, & dulces aptare camœnas.
His & sæpe hominum cœtus, his detinet agros
Demulcetq́ animos. sin verò (is crebrius illum
Raptat amor) puri labentia murmura riui,
Aut nemoris solus frondosa silentia nactus,
Fortè toro viridi, patuláue sub arbore sedit,
Et fidibus plectrum, plectróq; æquabile carmen
Iunxit; ad insuetas nemorum alta cacumina voces
Deijcit, & pronas fluuiorum distinet vndas.
Nec secus atque Orpheus emolljt Ismara cantu.
Ergo vbi consuluit vocales pollice neruos,
Molliter increpitans: & consona fila reperta;

Sic tandem obloquitur, numeris concordibus orsus.
Phœbe pater mea plectra moue: date carmina menti
Libethri secreta Deæ, præpandite castos
Nunc (si quando mihi) totosq́ recludite fontes:
Quandoquidem nunc; Parthenius, quæ carmine sacro,
Sub nigra residens cecinit meus ilice quondam,
Dum pulchræ assultant valles, scopuliq́ Subasi,
Et caua responsant sacris concentibus antra;
Dicere suadet amor, suadentem attollite amorem.
Illum equidem, dum fortè vago latus erro per alti
Montis oliuiferum gressu, procul auribus hausi,
Diuinis letas mulcentem vocibus auras,
Dulciaq́ erectas flectentem ad carmina fagos.
Hîc tacitè; memor, illius vestigia lustro
Dum furtim, sic me sæpe obseruasse canentem;
Comminus aggredior, speculorq́ è rupe propinqua.
Ille hominum curis iam prorsum exutus, & ore
Haud mortale sonans; cælesti euoluere cantu,
Vt puer ætherei Regis delectus, ad vndas
Aegeas quondam depulsus, vicerit iram
Principis immanem Ausonij: durumq́ ferendo
Fortiter exilium, rabiem satiarit iniquam.
Tum canit; angusto telluris limite clausus,
Fluctibus æquoreis circumspumantibus, ægram
Duxerit vt vitam, & rerum, nil quassus, egenam.
Vtq́ idem Rex ipse deûm (ne triste leuaret
Exilium pueri nullum solamen amati)
Qualis erat, cùm nubiuago leuis aurea curru,
Orbe triumphato, quondam remeauit ad astra,

Et patriam intrauit nequicquam inglorius aulam;
Sese olli obtulerit, manifesta in luce refulgens:
Vtq; altam, nato compar, magnóq; parenti,
Aethereis mentem succenderit ignibus aura:
Secreta vt dederit monstrosáq; cernere visa,
Et breuibus quondam folijs spectanda notari
Iusserit: innumeris quæ de hinc labentibus annis
Posteritas legeret, paritérq; ignota videret.
Ille autem cantu modò Pathmia saxa replebat
Antra colens, modò littoream Delphinas ad oram
Deuius æthereа mulcendos voce trahebat.
Tum sequitur memorans; puer exul vt ardua supra
Sidera mente vagans, subtérq; humentia cernens
Nubila, Memmonio spectarit ab orbe ministrum
Surgentem, vmbratumq; humeros extantibus alis,
Insignémq; notis, supremi qualibus ardet
Vera dei proles, magnumq; incendit Olympum.
Parte alia, vt; structos, nempe ac nouisse paratos
Terrigenis, pelagóq; satis, generiq; virenti;
Quattuor aligerum pariter de gente ministros
Viderit, aduersisq; polos vtrosque tenentes
Frontibus, ac metas hinc, inde Hyperionis ambas.
Vtq; hos exurgens contrà, atque audentius ales
Signifer increpitans, ingenti voce moneret.
Ah pueri, ne terrigenas, ne lædite ponti
Monstriferi partus: plantas seruate virentes,
Parcite gramineos caules diuellere adunco
Vomere: ne sæuo molles decerpite flores
Vngue: mala fœtus ne perdite falce latentes.

Ah pueri iam terrigenas agnoscite ciues
Nostros, queis dudum transcripta sedilia cæli
Aurea seruamus: generis quæplurima nostri
Pars dolet amissa, & dijs aduersantibus optat:
Quin agite ò potius, socium modò frontibus altè
Figite signa, auro nostros redimite sodales:
Fulgentesq; notas, & Regis inurite nomen
Pectoribus: quod nos colimus, quod tartarus horret.
Tempus erit, cùm siderei læto agmine regni
Inuadent aditum, atque audaci mœnia saltu
Ardua conscendent, gemmatáq; tecta subibunt.
Nos contrà haud telis arcere parabimus illos,
Inuidiáue truces cælo exturbabimus alto.
Sed placidè exceptos, dignatósq; æthere, nostris
Concilijs vltro magno asciscemus amore.
Hactenus euoluit sacro meus extera cantu
Parthenius: repetens patriam, sic voce Subasum
Fatidica mulcet, venturáq; gaudia narrat.
Excute oliuiferis cinctum caput excute ramis
Flaue pater: iam nimbiferos discinde vapores,
Atq; serenatum super ardua tolle cacumen
Astra. Tibi adueniet (patulæ sub tegmine quercus
Dum circùm in lætos glomerantur Oreades orbes,
Exercéntq; leues thiasos, procul abditus almam
Ipse Palen dudum modulantem hæc carmine vidi,
Et vidi, & pauidis spectabam lætus ocellis)
Adueniet (ne vana putes præsagia nostræ
Vocis: amat te sacra Pales super alta Licæi
Pascua, iámq; tuo permutat Mænala luco)

Progenies

Progenies demissa polo: iam nostra pararunt
Mœnia nascenti cunas: puer oq; sagaci
Vana rudimenta, & ciuilis lucra negoci
Damnosa obijcient: queis tantùm limine primo
Libatis; retro, presso velut angue, reducet
Continuò ille pedes: vilesq; è pectore curas
Deturbans, animo grauiora inolescere coget.
Pastor erit: saltus olli hinc, æstiuáq; cordi
Pascua erunt: nec parua satis: nec finibus arctis
Contentus: patrióq; solo consistere tantùm
Non illum millena gregum quondam agmina, nec iam
Succrescens fœtura sinet: tua læta profectò
Non sat erunt pecori venturo culmina alendo.
Hinc è vicino prospectans vertice magna
Incrementa gregis pater imbrifer Appenninus,
Prima tibi auxilia expediet, primósq; receptus
Ille ouibus pandet: sociósq; in munere tanto,
Picenos secum colles asciscet amœnos.
Nec non Tyrrheni tractus hinc pinguia latè
Auxilio ventura tibi, iam pascua seruant:
Inde Sabinorum vulgò gens aspera, saxis
Præruptis caulas mille extruet: accola mille
Littoris Adriaci: latis quot Daunia campis
Septa paret, nec scire mihi, nec dicere fas est.
Sed quid ego hæc modò pauca loquor? rerũ accipe sũmã,
Quos oriens, quos deinde cadens sol aspicit altus,
Quos premit Arctos iners, madido quos concitat auster
Ore, Subasæi pascentur montibus agni.
Quid verò tu sola nocens Hispania? quiduè

Infidos saltus, atque illætabile pandis
Hospitium? quid in arma furens, crudeliter agnis
Innocuis molire necem? da pascua saltem
Ah tu Pyrene da fida, aut tu bona Calpe
Excipe balantes, & tuto in culmine serua:
Donec semiferos animis gens impia mores
Exuat: & furijs longè, monstrisq; fugatis
Tartareis; sanctum deferre assuescat ad aras
Libamen puras, & numina certa vereri.
Quid referam quòd Roma ingens, Scythiæq; niuosis
Formidata iugis, tecum pia fœdera iunget?
Hinc tu olim arte potens, proprijsq; salutifer herbis,
Multa lue infecti pecoris contagia tolles.
At qui septenos pastor moderamine colles
Compescit sacro, iustisq; inflectit habenus,
Vulnus opem quodcunq; tuæ præsenserit artis,
Nec tentare manu, non ferro, aut vrere flammis
Audebit, non iam Tyberinis eluet vndis.
Fatidico iuuenis sic tantis ore loquutus:
Tandem improuisò finem dat voce repressa.
Tum simul eneruat chelyn, illustremq; coronam
Subligat, & Phœbo munus suspendit eburnum.
Tollitur extemplò clamor, pérq; ampla volutus
Atria, Franciscum ingeminat: puer eminus alta
Viderat è specula venientem: ergo ocyus omnes,
Instaurate dapes, sublata reponite, clamant,
Pocula: festinant famuli, rursumq; iuuentus
Lecta ministerijs repetitis ordine sudat.
Primus Thespiades sed enim lætissimus Idas

Dimissas

Dimissas reuocat, melioráq; carmina poscit.
Interea insignis præda Franciscus honesta
Ibat ouans, multumq́ gerens sub corde magistra
Virtutis numen: cui sese hinc, inde sodales
Obyciunt, suadéntq; ædes diuortia ad altas.
Ille animum incœpto fixus, vestigia nusquam
Torquet: nec mentem vis, aut ciet vlla voluptas,
Non thiasi, non læta trahunt conuiuia: dulces
Odit concentus: sicula de rupe puellæ
Semiferæ sic Dulichias; dum persona velis
Saxa insopitis, argutáq; littora vitant;
Carmine tergemino, frustra allexere carinas.
Obstupet insueto iuuenum manus excita casu.
Iámq; illum attonito similem, pariterq; figura
Exutum aspiciunt solita: iam tum ora, coloremq;
Immutasse vident: mirantur lumina claris
Aequa astris, nec non radijs ardentia lucis
Auricomæ, vultumq́ nouo fulgore micantem.
Mirantur tacitæ præclusa silentia linguæ.
Concussi hinc animos horrent, trepidántq;, pauentq́:
Attonitiq́, noua chari super indole amici;
Multa inter sese vario sermone volutant:
Monstrum quippe insuetū haud credunt numinis expers.
Sunt qui (diuinæ nam vis corda excitat auræ)
Continuò pueri fata aduentantia narrant.
Ille viam interea secat alto numine plenus,
Non iam animum quassus fatis, aut turbine rerum
Ambiguo, cæcis nequicquam erroribus actus.
Gaudia iam ridens humana, & corde quieto

Spemq́,

Spemq́, metumq́ domans, fortunam calce minantem
Securus valida premit, increpitátq; superbam.
Mens verò excelsa, vitio sublimior omni
Arce sedens, vulgi curas despectat inanes.
Ergo iter accelerans, notas genitoris ad ædes,
Seu casu, seu more puer, iam tum immemor iræ,
Oblitusq́ senis rabiem, tendebat: & ecce,
Vt forte è primo tum sese limine agebat,
Obuius huic ille, haud certo sine numine diuum,
Ac prior, heus, inquit, quæ te fiducia adegit
Has iterum sedes petere? hæc inuisere tecta
Perfide adhuc audes? sceleris nec territat vltrix
Te pœna, accessus nec te pudet improbe raptor?
Tu'ne ergo olim hæres, multùm cui nostra laborat
Dudum canities? cui sæua incommoda suffert?
Sed piget obsequij, piget & genuisse nocentem,
Et genitum tanto simul enutrisse labore.
Semifer horrendo potior mihi Cacus in antro
Creuisset, manibusq́ meis illectus, & ore,
Hyrcana de rupe leo mansuetior isset.
Sed iam equidem faxo, ne tantum impunè piaclum
Edideris: te dira fames, te turpis egestas,
Et, quæ paulatim faciem depascet, & artus,
Te manet extenuans macies: torreberis æstu:
Et niuibus canis, boreáq;, euróq; rigesces.
Quippe meis iam frustra opibus spem ponis: ad artes
Te miserum ignotas, acrésq; accedere posthac
Conuenit: expertémq; domus, sortisq́ paternæ,
Cedere oportet agris: nec fas sperare regressum,

h Quin

Quin (hercle) externi potius mihi sanguinis hæres
Ignotus succedet: opes cui persi de magnas
Transcribi spes ipse tuas, elusus inani
Incæpto aspicias: longeq; eiectus auito
Limine deplores, lamentaq; tristia fundas.
Dic agedum; siqua est olim ventura senectus,
Quam, reor, vltricem scelerum, tibi numina seruant;
Qualis erit? nempe innumeris circundata morbis,
Marcida, fœda, grauis, rerum indiga, debilis, orba.
Hæc te olim expectant decora: his effulgere signis
Mox dabitur: tantis insignis honoribus ibis.
Audierat natus conuicia sæua parentis.
Vtq; senex cessit, simul vt vox atra quieuit,
Excepit puer, & sedato corde loquutus,
Demulcetq; animum, atque irati pectoris æstus.
Magne senex claros inter venerate colonos
Ritè Subasigenas, non huc me (vt rere) prophanus
Egit amor, non hos, cunabula nota, penates
Sortè peto: sed consilio, assuetoq; reuiso
More domum patriam: non aduena pulso: sed olim
Progenies sanguisq; tuus: damnosa voluptas
Dum me delicijs, auraq; elusit inani.
At modò; discussa errorum caligine cæca,
Cùm verum agnosco, promissaq; vana dolosa
Temno voluptatis, iam tum meliora sequutus
Consilia; exortemq; domus, rerumq; tuarum
Immunem ire iubes: Esto, haud me hæc curà remordet.
Sed quis agè hic furor est? animum qua tanta subegit
Ira, vt me virtutis iter, diuumq; vetares

Iussa sequi? si te quondam mala cœpta sequutus,
Mortalem colui genitorem; operisq; prophani
Sæpe equidem auctor eram, tua dum mandata facesso;
Nunc ergo immenso diuumq;, hominumq; parenti,
Et rerum auctori fallax parere negabo?
Si te lucra iuuant, & inexaturabilis ardor
Vrit opum: quas vna dies fert, atque eadem aufert,
Quæ tandem inuidia est, me nunc optare sereni
Diuitias cæli, solidumq; capessere regnum?
Quæ me iura vetant, quod fas subducere puppim
Quassatam ventis, & tuto condere portu?
Prô superum pietas, æquis hæc æthere ab alto
Luminibus spectas? tuq; ô simul inclyta virtus
Hæccine prima meis defers modò præmia factis?
His animum attollis, meq; ad maiora suburges
Muneribus? durosq; foues sic blanda labores?
Sed quid ego his audax onerem te diua querelis?
Nullæ in te fraudes, non me petis arte dolosa.
Et tua regna mihi dudum patuere, tuiq;
Mores: & vitæ cultus iam notus, & vsus;
Cùm tu saxosos calles, sæuosq; labores
Militiæ obiectas, spondes castra aspera bellis.
Sed iam agè nunc ad te pater, & tua dicta reuertor.
Non equidem timui, nec erat mihi causa timoris,
O senior grandæue tuos inuadere cæca
Thesauros sede abstrusos: nec criminis auctor;
Qui dudum indulgens ludis impunè prophanis,
Et toties largè conuiuia læta reponens,
Deprædatus eos minui; mihi visus, ab alto

Aethere nunc monitus, diuináq; iussa sequutus,
Si partem eriperem (fateor pertem ipse reuelli)
Nempe superuacuam tibi: sed quam iure reposcit
Vulgus inops. Quid enim terra communia auara
Altius infodisse iuuat? quo crimine cæcas
Promeruit latebras aurum? quid carcere in imo
Mille seris pressum gemit, & compagibus arctis?
Esto autem, non te miserorum tangit egestas,
Auxilióq; iuuare homines, opibusq; recusas.
At magnis saltem meritos quin ponis honores
Cælicolis? quin tu sinis, instaurare volentes?
Quippe modò ipse tuis opibus, proprióq; labore,
Desertas aptare aras, veterisq; nouare
Deuexos postes, & tecta labantia templi
Conabar: præceps animi cùm tu irruis in me.
Iámq; tui oblitus decoris, morisq; paterni,
Oblitusq; deùm, & sanctæ pietatis; amaris
Me petis infensus dictis: & probra, minásq;
Intentans acres, pœnas cum sanguine poscis.
Vt verò me cuncta iuuant! vt talibus aures
Demulces nostras probris! agendum tibi surgat
Nunc externus, opes tantas qui sorbeat, hæres,
Surgat: ego en mox cedo bonis, nec demoror vltrà:
Cedo volens: neu quis mea dicta redarguat vnquam,
Néue olim vlla dies valeat rescindere factum:
Faxo equidem sit testeratum, sit præsule socro
Immotum, fixum, certum, irreuocabile, sanctum.
Quare agè, tolle moras segnes: simul accipe dextram,
Inq; vicem da magne senex, & præsulis altam

Mecum vnà i, sedem: atq; ambo sacra tecta petamus.
Dixit: & hærenti obnixus simul instat, & vrget,
Acceleratq; abitum: dictis audacibus ille
Perculsus nati stupet, & vim sustinet æger,
Cunctaturq; efferre pedem, & multùm ire recusat.
Ac veluti immanis; cùm victa represserit atram
Ira famem; iam mollè tuens, iam lumina mitis
Torua leo; stragem, mutumq; horrescit ouile:
Et pigeat magnæ (ni vis neget effera) cædis:
Sic pia Francisci confestim dicta, parentis
Mulserunt rabiem: iámq; aspera probra, minæq;,
Atq; odium furiæq; cadunt pacatáq; linquunt
Corda: ferósq; senex mollito pectore sensus
Exuit, induiturq; hominem, patrémq; professus
Vix iam complexus, vix distinet oscula nato.
At puer (insani quanquam emigrarat ab ore
Iam patris furor, atq; ardens mansueuerat ira)
Nil abitum differt: placidum nil mollius vrget,
Cunctantémq; senem, ventum ad prætoria donec.
Móxq; introgreßis, primùm vt data copia fandi,
Occupat intrepidus puer, atq; his vocibus infit.
Iustitiæ columen, speculatórq; optime caulæ;
Non fortè has sedes, non hæc sacra limina adiui,
Cælicolum meme nullius numine agente:
Consilio feror, atq; animo succedo volenti:
Et me iussa deum, reor, & bona sidera ducunt.
Principiò ne tu Præsul venerande mouere,
Quòd rudis, & non dum iuuenili robore firmus
Ausim ego te coram (nec me reuerentia patris

Vlla vetet) prior insuetas deferre querelas.
Nam me causa potens facti, & bene conscia virtus,
Exardensq́ animus, sanctoq́ agitatus amore,
Nec non & simplex atque intemerata voluntas
Compellunt, coguntq́ meis pro casibus vltro
Pauca loqui, & magnam breuibus rem pandere dictis.
Hic vir hic est, cui me voluerunt numina natum
Esse: neque erubui tali genitore: neque ille
Dißimulans, meme dudum genuisse negabat;
Dum mihi par animus, diraq́ cupidine capta
(Qua nunquam non ipse volens ignescit, & ardet)
Mens erat, & lucris hæsit malè suasa prophanis.
Cùm verò humanis rebus, iußisq́ paternis
Posthabitis, mandata sequi diuina pararem,
Contemptisq́ opibus, cælestia quærere regna;
Mox amens animi, furiarum exæstuat atris
Ignibus: atq; apro traiecto haud mitius ardens
Me petit, increpitatq́ acer, probrisq́ laceßit.
Vixq́ manus cohibet: sæuos vix continet vngues,
Quin fœdet vultus, laceros quin dißipet artus.
Præterea, vix digna sacri casa nomine templi,
Semirutisq́ ferens muris nutantia tecti
Culmina, præcipiti stabat malè fida ruina.
Hanc equidem iussu diuum instaurare parabam;
Sed quid ego? haud tantùm nostro contenta labore
Res erat hæc: poscebat opem, poscebat & æris
Auxilium: nihil est visum opportunius, vnde id
Expeterem, quàm patris opes, penitusq́ repostum
Infossumq́ aurum: acceßi, dextraq́ reclusi,
(Suasit

(Suasit enim diuinus amor) partémq; reuelli
Torpentem longos desuetámq; vsibus annos.
Hic furit, & totas irarum effundit habenas.
Continuóq;, i, raptor, opum procul, i, procul expers
Nostrarum, exclamat: sortisq;, domusq; paternæ
I, procul immanis: nec spes erit vlla regressus.
Hæc causa accessus, hoc, te pater inclyte posco
Teste ratum fieri: nostris precor annue votis.
Nulla mora est in me, nihil est quòd dicta retractem.
Cedo bonis, ac sperno libens modò cuncta, relinquo
Prædia, rura, domos, fundos, lucra, fœnora, merces.
Imò agedum, vestes (nec erunt dispendia tanti
Hæc mihi, quin ausim coràm me prodere nudum)
Has cape, néue animo trepida, ne magne recusa,
Ne cunctare senex, cape, reddo, atq; exuor vltro:
Feruidus hæc iactat: Tum Regem affatus Olympi,
Summe, ait, ò diuum pater, ac sator optime rerum;
Qui iam primæua nascentis origine mundi;
Cùm sol, atq; dies vix primi, luce recenti,
Iam tum effulsissent, & picta sidere noctes
Alternis issent vicibus, tenebrásq; dedissent;
Primos gentis auos nostræ, duo germina tantùm;
Postquam diuinæ violarant fœdera legis;
Auricomos inter lucos, se fronde tegentes
Consuta, vocémq; tuam faciémq; trementes
Spectasti, & miserans nudos Heroas, amictu
Semideos primo velasti protinus ambos;
Aspice me, coram genitore, & præsule magno
Nudatum. pater ecce mihi iam denegat omne

Præsidium. nulla hic, frondes quæ suggerat, arbor:
Iámq; vrget pudor. O' tu qui vaga sidera torques,
Floribus exornas qui versicoloribus agros;
Da rude, da lacerum genitor mitißime textum:
Da (non magna peto) tyrius puerilibus annis
Sat mihi notus honor, rutilo sat fulsimus auro.
Hispida nunc, attrita, rudis, satis vna supérq;
Læna: tegi contenta, ornari membra recusant.
Da pater ipse mihi, deus idem solus & auctor.
Sic orans, torto vestem diffibulat auro,
Denudátq; artus, sternitq; ante ora parentis
Purpuream increpitans clamydem, nudusq; refulsit.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. V.

PRæbuerat iuſtis Præſul iuſtiſsimus aures
Intentas pueri dictis: pariterq; querelas
Turbidus ingratas, caſtáſq; probauerat iras.
Ergo odij (neq; enim tantùm inſatiata cupido
Tum primùm manifeſta, olim ſed cognita vulgò
Patris erat) cauſæ increſcunt: ſimul effera cuncti
Facta indignantes ſenis execrantur auari.
Totáq; muſſantum varijs ſtrepit aula ſuſurris.
Præcipuè verò turbato pectore magnus
Increpitans Præſul, facinuſq; exoſus iniquum,
Illum ipſum incuſat, dictiſq; inceſsit amaris.
Contrà animo facili, & magno complexus amore
Proſequitur puerum, conſolaturq; pudorem.
Nec minus illum ardens virtus, & iam agnita plebi,
Et nomen nil laudis egens, moréſq; viriles
Tutantur, placidéq; fouent, & honoribus augent.
At poſtquam contemptor opum, contemptor honorũ
Franciſcus media nudatus reſtitit aula;
Obſtupuit magnus primùm, obtutuq; ſacerdos,
Ora ſolo defixa tenens, immobilis hæſit.
Vt verò excuſſus ſtupor, & lux reddita menti

Emicuit,

Emicuit, casu indoluit: seseq́ morantem
Incusans, laie extemplò pia brachia pandit,
Protenditq́ manus, & sacro tegmine nudum
Excipiens, chlamydis puerum circuntegit Vmbra.
Qualis; fortè rapax vacuas dum circinat auras
Miluius; implumes fœtus cristata volucris
Mollibus obnubit pennis: crepituq́ cohortem
Imbellem ciet, & rauco canit ore receptum.
Tum verò (id nec sors, alta sed mente premebat
Sic pater æthereus, diuini is numinis ordo)
Improuisò, annis seráq; ætate colonus
Iam grauis; ad notam quem cura aduexerat vrbem
Sollicitum agrestis; coràm affuit: ergo vbi nudum
Hic puerum aspexit, facinusq́ exterritus ingens
Deuouit, mox ipse suis rude tegminis aufert
Ex humeris textum. Tuq́ ò puer, effera quem vis
Nescio quæ nunc vrget, ait, cape lætus amictum
Hunc, mihi qui superat: mollis tibi carbasus esto.
Hæc memorans bonus agrestis, simul horrida nudo
Tegmina coniecit. sed enim meliora sacerdos
Continuò afferri iubet, increpitátq; vocátq;
Nunc hos, nunc illos famulos, vrgétq; morantes.
Franciscus verò donum lætabile agrestis
Accipit: & forma quamprimùm insignit amatæ
Texta crucis, consuta dehinc simul aptat habenda
Tegmina dura sibi: rigidam tum pectore læto
Complectens lænam, his dictis affarier insit.
Vt te Acheronteis performidabile monstris,
Cælicolumq́ animis iucundum & amabile signum,
Accipio

Accipio venerórq; libens? vt me, bonus olim
In te, hominum diuumq́; sator, quod pertulit, acrê
Supplicium iuuat; & sæuos meminisse dolores?
Te pœna informi, te longo mortis hiatu,
Difficilíq; obitu quondam mulctare nocentes
Assuetum, horrebant homines, probrisq́; notabant:
At modò numen habes sanctum, tibi gloria paßim
Personat, ingentes vulgò dicuntur honores:
Sternunturq́; tibi gemmis auróq; micanti
Supplicibus gentes manibus: tu regibus altos
Inserpens decoras apices: tu prauia cœptis
Norma hominum fulges, itidem tu ritè secundas,
Successusq́; alis, & læto das fine potiri.
Ergo ades, & nostris felix adiungere cœptis,
Iam pridem optatum, & precibus mihi sæpe petitum,
Quæsitumq́; diu, & tandem nunc ritè repertum.
Tuq́; adeò rudis, & tergo vix commoda læna
Iumenti vectantis onus; quàm mollia nostris
Donatura venis humeris gestamina, quàm me
Ipsa iuuas, nostros artus quàm lenis obibis?
Hinc ego nec mallem sarrano effulgere textis
Murice conspicuis, lentóq; rigentibus auro.
I, nec Aracneo es, Phrygio aut cessura labori,
Nunquam succedet mollis tibi carbasus hæres.
Sed iam age læta sinu duro me conde volentem:
Dixerat, & nudos pariter velauerat artus.
Hîc verò (litémq; nouam, insuetumq́; tumultum
Spectatum è populo cœtus conuenerat ingens)
Infremere vnà omnes, detestariq́; prophani

Crudelem

Ipse aderis, sidus præsens mortalibus ægris.
Talia fatidicus præsul canit: ille canentem
Nescit, & obiectos simul aspernatur honores.
Interea vulgus totam rumoribus vrbem,
(Scilicet insomnem crepitantibus alta domorum
Tecta super famam pennis egisse volatum,
Et graue nescio quod crebrò ingeminasse loquaci
Murmure, Francisci claro sub nomine, factum,
Audierat) varijs permiscet: vbiq; tumultus,
Rumor vbiq; sonant: narrant hi præsule coram
Vt puer exuerit chlamydem, vtq; aptarit amictus
Ipse sibi horrentes, atque hispida tegmina nudis
Artubus, vt sese sortisq; domusq; paternæ
Fecerit immunem, spretis vt cesserit vnà
Sponte bonis: mirantur opum, mirantur & auri
Contemptorem alij: vitæ mirantur egenæ
Vnde animo desuetus amor, tristisq; cupido.
Præcipui verò, & quorum pietatis imago,
Corda mouet; patris vesanas acrius iras
Incusant, auróq; haud exaturabile pectus.
Sunt & qui puerum (nempe hos agit effera Erinnys)
Atracia furiatum arte, Aeæisq; venenis,
Amentémq; animi credant, ridentq; furorem.
Ille autem largo diuini numinis haustu
Iam tum adeò expletus mentem, iam turbine rerum
Quassatus nullo, aut cæcis erroribus actus;
Arce sedet summa: & vitio sublimior omni,
Degeneres hominum curas, vanósq; labores
Despicit, atque animo placido spes ridet inanes.

Nec, quæ fama canit: nec, quos per compita vulgò
Dant turbæ, plausus arrecta percipit aure.
Ergo dura nouæ tum primùm exordia vitæ
Molitur, tentátq; vltro bellator in armis
Insuetis tener, insuetæ certamina pugnæ.
Pectore ceu nondum rutilo fulgore comanti
Terribilis, nec dum magno litus atra cruore
Caspius ora leo, tenero tener imbuit iras
Sanguine primæuas: animos dehinc viuida magnos
Attollens virtus; cædem indignatur inertis
Quadrupedis, poscitq́; pares hostesq́; feroces:
Sic puer intrepido, primis congreßibus audax
Sese corde infert: nec, quæ, grauiora parantur,
(Quippe truces erebi, monstra exhorrenda, colonos,
Ipse sibi, generiq́; suo, stirpiq; nepotum,
Si qui olim aduenîant, acres iam fecerat hostes:
Relligione sacra, superisq́; in vota vocatis
Ritè inimicitias, paritérq́; odia aspera firmans.)
Bella timet: quin ultro audax, animisq́; superbus;
Haud vllis cessura malis, vllis ue periclis
Corda parat: non assultus, non tela, nec vllas
Vitatura vices: quanuis horrentia surgant
Prælia, & insani subeat mauortis imago.
Iam verò ex illo, tantis intersita cœptis
Nulla quies: non parua quidem mora temporis vsquam,
Aßiduos pueri potis est mollire labores.
Tristibus omne æuum studijs addicit, & omnes
Corporis atque animi cultus: amat aspera quæq;,
Læta fugit, iucunda odit: nec ludicra mentem

Progenies demissa polo: iam nostra pararunt
Mœnia nascenti cunas: pueroq; sagaci
Vana rudimenta, & ciuilis lucra negoci
Damnosa obijcient: queis tantùm limine primo
Libatis; retro, presso velut angue, reducet
Continuò ille pedes: vilesq; è pectore curas
Deturbans, animo grauiora inolescere coget.
Pastor erit: saltus olli hinc, æstiuáq; cordi
Pascua erunt: nec parua satis: nec finibus arctis
Contentus: patrióq; solo consistere tantùm
Non illum millena gregum quondam agmina, nec iam
Succrescens fœtura sinet: tua læta profectò
Non sat erunt pecori venturo culmina alendo.
Hinc è vicino prospectans vertice magna
Incrementa gregis pater imbrifer Appenninus,
Prima tibi auxilia expediet, primósq; receptus
Ille ouibus pandet: sociósq; in munere tanto,
Picenos secum colles asciscet amœnos.
Nec non Tyrrheni tractus hinc pinguia latè
Auxilio ventura tibi, iam pascua seruant:
Inde Sabinorum vulgò gens aspera, saxis
Præruptis caulas mille extruet: accola mille
Littoris Adriaci: latis quot Daunia campis
Septa paret, nec scire mihi, nec dicere fas est.
Sed quid ego hæc modò pauca loquor? rerū accipe sūmā,
Quos oriens, quos deinde cadens sol aspicit altus,
Quos premit Arctos iners, madido quos concitat auster
Ore, Subasæi pascentur montibus agni.
Quid verò tu sola nocens Hispania? quidué

Insidos saltus, atque illætabile pandis
Hospitium? quid in arma furens, crudeliter agnis
Innocuis molire necem? da pascua saltem
Ah tu Pyrene da fida, aut tu bona Calpe
Excipe balantes, & tuto in culmine serua:
Donec semiferos animis gens impia mores
Exuat: & furijs longè, monstrisq; fugatis
Tartareis; sanctum deferre assuescat ad aras
Libamen puras, & numina certa vereri.
Quid referam quòd Roma ingens, Scythiæq; niuosis
Formidata iugis, tecum pia fœdera iunget?
Hinc tu olim arte potens, proprijsq; salutifer herbis,
Multa lue infecti pecoris contagia tolles.
At qui septenos pastor moderamine colles
Compescit sacro, iustisq; inflectit habenis,
Vulnus opem quodcunq; tuæ præsenserit artis,
Nec tentare manu, non ferro, aut vrere flammis
Audebit, non iam Tyberinis eluet vndis.
Fatidico iuuenis sic tantis ore loquutus:
Tandem improuisò finem dat voce repressa.
Tum simul eneruat chelyn, illustremq; coronam
Subligat, & Phœbo munus suspendit eburnum.
Tollitur extemplò clamor, pérq; ampla volutus
Atria, Franciscum ingeminat: puer eminus alta
Viderat è specula venientem: ergo ocyus omnes,
Instaurate dapes, sublata reponite, clamant,
Pocula: festinant famuli, rursumq; iuuentus
Lecta ministerijs repetitis ordine sudat.
Primus Thespiades sed enim latißimus Idas

Dimissas

Dimissas reuocat, melioráq; carmina poscit.
Interea insignis præda Franciscus honesta
Ibat ouans, multumq́; gerens sub corde magistræ
Virtutis numen: cui sese hinc, inde sodales
Obyciunt, suadéntq; ædes diuortia ad altas.
Ille animum incœpto fixus, vestigia nusquam
Torquet: nec mentem vis, aut ciet vlla voluptas.
Non thiasi, non læta trahunt conuiuia: dulces
Odit concentus: sicula de rupe puellæ
Semiferæ sic Dulichias; dum persona velis
Saxa insopitis, argutáq; littora vitant;
Carmine tergemino, frustra allexere carinas.
Obstupet insueto iuuenum manus excita casu.
Iámq; illum attonito similem, paritérq; figura
Exutum aspiciunt solita: iam tum ora, coloremq;
Immutasse vident: mirantur lumina claris
Aequa astris, nec non radijs ardentia lucis
Auricomæ, vultumq́; nouo fulgore micantem.
Mirantur tacitæ præclusa silentia linguæ.
Concussi hinc animos horrent, trepidántq;, pauentq́;:
Attonitiq́;, noua chari super indole amici;
Multa inter sese vario sermone volutant:
Monstrum quippe insuetū haud credunt numinis expers.
Sunt qui (diuinæ nam vis corda excitat auræ)
Continuò pueri fata aduentantia narrant.
Ille viam interea secat alto numine plenus,
Non iam animum quassus fatis, aut turbine rerum
Ambiguo, cæcis nequicquam erroribus actus.
Gaudia iam ridens humana, & corde quieto

Spemq́;,

Spemq́; , metumq́; domans , fortunam calce minantem
Securus valida premit , increpitátq; superbam .
Mens verò excelsa , vitio sublimior omni
Arce sedens , vulgi curas despectat inanes .
Ergo iter accelerans , notas genitoris ad ædes ,
Seu casu , seu more puer , iam tum immemor iræ ,
Oblitusq́; senis rabiem , tendebat : & ecce ,
Vt forte è primo tum sese limine agebat ,
Obuius huic ille , haud certo sine numine diuum .
Ac prior , heus , inquit , quæ te fiducia adegit
Has iterum sedes petere ? hæc inuisere tecta
Perfide adhuc audes ? sceleris nec territat vltrix
Te pœna , accessus nec te pudet improbe raptor ?
Tu'ne ergo olim hæres , multùm cui nostra laborat
Dudum caniçies ? cui sæua incommoda suffert ?
Sed piget obsequij , piget & genuisse nocentem ,
Et genitum tanto simul enutrisse labore .
Semifer horrendo potior mihi Cacus in antro
Creuisset , manibusq́; meis illectus , & ore ,
Hyrcana de rupe leo mansuetior isset .
Sed iam equidem faxo , ne tantum impunè piaclum
Edideris : te dira fames , te turpis egestas ,
Et , quæ paulatim faciem depascet , & artus ,
Te manet extenuans macies : torreberis æstu :
Et niuibus canis , boreáq; , euróq; rigesces .
Quippe meis iam frustra opibus spem ponis : ad artes
Te miserum ignotas , acrésq; accedere posthac
Conuenit : expertémq; domus , sortisq́; paternæ ,
Cedere oportet agris : nec fas sperare regressum ,
h Quin

Quin (hercle) externi potius mihi sanguinis hæres
Ignotus succedet: opes cui perfide magnas
Transcribi spes ipse tuas, elusus inani
Incœpto aspicias: longeq; eiectus auito
Limine deplores, lamentaq; tristia fundas.
Dic agedum; siqua est olim ventura senectus,
Quam, reor, vltricem scelerum, tibi numina seruant;
Qualis erit? nempe innumeris circundata morbis,
Marcida, fœda, grauis, rerum indiga, debilis, orba.
Hæc te olim expectant decora: his effulgere signis
Mox dabitur: tantis insignis honoribus ibis.
Audierat natus conuicia sæua parentis.
Vtq; senex cessit, simul vt vox atra quieuit,
Excepit puer, & sedato corde loquutus,
Demulcetq; animum, atque irati pectoris æstus.
Magne senex claros inter venerate colonos
Ritè Subasigenas, non huc me (vt rere) prophanus
Egit amor, non hos, cunabula nota, penates
Sortè peto: sed consilio, assuetoq; reuiso
More domum patriam: non aduena pulso: sed olim
Progenies sanguisq; tuus: damnosa voluptas
Dum me delicijs, auraq; elusit inani.
At modò; discussa errorum caligine cæca,
Cùm verum agnosco, promissaq; vana dolosæ
Temno voluptatis, iam tum meliora sequutus
Consilia; exortemq; domus, rerumq; tuarum
Immunem ire iubes; Esto, haud me hæc cura remordet.
Sed quis agè hic furor est? animum quæ tanta subegit
Ira, vt me virtutis iter, diuumq; vetares

Iussa

Iussa sequi? si te quondam mala cœpta sequutus,
Mortalem colui genitorem; operisq; prophani
Sæpe equidem auctor eram, tua dum mandata facesso;
Nunc ergo immenso diuumq;, hominumq; parenti,
Et rerum auctori fallax parere negabo?
Si te lucra iuuant, & inexaturabilis ardor
Vrit opum: quas vna dies fert, atque eadem aufert.
Quæ tandem inuidia est, me nunc optare serenæ
Diuitias cæli, solidumq; capessere regnum?
Quæ me iura vetant, quod fas subducere puppim
Quassatam ventis, & tuto condere portu?
Prô superum pietas, æquis hæc æthere ab alto
Luminibus spectas? tuq; ô simul inclyta virtus
Haccine prima meis defers modò præmia factis?
His animum attollis, meq; ad maiora suburges
Muneribus? durosq; foues sic blanda labores?
Sed quid ego his audax onerem te diua querelis?
Nulla in te fraudes, non me petis arte dolosa.
Et tua regna mihi dudum patuere, tuiq;
Mores: & vitæ cultus iam notus, & vsus:
Cùm tu saxosos calles, sæuosq; labores
Militiæ obiectas, spondes castra aspera bellis.
Sed iam agè nunc ad te pater, & tua dicta reuertor.
Non equidem timui, nec erat mihi causa timoris,
O' senior grandæue tuos inuadere cæca
Thesauros sede abstrusos: nec criminis auctor;
Qui dudum indulgens ludis impunè prophanis,
Et toties largè conuiuia læta reponens,
Deprædatus eos minus; mihi visus, ab alto

Aethere nunc monitus, diuináq; iussa sequutus,
Si partem eriperem (fateor pertem ipse reuelli)!
Nempe superuacuam tibi: sed quam iure reposcit
Vulgus inops. Quid enim terræ communia auara
Altius infodisse iuuat? quo crimine cæcas
Promeruit latebras aurum? quid carcere in imo
Mille seris pressum gemit, & compagibus arctis?
Esto autem, non te miserorum tangit egestas,
Auxilióq; iuuare homines, opibúsq; recusas.
At magnis saltem meritos quin ponis honores
Cælicolis? quin tu sinis, instaurare volentes?
Quippe modò ipse tuis opibus, proprióq; labore,
Desertas aptare aras, veterisq; nouare
Diuexos postes, & tecta labantia templi
Conabar: præceps animi cùm tu irruis in me.
Iámq; tui oblitus decoris, morisq; paterni,
Oblitusq; deûm, & sanctæ pietatis; amaris
Me petis infensus dictis: & probra, minásq;
Intentans acres, pœnas cum sanguine poscis.
Vt verò me cuncta iuuant!. vt talibus aures
Demulces nostras probris!. agendum tibi surgat
Nunc externus, opes tantas qui sorbeat, hæres,
Surgat: ego en mox cedo bonis, nec demoror vltrà:
Cedo volens: neu quis mea dicta redarguat vnquam,
Néue olim vlla dies valeat rescindere factum:
Faxo equidem sit testeratum, sit præsule socro
Immotum, fixum, certum, irreuocabile, sanctum.
Quare agè, tolle moras segnes: simul accipe dextram,
Inq; vicem da magne senex, & præsulis altam
Mecum

Mecum vnà i, sedem: atq; ambo sacra tecta petamus.
Dixit: & hærenti obnixus simul instat, & vrget,
Acceleratq; abitum: dictis audacibus ille
Perculsus nati stupet, & vim sustinet æger,
Cunctaturq; efferre pedem, & multùm ire recusat.
Ac veluti immanis; cùm victa represserit atram
Ira famem; iam mollè tuens, iam lumina mitis
Torua leo; stragem, mutumq; horrescit ouile:
Et pigeat magnæ (ni vis neget effera) cædis:
Sic pia Francisci confestim dicta, parentis
Mulserunt rabiem: iámq; aspera probra, minæq;,
Atq; odium furiæq; cadunt pacatáq; linquunt
Corda: ferósq; senex mollito pectore sensus
Exuit, induiturq; hominem, patrémq; professus
Vix iam complexus, vix distinet oscula nato.
At puer (insani quanquam emigrarat ab ore
Iam patris furor, atq; ardens mansueuerat ira)
Nil abitum differt: placidum nil mollius vrget,
Cunctantémq; senem, ventum ad prætoria donec.
Móxq; introgreßis, primùm vt data copia fandi,
Occupat intrepidus puer, atq; his vocibus infit.
Iustitiæ columen, speculatórq; optime caulæ;
Non fortè has sedes, non hæc sacra limina adiui,
Cælicolum meme nullius numine agente:
Consilio feror, atq; animo succedo volenti;
Et me iussa deum, reor, & bona sidera ducunt.
Principiò ne tu Præsul venerande mouere,
Quòd rudis, & non dum iuuenili robore firmus
Ausim ego te coram (nec me reuerentia patris

Vlla vetet) prior insuetas deferre querelas.
Nam me causa potens facti, & bene conscia virtus,
Exardensq́; animus, sanctoq́; agitatus amore,
Nec non & simplex atque intemerata voluntas
Compellunt, coguntq́; meis pro casibus vltro
Pauca loqui, & magnam breuibus rem pandere dictis.
Hic vir hic est, cui me voluerunt numina natum
Esse: neque erubui tali genitore: neque ille
Dißimulans, meme dudum genuisse negabat;
Dum mihi par animus, diraq́; cupidine capta
(Qua nunquam non ipse volens ignescit, & ardet)
Mens erat, & lucris hæsit malè suasa prophanis.
Cùm verò humanis rebus, iußisq́; paternis
Posthabitis, mandata sequi diuina pararem,
Contemptisq́; opibus, cælestia quærere regna;
Mox amens animi, furiarum exæstuat atris
Ignibus: atq; apro traiecto haud mitius ardens
Me petit, increpitatq́; acer, probrisq́; laceßit.
Vixq́; manus cohibet: sæuos vix continet vngues,
Quin fœdet vultus, laceros quin dißipet artus.
Præterea, vix digna sacri casa nomine templi,
Semirutisq́; ferens muris nutantia tecti
Culmina, præcipiti stabat malè fida ruina.
Hanc equidem iussu diuum instaurare parabam;
Sed quid ego? haud tantùm nostro contenta labore
Res erat hæc: poscebat opem, poscebat & æris
Auxilium: nihil est visum opportunius, vnde id
Expeterem, quàm patris opes, penitusq́; repostum
Infossumq́; aurum: accesi, dextraq́; reclusi,
(Suasit

(Suasit enim diuinus amor) partémq; reuelli
Torpentem longos desuetámq; vsibus annos.
Hic furit, & totas irarum effundit habenas.
Continuóq; , i, raptor, opum procul, i, procul expers
Nostrarum, exclamat: sortisq́, domusq́, paternæ
I, procul immunis: nec spes erit vlla regressus.
Hæc causa accessus, hoc, te pater inclyte posco
Teste ratum fieri: nostris precor annue votis.
Nulla mora est in me, nihil est quòd dicta retractem.
Cedo bonis, ac sperno libens modò cuncta, relinquo
Prædia, rura, domos, fundos, lucra, fœnora, merces.
Imò agedum, vestes (nec erunt dispendia tanti
Hæc mihi, quin ausim coràm me prodere nudum)
Has cape, néue animo trepida, ne magne recusa,
Ne cunctare senex, cape, reddo, atq; exuor vltro:
Feruidus hæc iactat: Tum Regem affatus Olympi,
Summe, ait, ò diuum pater, ac sator optime rerum;
Qui iam primæua nascentis origine mundi;
Cùm sol, atq; dies vix primi, luce recenti,
Iam tum effulsissent, & pictæ sidere noctes
Alternis issent vicibus, tenebrásq; dedissent;
Primos gentis auos nostræ, duo germina tantùm;
Postquam diuinæ violarant fœdera legis;
Auricomos inter lucos, se fronde tegentes
Consuta, vocémq; tuam faciémq; trementes
Spectasti, & miserans nudos Heroas, amictu
Semideos primo velasti protinus ambos;
Aspice me, coram genitore, & præsule magno
Nudatum. pater ecce mihi iam denegat omne

 Præsidium.

Præsidium. nulla hic, frondes quæ suggerat, arbor:
Iámq; vrget pudor. O tu qui vaga sidera torques,
Floribus exornas qui versicoloribus agros;
Da rude, da lacerum genitor mitißime textum:
Da (non magna peto) tyrius puerilibus annis
Sat mihi notus honor, rutilo sat fulsimus auro.
Hispida nunc, attrita, rudis, satis vna supérq;
Læna: tegi contenta, ornari membra recusant.
Da pater ipse mihi, deus idem solus & auctor.
  Sic orans, torto vestem diffibulat auro,
Denudátq; artus, sternitq; ante ora parentis
Purpuream increpitans clamydem, nudusq; refulsit.

FRAN-

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. V.

PRæbuerat iustis Præsul iustißimus aures
Intentas pueri dictis: paritérq; querelas
Turbidus ingratas, castásq; probauerat iras.
Ergo odij (neq; enim tantùm insatiata cupido
Tum primùm manifesta, olim sed cognita vulgò
Patris erat) causæ increscunt: simul effera cuncti
Facta indignantes senis execrantur auari.
Totáq; mussantum varijs strepit aula susurris.
Præcipuè verò turbato pectore magnus
Increpitans Præsul, facinusq; exosus iniquum;
Illum ipsum incusat, dictisq; inceßit amaris.
Contrà animo facili, & magno complexus amore
Prosequitur puerum, consolaturq; pudorem.
Nec minus illum ardens virtus, & iam agnita plebi;
Et nomen nil laudis egens, morésq; viriles
Tutantur, placidéq; fouent, & honoribus augent.
At postquam contemptor opum, contemptor honorũ
Franciscus media nudatus restitit aula;
Obstupuit magnus primùm, obtutuq; sacerdos,
Ora solo defixa tenens, immobilis hæsit.
Vt verò excussus stupor, & lux reddita menti

Emicuit, casu indoluit: seseq; morantem
Incusans, late extemplò pia brachia pandit,
Protenditq; manus, & sacro tegmine nudum
Excipiens, chlamydis puerum circuntegit vmbra.
Qualis; fortè rapax vacuas dum circinat auras
Miluius; implumes fœtus cristata volucris
Mollibus obnubit pennis: crepituq; cohortem
Imbellem ciet, & rauco canit ore receptum.
Tum verò (id nec sors, alta sed mente premebat
Sic pater æthereus, diuini is numinis ordo)
Improuisò, annis seráq; ætate colonus
Iam grauis; ad notam quem cura aduexerat vrbem
Sollicitum agrestis; coràm affuit: ergo vbi nudum
Hic puerum aspexit, facinusq; exterritus ingens
Deuouit, mox ipse suis rude tegminis aufert
Ex humeris textum. Tuq; ò puer, effera quem vis
Nescio quæ nunc vrget, ait, cape lætus amictum
Hunc, mihi qui superat: mollis tibi carbasus esto.
Hæc memorans bonus agrestis, simul horrida nudo
Tegmina coniecit. sed enim meliora sacerdos
Continuò afferri iubet, increpitátq; vocátq;
Nunc hos, nunc illos famulos, vrgétq; morantes.
Franciscus verò donum lætabile agrestis
Accipit: & forma quamprimùm insignit amatæ
Texta crucis, consuta dehinc simul aptat habenda
Tegmina dura sibi: rigidam tum pectore læto
Complectens lanam, his dictis affarier insit.
Vt te Acheronteis performidabile monstris,
Cælicolumq; animis iucundum & amabile signum,
Accipio

Accipio venerórq; libens? vt me, bonus olim
In te, hominum diuumq́ sator, quod pertulit, acrê
Supplicium iuuat, & sæuos meminisse dolores?
Te pœna informi, te longo mortis hiatu,
Difficiliq́ obitu quondam mulctare nocentes
Assuetum, horrebant homines, probrisq́ notabant:
At modò numen habes sanctum, tibi gloria paßim
Personat, ingentes vulgò dicuntur honores:
Sternunturq́ tibi gemmis auróq; micanti
Supplicibus gentes manibus: tu regibus altos
Inserpens decoras apices: tu praua cœptis
Norma hominum fulges, itidem tu ritè secundas,
Successusq́ alis, & læto das fine potiri.
Ergo ades, & nostris felix adiungere cœptis,
Iam pridem optatum, & precibus mihi sæpe petitum,
Quæsitumq; diu, & tandem nunc ritè repertum.
Tuq́ adeò rudis, & tergo vix commoda læna
Iumenti vectantis onus; quàm mollia nostris
Donatura venis humeris gestamina, quàm me
Ipsa iuuas, nostros artus quàm lenis obibis?
Hinc ego nec mallem Sarrano effulgere textis
Murice conspicuis, lentóq; rigentibus auro:
I, nec Aracneo es, Phrygio aut cessura labori,
Nunquam succedet mollis tibi carbasus hæres.
Sed iam age læta sinu duro me conde volentem:
Dixerat, & nudos pariter velauerat artus.
Hîc verò (litémq; nouam, insuetumq́ tumultum
Spectatum è populo cœtus conuenerat ingens)
Infremere vnà omnes, detestariq; prophani

Crudelem

Crudelem sceleris faciem, casumq; nefandum.
At Præsul (mentem æthereus vigor occupat olli,
Præsagusq; animus sacrato in pectore sidit)
Talia diuini nequicquam expertia nutus
Esse ratus; puerum secum nil vile putantem,
Nil mortale animo versantem, his vocibus ambit.
Quis te magne puer, quis te deus vrget ab alto?
Quæ tibi contemptum rerum hunc modò numina suadet?
Vnde amor hic? quæ tanta animũ causa incitat? aut quæ
Spernacem vis fecit opum? mercede labores
Dic qua nunc acres vitæ solaris egenæ?
Qui te adeò modò texta iuuant horrentia, pridem
Mollibus assuetum? poteris ne hæc tegmina lætus
Ferre diu? an tristem mox cœpti pœniteat te?
O' vbi nunc tyrio fulgentes murice vestes,
Mæonióq; illusæ auro? aut vbi semper ad annos
Delecti iustiq; sinus? visura paratus,
Solennesq; dies vbi tantùm purpura? vbi vsus,
Et variatus honos, alternatusq; coloris?
En tibi cuncta iacent pedibus despecta sub imis.
At non hæc temerè, aut certo sine numine diuum
Eueniunt: bonus ætherei sed rector Olympi
Talia demittit. Nosco modò visa, repentè
Quæ dudum; arcana penetralis sede recondo
Dum meme ipse volens; cæli de parte serena
Ostendit genitor diuum, tonitruq; sinistro,
Et non obscuro sonitu vox acta per auras,
Detulit in terras, manifestóq; omine sanxit.
Nosco equidem (me numen agit) quid monstra futurum

Portendant, quid ritè ferant; quid nuntiet ardor
Hic nouus, vnde animi tanta hæc fiducia surgat.
Scilicet innumeras, duce te puer inclyte, gentes
(Haud longum) aspicio noua ad arma coire, nouisq;
Moribus addictas, cultusq;, habitusq;, laboresq;
Appetere insuetos, & te tolerare magistro
Militiæ casus, & duri prælia martis.
Tu tamen interea (seu læta insignia ductor
Immensum egregius longè latéq; per orbem
Attollens, crebras acies ad castra vocabis
Indiga: seu celsus suggestis, voce rebelles
Mulcebis valida populos, & pectora dictis
Dura hominum finges) nostram ne desere plebem,
Néue lares patrios auertere, néue Subasi
Pascua læta fuge: at mecum miseratus inertes
Ignarósq; viæ, nostros inuise colonos.
Imò agedum (quanquam decus immortale futurum
Conciliys diuum, cæli te sidera poscunt)
Ne properes terris excedere: tarda sed adsit
Sublimem quæ te magno lux donet Olympo.
Ede sacròs populis ritus, præcepta salutis
Ede priùs: quæ, turba sequens non rara, per annos
Perpetuos, toto felicia secula mundo
Condat: & ignotæ virtuti instauret honores.
Tum verò, tua composito non præmia deerunt
Certa tibi: nec durorum promissa laborum
Palma aberit: quà fixa manent, immotáq; seruat
Astra inter pater æthereus. iam tum vnde vocari
Assuesces votis: & templis ritè dicatis,

Ipse

Ipse aderis, sidus præsens mortalibus ægris.
Talia fatidicus præsul canit: ille canentem
Nescit, & obiectos simul aspernatur honores.
Interea vulgus totam rumoribus vrbem,
(Scilicet insomnem crepitantibus alta domorum
Tecta super famam pennis egisse volatum,
Et graue nescio quod crebrò ingeminasse loquaci
Murmure, Francisci claro sub nomine, factum,
Audierat) varijs permiscet: vbiq; tumultus,
Rumor vbiq; sonant: narrant hi præsule coram
Vt puer exuerit chlamydem, vtq; aptarit amictus
Ipse sibi horrentes, atque hispida tegmina nudis
Artubus, vt sese sortisq; domusq; paternæ
Fecerit immunem, spretis vt cesserit vnà
Sponte bonis: mirantur opum, mirantur & auri
Contemptorem alij: vitæ mirantur egenæ
Vnde animo desuetus amor, tristisq; cupido.
Præcipui verò, & quorum, pietatis imago,
Corda mouet; patris vesanas acrius iras
Incusant, auróq; haud exaturabile pectus.
Sunt & qui puerum (nempe hos agit effera Erinnys)
Atracia furiatum arte, Aeæisq; venenis,
Amentémq; animi credant, ridentq; furorem.
Ille autem largo diuini numinis haustu
Iam tum adeò expletus mentem, iam turbine rerum
Quassatus nullo, aut cæcis erroribus actus;
Arce sedet summa: & vitio sublimior omni,
Degeneres hominum curas, vanósq; labores
Despicit, atque animo placido spes ridet inanes.

Nec, quæ fama canit: nec, quos per compita vulgò
Dant turbæ, plausus arrecta percipit aure.
Ergo dura nouæ tum primùm exordia vitæ
Molitur, tentátq; vltro bellator in armis
Insuetis tener, insuetæ certamina pugnæ.
Pectore ceu nondum rutilo fulgore comanti
Terribilis, nec dum magno litus atra cruore
Caspius ora leo, tenero tener imbuit iras
Sanguine primæuas: animos dehinc viuida magnos
Attollens virtus; cædem indignatur inertis
Quadrupedis, poscitq́ pares hostesq́ feroces:
Sic puer intrepido, primis congreßibus audax
Sese corde infert: nec, quæ, grauiora parantur,
(Quippe truces erebi, monstra exhorrenda, colonos,
Ipse sibi, generiq́ suo, stirpiq; nepotum,
Si qui olim aduenia nt, acres iam fecerat hostes:
Relligione sacra, superisq́ in vota vocatis
Ritè inimicitias, pariterq́ odia aspera firmans.)
Bella timet: quin ultro audax, animisq; superbus;
Haud vllis cessura malis, vllis ue periclis
Corda parat: non assultus, non tela, nec vllas
Vitatura vices: quamuis horrentia surgant
Prælia, & insani subeat mauortis imago.
Iam verò ex illo, tantis intersita cœptis
Nulla quies: non parua quidem mora temporis vsquam,
Aßiduos pueri potis est mollire labores.
Tristibus omne æuum studijs addicit, & omnes
Corporis atque animi cultus: amat aspera quæq;,
Læta fugit, iucunda odit: nec ludicra mentem

Vlla mouere queunt, illabi aut sensibus imis.
Tantùm autem separ, diuum sacra limina visit,
Perq́; vrbem, lucósq; sacros, locáq; horrida dumis,
Sicubi templa iacent magnis euersa ruinis,
Mox adit, & gemitu memorum alta cacumina quassat.
Præcipue verò, flaui sub vertice montis;
Siue antrum horrificum, nigræ siue ilicis vmbram
Nactus; saxa pijs, & duras vocibus ornos
Mulcet, & alituum genus ad noua carmina sistit.
Aurorámq; illic; nigris dum surgit ab indis,
Et Phœbum, Hesperio bijuges dum gurgite anhelos
Proluit, immunis cereris, dulcisq́; quietis;
Sæpe videt: totumq́; interdum ex ordine mensem,
Sub dio inuictus, patuláue sub arbore vitat
Aestum, hyememq́; acrem: quáq; alta silentia suadet
Aut spelunca horrens, vsta aut deserta locorum;
Hàc puer ingressus, voces ad sidera iactat
Luctificas: gemitusq́; graues, lachrymásq; profundens;
Multa luit, tristiq; volens admissa dolore
Peccata incusat: diuináq; numina votis
Supplicibus testans; veniam pacemq; reposcit.
Quales; prærepti mater cùm funera nati
Tristia componit, defletáq; membra supremo
Acclinat tumulo; luctus exterrita fundit:
Et nunc magna amens dictis incusat acerbis
Numina: languentes frustra parcentibus vlnis,
Hunc legit amplexus, frigentiáq; oscula carpit:
Tales ingeminat fletus, noctesq; diesq;,
Franciscus mœrens, & questubus implet amaris
Aethera:

Aethera: mens donec crebris exercita pœnis,
Concretam labem, & diræ contagia culpæ
Exuat: & sensus puros, animumq; reducat
Ignibus æthereis flagrantem, & luce coruscum.
Et iam flammiferis Cancer bis feruidus astris
Expulerat, bisq; ad nigros remeare nitentis
Iusserat Aethiopas Phœbi de more quadrigas.
Et bruma exhorrens bis nostrum excusserat orbem.
Nec verò interea Franciscus deficit vlla
Fortuna infractus, fessusué labore: sed vltro
Instat agens, durisq; malis sese obuius infert,
Vsqueadeo obnixus non cedere casibus vllis:
Nec turpi dare terga fuga, aut se vertere retro,
Donec mortales vigor igneus occupet artus.
Ergo animo exardens, nequicquam absistere cœptis,
Nequicquam ingentes operum exhorrere labores.
At prærupta æuo, desertáq; templa ruinis,
Atque intermissos cultus, & sacra deorum,
Ignotásq; aras, ignotáq; nomina, cura
Præcipua insequitur, meritósq; instaurat honores.
Proinde autem nec magna humeris vectare per vrbem
Saxa piget, pérq; vmbrosas excidere syluas
Ligna, suburbanisq; aduoluere grandia templis.
Tum cœtus siquando inter, mediusq; frequentem
Conuentum astaret populi; mox aggere capto,
Suggestu ue alto tripodum, turbam eminus omnem
Vnde oculis legere aduersam, atque agnoscere posset;
Talia fundebat dictis, populumq; monebat:
O plebs, ò diues proauis, animisq; iuuentus

Viuida, quæ generis vos tanta obliuia vestri
Fecere immemores? quæ nunc diuortia regnis
Abiungunt superum? cognatæ spernitis vltro
Gentis amicitias? patrijq́; alta atria cæli
Linquitis auersi? ò quò vos dementia captos
Cæca trahit? quò fœda animis illapsa voluptas
Abducit? quantos heu sensibus implicat imis
Furtim ignes, quantis perfundit corda venenis?
O' ciues cur nulla boni vos cura supremi
Pertentat? magni quin vos solia aurea cæli
Iam tandem aspicitis, desertasq́; ætheris oras:
Quas diuum pater, infidis ex arce colonis
Deiectis summa, vobis transcripsit: & vltro
Iam tum hominum stirpem primis delegit ab annis
Hæredem: & generi deberi sidera nostro
Constituit, mortalesq́; immortalibus addi?
Et tamen (ah scelus) hæc ò ciues spernere dona
Non pudet? abnuere hæc audetis munera? cæli
Hospitium tanti, tanti aurea penditis astra?
Vosne ea cura poli tenet, is rapit ardor Olympi?
Cælestis memores doni, sic gratia vestros
Tanta animos fecit? sic vos in fœdera diuum,
Sic in amicitias, sic itis ad æthera? summis
Cælicolis, hominum sic vos iuuat addere gentem?
Prô dolor ignariq́; boni, ignariq́; malorum
Quò ruitis? quin præcipites, laxata quadrigis
Insanis, quò lora trahunt, modò cernitis? ah mox
Supprimite, audaciq́; manu reflectite habenas.
Blanda voluptatis captiuo vincula collo

Excutite: & lætas mentes attollite cælo:
Vnde animus genus, vnde hominum spes certa salutis.
Exuite ah corporem, & iam defendite longè
Cordibus insanos ignes, & carmina vestris
Colchica: Circææ quamprimùm linquite terras
Crudele hospitium: miscens vbi dira venenis
Pocula tartareis, & sacro murmure adurens,
Vos hominum ex pulchra facie, illaudata voluptas
Induit in vultus, & tergora sæua ferarum.
Iam verò (ne ficta loqui, ne ludicra credar)
Huc primùm huc acies aduertite luminis ambas.
Hic altè tumidam ceruicem attollit, Olympo
Aequat sese animo, quid fas, quid iura monendo
Edicant, nescit, cæloq; irascitur alto.
Ecquid mentis eum, & diuini creditis haustus
Consortem? aut ira potius fremituq; leonem
Raptantem immani libycos armenta per agros?
Hic struit insidias auro, semperq; rapaces
Semper inexhaustos opibus præpandit hiatus.
Coge pecus, tege pastor oues: hominem exuit ille,
Iamq; immanè vlulans lupus insidiatur ouili.
Ille in concubitus, veneremq; obscœnus in atram
Soluit marcentes artus: sic terga palustri
Nonne volutabro sus horrida vetere sueuit?
Ille piger somno indulget, lentusq; veterno
Torpet: eum obtusum cur non fateamur asellum?
En furor hunc ardens, subitaq; agit impetus iræ,
Igne micant oculi, scintillantq; ora: quid vltra
Fulmineumq; aprum, turpem aut mirabimur vrsum?

Sed rerum quis erit modus? aut comprendere dictis
Quid certis nunc conor ego? astrorum ignibus æther
Quot micet insignis: deuexo à vertice nubes
Quot niger auster agat, nostri dum sidera cæli
Condit, & æthiopum soles de more serenat;
Antè equidem explorem, & certo priùs ordine discam,
Quàm monstra eualeam, & fœdas percurrere formas,
Vos quibus immutans superinduit effera Circe.
Ergo agite, astra animo, moneo, affectate volenti;
Dum vacat, & genitor superum pacatus Olympo
Clamat ab æthereo, vósq; ad solia aurea cæli
Compellit: dumq; ille hominum sator, atque potestas
Intemerata patris, naturæ inuentor & auctor,
Vos; malo ex alto pendens, & brachia latè
Arduus attollens: sed mutua ad oscula prono
Ore, in complexus vltro ruiturus amicos;
Voce vocat magna, cælóq; inuitat aperto.
Quin etiam horrenti perfossum cernite sacrum
Vepre caput, quin pectus hians, & lubrica tabo
Vulnera, traiectásq; immiti cuspidis ictu
Vulnificæ plantas. en mollis sanguine barba
Puluereo concreta riget: squalentiáq; horrent
Colla: rigent flaui crines: riget aurea ceruix:
Pallet sidereo multùm expectatus Olympo
Vultus, adoratusq; astris, nitidisq; coronis
Stellarum euinctus, lustratusq; ignibus æthræ.
At verò (ò mentes cæcas, ò dira furentum
Corda hominum) tantos nunc dissimulare dolores
Sic iuuat? ah scire abnuitis, iam tum ille periclis
Vos

Vos quibus eripuit? nunquid non sanguine loti
Illius, exemptiq́ atri phlegetontis ab imo
Gurgite, sulphureisq; atque igne tumentibus vndis
Seruati, & magnis asciti, fœdere sacro,
Concilijs diuum? cælo desciscere ab alto,
Et rursus veterem stygis horrida monstra vocare
Sic in amicitiam iuuat, atque exposcere pacem?
Tartareis ne vos, moneo, ne fidite pactis.
Heu caue plebs, malè suasa caue: heu iam pectora ciues
Excutite ò tandem, cæcásq; agnoscite fraudes.
Aspicite vt sese toruis accincta colubris,
Agmináq; vsque ciens dirarum insana sororum,
Tisiphone à tergo vobis attollat; & instans
Insidias struat. ab capite arma, repentè periclis
Consulite in tantis; defendite finibus hostem:
Sæpe etiam antiquis odijs, accensáq; diris
Inuidiæ facibus, blanda vos impetit arte,
Vipereisq; dolis, siquà alto auertere Olympo
Vafra queat, captósq; erebi detrudere ad imum:
Vsqueadeo uobis transcripta sedilia cæli
Inuidet, & toruis diuinos spectat honores
Sæua oculis: ne verò atri, ne fidite monstri
Promissis: valido sed iam tum pectore ad altum
Aspirate polum, obnixiq́ capessite sedes
Felices: vocat æthereus, palmaq; labores
Obiectu pater emollit, nitidásq; coronas
Ostendit lætus, summóq; inuitat Olympo.
Quare agite, ò ueterum contagia dira malorum
Eluite, & pestes animi deponit fœdas,

Subnixus solio, cinctusq; ardentibus astris
Franciscus, terris meritos sibi poscat honores;
Plebs canit omnis ouans. Auertitur ille canentem:
Et plausus odit vulgi, indignatur & auras.
Inter primores fama notissimus vrbe
Ciuis erat tota: genitor quem protinus ortum
(Francisci, primus quoniam florentibus agris
Vernaturus erat) perflatus numinis aura
Pectora vaticini, Vernardum dixerat olim.
At plebs Romanæ nimium tunc æmula linguæ
Turbauit vocem, Graióq; cacumine dempto
Inseruit latium, primisq; assueuit ab annis,
Surgentem puerum Bernardum dicere: donec
Paulatim nomen tota notesceret vrbe.
Hic validos artus iam firmus robore & æuo,
Connubijq; expers, omnémq; exosus ab annis
Primæuis Venerem; quanuis ditissimus agri,
Atque Subasigenum fortunatissimus esset,
Consilio grauis, & lingua dictisq; disertus;
Audierat vulgi plausus vocesq; sonantis:
Audierat monitus, diuináq; iussa canentem
Franciscum: attonitusq; animo spectauerat illum,
Admirans oculis ignem, lucémq; coruscam
Afflatam, & toto fulgorem absistere ab ore.
His ergo aggrediens illum, prior excipit, heus tu
Quæso agedum nostros lætus Francisce penates
Hospes ini, mensas ne dedignare paratas,
Néue horresce dapes, poterisq; (agit Hesperus axem
Iam tum purpureum) mecum vitare tenebras.

Sic Heros breuiter: iuuenis sic rettulit orsus.
O mihi prim auos adeò uenerate per annos,
O columen patriæ, lux ò uirtutibus ardens,
Multùm oculis spectata meis, & sæpe magistra
Obseruata animo; quid nunc hortatibus instas,
O pater, & mollis iussa, imperiumq; reponis?
O mihi fortè hodie. ueniat quid munere tanto
Gratius? aut quæ me ulla domus tam læta receptet?
Hæc cõtrà dabat ore: dehinc unà (haud mora) dextris
Implicitis, subeunt tectis, cœtusq; relinquunt.
Ingreßis positæ sedes fecere quietem:
Móxq; toris micuere dapes: quibus inde remotis;
Olli non citharæ modulos, non carmina vocum,
Non bifores poscunt sonitus, thiasosq; petulcos:
Sed facta Heroum, & virtutum insignia longos
Sermones præclara trahunt: noctisq; profundum
Narrando absumunt: cedit pars vltima somno.
Postera vix nigras radijs Aurora tenebras
Vrgebat primis, motusq; & viuida rebus
Lumina reddebat: cùm iam Franciscus ab altis
Correptus stratis, supplex de more parenti
Cælicolum magno liba intemerata ferebat:
Scilicet haud fibras pecudum, prosectáue in aras
Porriciens, sed corda animo candentia puro.
Ergo ritè suum genium sic voce vocabat.
Fide comes, diuum cui me Rex maximus, olim
Mox genitum, vigili cura, aßiduóq; labore
Seruandum addixit: donec spirabilis auræ
Iucunda fas luce frui; modò lætus honores

Accipe me consueta tibi per vota ferentem.
Oranti nunc dexter ades, dextróq; potiri
Da mihi fine hodie, pedibus da tramite recto
Tendere iter certum, summo quà tollere cælo
Me valeam: plenos diuini luminis haustus.
Da tandem: & cæcis erroribus exue mentem.
Imò vbi sidereos nox atra accenderit ignes;
Tu vigil, eumenidum assultus, anguésq; retortos
Frange potens, hostésq; manu contunde furentes.
Et nequà à tergo mihi sese attollere poßint
Monstra erebi incauto, custodi & consule prudens.
Talibus orabat iuuenis: cùm nobilis hospes,
Parte alia sese Bernardus lumen agebat
Sub matutini iubaris, sedémq; petebat
Francisci, cui multa animo narranda ferebat.
Congreßi sedere, manus hinc inde reuincti.
Tum prior his æui maturior orsus: amicis
Franciscus dictis patulas dat comminus aures.
Principiò ingentem diuum sator optimus orbem
Condidit, & formis tellurem impleuit inanem
Monstrificis rerum, ioßitq; micantibus astris
Effulgere polos, pontiq; enabile mutas
Squamigerum pecudes æquor versare natatu;
Alituumq; animæ magnum transcripsit inane.
Nec contentus eo (quod enim dehinc cætera posset
Imperio premere, & rebus dare iura creatis,
Nil dignatus adhuc) extemplò gnarus ab alta
Mente hominem fundens, opus immortale, laborisq;
Extremum dedit ipse sui: quem mox nouus orbis

Accepit regem sceptris solióq; potitum.
At (ne longa quidem mora) captus fraude colubri
Excidit infelix felicis limine regni.
Tum Rex cælicolum, magni patris vna propago,
Quæsiturus eum, summo descendit Olympo.
Quin etiam exilij casus miseratus iniquos,
(Abspernax animæ virtus & prodiga magnæ)
Quò raptum patriæ sedem reuocaret ad altam,
Mortem vltro, & diras luit atro in sanguine pœnas.
Quid verò imperium, sceptriq; insignia tanti
Reddere profuerat, deiectamq; arce suprema
Gentem hominum, solio rursum statuisse superbo:
Ni cælo demissa potens tutela, reductam
Seruaret, validóq; fouens munimine circùm
Ambiret celsam sedem, & sceptra aurea regni?
At non vna satis tantis custodia rebus,
Non vigil vnus erat: non tela immania contra
Eumenidum, fragilis clypeus, non marcidus ensis
Sufficere, aut tenues poterant consistere vires.
Hinc cæli domitor, volucrum de gente petitos
Demisit vigiles, assertoresq; potentes:
Qui genus infelix hominum celsa arce receptum
Tutari, atque hostes longè defendere possent.
Olli necquicquam segnes, data munia complent:
Ardentesq; animis, simul & cælestibus armis,
Aßiduè cum tartareis bella aspera monstris
Ducunt: victores sequitur sua gloria paßim
Aligeros: turpes contrà infelicis auerni
Dira cæde acies fusæ, plagisq; pudendis,

Multà gemunt ignominiam, vinctæq; lupatis
Ora, fremunt, frustráq; cient sub corde furorem.
Ni verò inuidiæ tantæ, irarumq; potestas
Immanis domita, & cælesti robore fracta
Sic caderet; piceas hominum genus omne sub vndas
Deuolui Stygis, & quam primùm manibus imis
Siderei videas misceri lampada solis.
Non hæc fatidicis vatum monumenta piorum
Carminibus tantùm meme docuere: sed hausi
Ipse oculis quæ dicam: animo tu conde sub imo.
Cynthia supremum culmen superarat Olympi:
Et matutinam iam tum meditata quietem,
Prona leues currus properabat tingere Iberis
Fluctibus: ostentum (nec somno vrgebar inerti,
Sed vigiles alto versabam pectore curas)
Cùm mihi terrificum mox visum astare iacenti:
Sublustrem, quà pendentis fax viuida lychni,
Effundens lucem, tenebras pellebat inanes.
Nanque improuisò; non vmbra simillima fumo,
Sed viuax species veri, & conformis imago;
Ante oculos, medio in thalamo, pulcherrima virgo
Constitit: ornatu miro velamina pallæ
Illam insignibant niueæ: quam plurima flexo
Illusa argento percurrens purpura obibat:
Tum circùm, quà colla nitent, suprema smaragdis
Insertis, pallæ micat ora, & fulgurat auro.
At; quoniam atra sinus labes infecerat albos,
Fulgorémq; auri rutilum fœdarat, & ostrum
Proluuie immunda; vultum demissa nitentem

Mœrebat

Mærebat virgo, & lachrymis simul ora rigabat.
Dumq; gemens, & crebra ciens suspiria ab alto
Corde, manu pectus gemina percundit honestum,
Deiectóq; animo tristis sese increpat vltro;
Improuisò astat coràm teterrima Erinnys,
Nexibus intorti pectus succincta colubri:
Læua faces, vncum vibrat ardua dextra tridentem:
Ora efflant ignes: oculi fumantia iactant
Fulgura: præcipites capiti pro crine cerastæ
Dependent, perq; ora vagi, pérq; atra retorti
Colla gemunt, linguisq; humeros & pectora lambunt.
Mox ergo horribili monstrum exitiale puellæ
Voce, ait, insultans; heus expectata trifauci
Dudum præda cani, Stygióq; sacrata profundo,
Quæ modò vis manibus te nostris eximet? aut quam
Infelix spem mente secas? via nulla salutis.
En vltrix en dira adsum scelerum ipsa tuorum.
Obscœnam nunc ede animam, nunc ede nocentem,
Infidámq; suo Regi, dominóq; rebellem:
Ede, face hac Stygias ibit detrusa sub vndas.
Sic dira infrendens quassat caput: ilicet hydri
Concussi gemuere atrùm, linguisq; trisulcis,
Ora remulcentes stridentia, nexibus arctis,
Virginis intentant captiuo vincula collo.
Quin & dirarum extemplò simul affuit agmen,
Assiluitq; immanè vlulans, trepidámq; puellam
Ambijt: igne micat facis hæc, illa angue retorto
Stridentem attollit dextram, hæc præfulget ahena
Cuspide, cæstus eam grauat, hanc immane flagellum.

Centum

Centum alias, alia arma premunt, insignia certa
Pœnarum. ergo omnes certatim auersa trementis
Virginis ora petunt telis, dictisq́ lacessunt.
Illa (quid hoc vltra mollisq́ & fœmina posset?)
Diuum implorat opem, & clamorem ad sidera iactat.
Audijt orantem cæli regnator: & vnà
Aegide præfulgens, & formidabilis hasta
Aliger insonuit pennis, corámq; refulsit.
Extemplò Eumenides retro cessere procaces.
Tum sic increpitans tumido leuis armiger ore,
Vnde, ait, hæc animis tam sæua licentia vestris,
O pestes diræq; canes? qua lege supernum
Perturbare orbem, nostrósq; inuadere fines
Audetis? vos'ne æthereis è sedibus olim
Fulmine deiectæ, fœdasq́ informis auerni
Sub tenebras contrusæ, impunè has luminis oras,
Atque iterum aspicitis iucundi sidera cæli?
Quin (scelus) audetis cæcas mortalibus agris
Insidias struere, & monstris terrere prophanis?
Præcipitate fugam, tenebrásq; reuisite notas.
Diffugere omnes, totumq́ euanuit agmen.
Vna, atque ipsa adeò trepidans, dux effera Erinnys
Distulit effugium, fremituq́ hæc edidit atro.
Ecquid, io, vnquā animos linquēt odia aspera uestros?
Illéne Rex vnquam; generi pulcherrima nostro
Qui decora (ah meminisse piget) malus abstulit; iram
Exuet? heu ne parum est; summo quòd fulmine Olympo
Præcipites erebum nos deturbauit in imum,
Et tristes sine luce domos habitare coegit,

Aeterno ingentis claudens nos obijce terræ?
Quódq; etiam inuisis aurata sedilia cæli
Vt nobis erepta olim, transcripsit iniquus
Terrigenis, ac nostra homini modò regia paret?
Nec dum longa obitis iam tum per secula pœnis,
Cælicolum crudele odium, Regisq; superbi
Iniustasq; minas, tumidásq; exhausimus iras?
Insuper (heu nec vos leges, nec iura coercent)
En nostras impunè domos, & tartara nigra
Diripitis: nostrisq; immania sæpe trophæa
Ditata exuvijs, cælo super astra locatis.
At nobis ne regna quidem tutarier armis
Nostra datur: nostras gentes domitare vetamur.
Et nunc quid superest, qua nos regione potiri
Cogitis? an rursus lucem speramus & astra
Rapta, quibus præstant malè fidam tartara sedem?
Esto autem hæc leuia esse rear, si qua afforet ætas
Supplicijs positura modum: aut ferus impia vester
Moliri interdum dextra Rex fulmina cesset.
At frustra hoc animis votóq; optamus inani.
Sed tandem furor hic quid fert nouus? excitus ira
Quid tantum increpitas, probrisq; infensus amaris
Me petis? anne meis etiam num perfide tentas
Eripere hanc manibus prædam? dignata triumphis
Tam fœda æthereis, conscendet fœmina cælum?
Sat fessas aures longis ambagibus, alta
Voce, moræ impatiens, cæli bonus excipit ales,
(Quippe animus casta diuinus inarserat ira)
Iam dedimus: satis auditum est: absiste, nec vlträ
Tartareos

Tartareos intende sonos. quid si ista per annos
Longos virgo nocens? fateor, sub pectore gessit
Fœdam animam sontemq; diu, celóq; rebellem:
At tu causa mali, dum te malè cauta sequuta est.
Vipereos dum tu flatus, aurámq; nocentem
Inspiras; altè sublapsum corde venenum
Lethiferum bibit, & potu se proluit atro.
Tartarei patuere doli (fera cede) tuiq;
Apparent astus olim, insidiæq; retectæ.
Iam tum illa exactæ culpas & crimina vitæ
Admissa incusat: labes iam ritè nefandas,
Atque ignominias animæ, tristißima luctu
Diluit: & rapti decus immortale pudoris
Multà gemens; nunc te diram execratur & odit.
Proinde nitor vidén' vt redijt iam in pristina pallæ?
Virgineusq; decor suffusus vt ore nitescat?
Si qua tamen veterum penitus concreta malorum
Restat adhuc animo labes; expendere corpus
Supplicia infectum paulatim longa necesse est:
Donec contages excedat funditus omnis.
Atque hinc egregio virgo est credenda magistro,
Quo duce multa ferat: varijsq; exercita pœnis,
Quæcunque exuperant scelerum vestigia, ponat:
Audis? hoc caput, hæc nostri sententia Regis.
Ales ait: iuuenisq; vnà coràm ilicet astat
Improuisus: eum circum horrida læna tegebat
Laxáq; percurrens rudis ilia restis obibat.
Ad quem sic placido volucer leuis ore loquutus.
O iuuenis præstans animi, tibi creditur vni

Hæc virgo: tu fidus eris seruator, & acer
Depositi assertor: donec demissus Olympo,
Nuntius huc adsim concredita dona reposcens.
Nec plura his. inde attonitámq;, atque ora tenentem
Defixa obtutu, dextra parcente, puellam
Excutiens; sensus tactu mentémq; refecit:
Tum leuis ex oculis, tenues secedit in auras:
Mortalémq; aciem fugiens simul astra reuisit.
Vt; boreæ cùm vasta lues florentibus aruis
Ingruit; horrescunt sata læta, rosaria marcent,
Virgineas deiecta comas candentia languent
Lilia: vitalis tum si leuis aura Fauoni
Aspiret; præfulget honor mox graminis omnis,
Conuestitq; recens informes gloria plantas;
Sic, monstris virgo procul infelicibus actis,
Attollit vultus lætos, frontemq; serenam.
Tum iuuenis pedibus proiecta aduoluitur imis.
Hæc me visa cient, vigilem his terroribus vrget
Insopita quies, turbátq;, agitátq; iacentem.
Quare agedum Francisce nouum, quod pectore verso,
Percipe consilium: atque animo perpende, quid illud
Exposcat, quid ferre queat, quò denique tendat.
Vidi equidem, prudensq; tenaci mente notaui:
Visáq; sub memori penitus modò condita seruo
Pectore; cælestis quàm clara insignia vitæ
Monstraris: cùm tu sublimis ab aggere voces
Eminus in populi circùm fusa agmina iactans,
Ore tonas diuina patris mandata supremi:
Cumq; iter ostendis virtutum; & spernere fœda

Dona voluptatis, fraudesq́; & pocula Circes
Monstrificæ vitare mones, & rumpere nexus.
At verò vnum illud mirum, præq; omnibus vnum
Obseruasse iuuat, quondam & meminisse iuuabit:
Quòd tibi nec plausu turbæ, nec inanibus auris
Commouere animum, nec læto gloria vultu
Pellexit surdas blandis rumoribus aures.
Nec temerè hæc, reor, eueniunt: sed, ni mea vanis
Fallitur augurijs mens, protinus altior ibis
Aligeris inuectus equis: maioraq; paßim
Pertentans; magnos populos, vastumq́; ciebis
Ore orbem, & sæuo quassabit tartara pulsu.
Ergo operis tanti, quod dehinc molire, laborum
Ne, quæso, meme primum exorresce sodalem,
Neu fuge me comitem summis adiungere rebus.
Est animus cœptis par hoc sub pectore, & ardens
Magnarum contemptor opum: quiq́; insuper altum,
Morte obita, quem tu captas, mercetur honorem.
Præterea, validiq́; suis cum viribus artus,
Integrumq́; æui, constansq́; in robore corpus
Floret inoffenso, naturaliq́; vigore.
Nec verò ignauos antehac turpiq́; veterno
Exigere obductos vacui consueuimus annos:
Non vitare acres, non exhorrere labores.
Primùm autẽ (quanquã haud huius satis ardua facti
Gloria) prouentu quicquid fortuna benigno
Defert blanda mihi (neque enim sunt tenuia nostri,
Scis tu, iura laris, scis vt me dicere sueuit
Felicem vulgus, scis vt non esse beatus

Hoc vno videar, (soboles quòd nulla senectam
Solatura domi ludat mihi) suadet egenis,
Mens elargiri modò certa: & funditus omnes
Spargere opes miseris: quò meme deinde caducis
Exutum rebus, dubiæ nec casibus vltrà
Fortunæ addictum varijs; tantùm igneus ardor
Sublimem virtutis agat, celsaq; locatum
Arce; hominum curas, & spes contemnere vanas,
Et summo doceat paulatim assuescere cælo.
Nec verò sine te quicquam mens inchoat: expers
Consilij non vlla tui me fama sequetur.
Te duce cuncta geram: tibi sese deuouet vni
Sponte volensq; animus: tu ne, rogo, defice, néue
Differ opem: eximijs dextram ne subtrahe rebus.
Vt tandem his Heros finem dedit ore loquendi;
Excipit, & primùm iuuenis sic intulit orans.
Summe parens, rectorq; deum, sator optime rerum,
Ecquid ager primo vix dum proscissus aratro
Noster habet segetem? tacto vix semine, turgens
Surgit ador? messes inarata iugera terræ
O genitor sic ferre iubes? Sed non mea virtus,
Non ars, non labor hæc, mea non fert dextera: rebus
Haud equidem his satis, haud par tantā euoluere molē.
Maior agit virtus: tua vis, tua magna voluntas,
Cuncta afflans auræ vitalis lumine complet.
Tu tamen ò pater hæc facili precor aspice vultu
Liba pius: iam nunc primas bonus accipe fruges.
Daq; animum inuictum, atque opera ad maiora paratū.
Nunc vltro ad te hospes venio: nec iam tua visa

Dißimulo. Primum (ne tu modò finge) profectò
Nil equidem ignauum de te, nil vile, nec vnquam
Indecorem'ue animum, mores'ue habitare sub isto
Pectore degeneres, veritus: sed viuida virtus
Semper honoratum, semper te fortibus ausis;
Seu dum læta venit, seu dum sors ingruit atra;
Rettulit insignem, & nullius laudis egentem.
Quis verò, quod deinde ardens sub pectore versas,
Consilium arguerit? quis non pia facta probarit?
At non tanta quidem fas hæc molimina obire,
Non dare præcipiti, tam vasta per æquora, tutum
Vela noto, inuitis cælestum nutibus: at mox
Supplicibus votis, precibusq; vocare necesse est
Numina magna deum, veniamq; exposcere rebus.
His simul auspicibus nullus labor irritus ibit.
Et monstris quæcunque atrox portendit Erinnys
Terrificis, animos vrgebunt mitius olim.
Ergo agè (quando aër primo iam sudat Eoo
Rore leui: stantq; ad cantus altaria circum
Pura sacerdotes puri, laticemq; Lyæum,
Et sacras libant fruges, dum, pocula Regis
Suprema ætherei instaurant, & numina placant.)
Vicini pariter templi sacra tecta petamus,
Poscentes dubijs pacata oracula cœptis.
Dixerat. vnaq; ingreßi, delubra subibant.
Procumbunt simul ante aras, diuosq; precantur.
Interea, dum certa petunt responsa deorum,
Dum, quid ab æthereo mandet Rex altus Olympo,
Suspensi expectant; sopor improuisus opacat

Attonitum Heroem: moxq; artus ille resoluit,
Alta per obtusos sensus obliuia passus.
Ignea vis animi tantùm collecta silenti
Sede micat: tum spectra modis errantia miris
Multa videt, vocesq; audit: fruiturq; calore
Lucis inaccessa, & diuini luminis aura.
At pater æthereus cælo ter luce coruscos
Dat tonitrus: nubemq; obtendens obijcit orbe
Fulgentem aurato, & radiorum ardente corona
Præcinctam: ac de nube caua vox protinus ingens
Redditur edicens monitus ex ordine trinos.
Ne tu consilium (diuum pater illius auctor)
Verte Subasigenum vir prudentißime, quod nunc
Corde foues. Mox diuitias (labor hic tibi primus)
Funditus elargire: inopum manus obuia paßim,
Perq; vias, perq; ampla tibi fora: languet vbiq;
Pauper, vbiq; gemit: tristes agè comprime luctus.
Exilium mox acre instat, nullisq; leuandum
Olim opibus: nec dehinc vestigia crudus obibit
Pero tibi, duplex'ue premet te penula: nulla
Cura peni subeat; monitus ea forma secundi.
Postremò (immanis labor hic, teq; acrius olim
Hauriet) atherei vestigia nuda sequentem
Te Regis, tua vota sequi non posse, necesse est;
Sed frana accipere, atque animo parere volenti,
Alterius iußis, malaq; exuperare ferendo.
Vox tantùm hæc. stupor vnà Heroa, soporq; profundus
Continuò linquunt. Francisco exterritus ille
Mox visa oranti, simul & mandata renarrat.

Sustulit ille manus, vultumq; ad sidera, grates
Persoluens superis: breuibus dehinc talia contrà
Cunctanti responsa viro, sic reddidit orsus.
En tibi (rebar enim, nec me spes vana fefellit)
Aurea nunc cælo, tenues delapsa per auras,
Fax iter ostendit: multáq; in luce refulgens
Ducit ad æthereas certo te limite sedes.
I, monitus ne sperne sacros: i, nunc, agè segnes
Rumpe moras: vocat insignis te gloria facti,
Clamore ingenti vocat indiga turba: reclude
Nunc nunc thesauros: agè lux ne crastina tantum
Spectet opus: sed te diues iactura fatiget
Tota hodie: mora parua mali tibi causa pericli.
Non dum finis erat monitis: cùm prouidus Heros
Expletus mentem diuini numinis haustu,
Ibat ouans, notiq; laris iam tecta subibat.
Continuò famulum simul ad consueta paratus
Seruitia accurrit cœtus: quos sic bonus vltro
Aggreditur dominus, dictisq; affatur amicis.
Hactenus ò fidi (neque enim non credita semper
Curarum vobis summa est, rerumq; mearum,
Verborumq; fides) animis mea iussa sequuti
Demissis, vltro imperium, facilésq; tulistis.
Nunc finem hæc vestro lux est positura labori.
Vos autem quæ dicam animis affigite certis,
(Haud etenim ludicra hodie, aut communia vulgo
Cernere erit) meáq; hæc sint irrita dicta, cauete.
Quæ sors, quiq; lares, mihi quanta opulẽtia, nostis.
Hinc felix dicor: sed non ego protinus ille,

Quem fingunt: quippe ambiguos agnoscere vultus
Fortunæ euasi tandem: didiciq; superba
Vt dextra sublimè fouens attollat iniquos,
Et temerè immeritos colludens æquet Olympo.
Vt contrà insultans sedes deturbet in imas
Insignes, & quos subuexit ad æthera virtus.
Parte alia; quoniam quicquid mortale creamur,
Non exoratæ pallentia mortis in ora
Præcipites agimur certa atque sine ordine præda,
Vltricesq; premunt sontes, versantq; flagellis
Eumenides; timui, & vestigia fixa retorquens,
Fortunæ insidias, astusq;, dolosq; refugi.
Quare agite (exposcit vos hic) labor) ite frequentes,
Ite citi: quota sit nunc explorate peculi
Summa mei: mox cuncta simul date cognita venum;
Prædia, rura, domos, fundos, lucra, fœnora, merces:
Et dapibus sedate famem, atque horrentia amictu
Membra fouete inopum: vacuas quibus insuper auro
Argentóue explete manus, donisq; grauate.
Neu quis ob insuetum morem conterritus, ingens
Auersetur opus frugi mihi: quò minus omnis
Prouentus digestus eat, claustrisq; solutis,
Diuitijs exhausta gemant æraria totis.
Non hominum, non hæc, mortalia, credite, mandant
Iussa: sed ora deum: voci parete deorum.
At verò ne certa olim sua munera vestris
Seruitijs desint, neu vos meminisse laborum
Iam pigeat; prima, ante alios sit præmia vobis
Fas sorti excipere, & læta iam mente potiri.

Talia

Talia iussa dabat famulis: mussare videntur
Olli: nec facti causam scitarier audent,
Nec iussa expediunt: sed tantùm astare silentes:
Cunctantesq; animis rem voluere preßius imis.
Increpat ille moras: exciti protinus omnes,
Sese operi inuiti accingunt: venalibus agris
Hic sortè addictus, mox arua feracia multo
Auro permutat: tum latè consita baccho
Iugera, & vmbratos flaua Tritonide colles,
Aere nouis transcribit heris, mutatq; recepto.
Ille greges, & quæ flaui iuga læta Subasi
Vulgò pascuntur, confestim armenta reuisens;
Dat venum, atque procos vltro compellat emaces.
Parte alia, haud segnes alij scrutantur in vrbe
Prouentus, mercesq; graues: & fœnora paßim
Larga recognoscunt: iam quantas arua per annum
Culta ferunt messes, quicquid nemora ardua mittunt,
Vmbrosiq; gerunt saltus, obleæq; sub vnctis
Quicquid flauentes exudauere trapetis,
Quicquid & aërei pecuaria læta Subasi
Reddiderant, quicquid tandem fortuna beato
Vexerat indulgens reditu; festina ministrum
Turba recensebat: feruensq; instabat herili
Mandato: iamq; absumptis simul omnibus; ædes
Restabat tantùm: laribus quid parcitis, Heros
Continuò exclamat: nil ò mihi nil opus istis
Seruatis: parent famuli: similiq; penates
Exitio damnant: eadem auctio diripit illos.
Tum simul omne aurum manibus stipatur egenum.

Iámq; adeò vir magnanimus, nil mente caducum,
Nil animo ignauum, nil corde agitabat inane.
Sed magnus contemptor opum, contemptor honorum,
Sede sedens tuta, solidáq; locatus in arce,
Ludicra fortunæ ridet, casusq́; proteruos.
Iámq; vnum obseruat tantùm, comes vnicus vni
Hæret Francisco, & multo dignatur honore,
Grandæuus iuuenem, sequiturq́; haud degner illum,
Non impar animo, curis, operiq́; futuro.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIB. VI.

INterea magno totam rumore per Vrbem
Fama canens, populum crebris sermonibus implet,
Tam magis ingeminans voces, & garrula pandens
Guttura; quàm rerum species monstrosior ipsa est:
Quámq; inter primos fulget conspectior Heros.
Ergo omnes stupor altus habet; mirantur & omnes
Prodiga facta viri, & certatim ad sidera tollunt.
Ille hominum plausu nequicquam excitus inani:
Sed cura maiore actus, melioráq; versans
pectore consilia; insani præconia vulgi
Despicit, & vanos vltro auersatur honores.
Tantùm autem ipse suo tacitè cum corde loquutus,
Ardua cœpta animo repetit versátq; sub imo.
Multáq; se incusat, primam quòd lentus inérsq;
Aetatem, quòd deinde graues inglorius annos
Egerit: aut saltem quòd non prius vtile damnum
Et rerum insignem iacturam asciuerit vltro.
Tum verò sese vitam exhortatur ad acrem
Accenditq; animum stimulis: durósq; labores
Præcinit ipse sibi, belliq; instare tumultus:
Séq; adeò angustis paulatim assuescere rebus

Edocet,

Edocet, obduratq; malis: animóq; volenti
Fortiter addiscit perferre incommoda rerum.
Nec sinit ignauæ pulsu formidinis vllo
Quassari mentem: quin imperterritus instat,
Cœpta alta insectans: venturorumq; laborum
Irritans species, vocat expectátq;: nec acres
Aduersósq; horret casus: sed fortibus ausis
Insultansq; animo, contrà sese obuius offert.
Nam parte ex alia spectat, quæ præmia virtus
Aerumnas mulcens sæuas, duróq; labores;
Prætendit dextra, & certantibus ardua monstrat.
Hoc tum, animum attollens, ardet magis, acrius instãs
Vota acuit, firmátq; libens, spémq; haurit abundè.
Nec minus inde noui facili bibit aure magistri
Consilia: obseruat iam tum hunc, miratur, amátq;.
Quin & nocturnis hunc ipsum credere visis
Portendi haud dubitat, seruatorémq; puellæ,
Hostem erebi immanem, vastatorémq; profundi.
Ac veluti armento abductus; cùm nocte per agros
Errauit multa vitulus; si, luce diei
Iam tandem exorta, stabula exoptata reuisat;
Continuò alludit matri, simul hubera circum
Faucibus insiliens vrgétq;, trahitq; petulcis;
Sic obit aßiduè Franciscum prouidus Heros
Altorem, sequiturq; ducem, fruiturq; magistro.
Interea; queis corda acuit pulcherrima virtus;
Exurgunt alij, non inferioribus ausis
Ardentes: hi se geminis non impare iungunt,
Agglomerántq; animo, seséq; laboribus aptant.

Et iam bisseni, lectißima corpora circùm
Astabant, primiq; duces insignibus armis
Ibant fulgentes: quos inter vertitur alto
Culmine mentis ouans niueæ, graditurq; superstans
Franciscus dux ipse ducum: non murice fulgens
Vestis eum obnubit; sed circùm tegmen acutis
Consertum setis obit, & complectitur artus;
Iliáq; immitis succingit mollia rectis:
Inde cauum, in morem galeæ, procumbit in armis
Tegmen ab occipiti summo: quo sæpe reducto
Fronti; hyemem, nimbos, & solis temperat æstus.
Prædurata pedum iam vincula planta recusat.
Hos ductor cultus amat, hoc effulget amictu
Conspicuus: similiq; bonos effulgere suadet
Tyrones: paret monitis non aspera pubes.
Qualis; Strymonias volucres, iter ordine prima
Seruantes bifido vocis, dum stagna tepenti
Frigida permutant Nilo, captantq; calorem
Assuetum; prospectus habet: qualis ue magistri
Fida greges docti vestigia ponè sequentes,
Sensus agit; tali comitum delecta piorum
Turba, ducis præcepta animo, ac simul aure capeßit.
Quos vbi Franciscus, nil iam virtutis egenos
Cognouit: circumq; adeò sese adgmine denso
Confertos, vidit monita expectare salutis;
Constitit in medio, & sic altius intulit orsus.
Si libet ò socij, cunctarum semina rerum,
Ordine quóue fluant, vel quis, quibus impetus, aut quis
Insit amor, quibus aut subsint, euoluere, fatis;

Nil

Nil erit, humanam quod præstet origine gentem
Cernere: nil dabitur rationis honestius vsu,
Nil & amabilius: nil semine pulchrius almo,
Quo; gens vna hominum cælo demissa sereno,
Terrenam vt molem exagitet, corpusq; caducum;
Aethera rursus adit, seseq; interserit astris,
Et nostra effulget cognato gloria cælo.
Et piget ergo animum, piget excoluisse per artes
Virtutum? ignauos & nos iuuat ire per annos?
Et patimur, moles, terrenaq; corpora, sensus
Aethereos domitent? aurai simplicis ignem
Mortales hebetent artus? inserpere labem
Heu sinimus menti, virusq; ingignere amarum?
At vos; delectos quos nunc Rex altus Olympi,
Degeneres extra curas, extraq; frequentes
Esse acies hominum iubet, & conuexa tueri
Summa poli: atque astris iam tandem attollere vultus;
Ne rursum æquoreis fragilem committite puppim
Fluctibus. Insanus iam vos deterreat Eurus,
Terreat excelso veniens à cardine, raptu
Præcipiti boreas, inuoluensq; æthera ponto,
Nigraq; ab aduersa regione minantibus austris
Prælia, terrifico occurrens, siccoq; volatu.
Dicam autem ipse meæ, quæ nunc sententia menti
Insedit: vos fixa animis mea dicta tenete.
Dum; quæ sidereo cecinit bonus ore magister
Bissenis mandata viris quæq; enthea mundo
Immenso monumenta dedit; sub pectore verso,
Preßius ipse agitans mecum; sese obuia nostris

Plurima

Plurima dant oculis, quæ cœpta accommoda vitæ
Norma forent: sed longa animum numerosaq; rerum
Exterret series. Pauca hinc excerpere ab ijsdem
Mens dictis angusta iubet: quæ ritè, per alta
Deuia, sideret nobis vestigia Regis,
Atque itèr insuetum, quà vertitur orbita nulla,
Callis inaccessi, ceu lucida sidera monstrent.
His meme addico, leges mihi talia sunto.
isci Principiò ergo, agedum, cælestis dogmata Regis
itio Obseruanda quidem, & syncero corde tenenda
Accipio: his vitam instituo: atque horum auspice ductu
. I. Protinus ire viam, & longos perferre labores,
Insueto in more, insuetóq; in tegmine cultus,
Haud dubitem: Faxo posthac mihi nulla supersit
Libertas animi, votiq; licentia nulla.
Nimirum stat sponte sequi, quocunque vocarint,
Me iussa alterius: stat quælibet ore volenti
Fræna pati, fastumq; animi calcare superbi.
At frustra hîc aciem struimus, frustraq; ciemus
Hunc hostem: nec læta quidem victoria nobis
Speranda est, ni victus opum cadat ardor, & auri
Pulsa fames: alijs non hic ruit ictibus hostis.
Quocirca, victus posthac, cultusq; parandi
Longè omnis mihi cura animo: sed longius auri
Impacatus amor: sat erunt è fontibus haustus
Perspicuis laticum: properatisq; ignibus offa
Frugis tosta, famem poterit compescere fœdam:
Vel magis vmbriferis collecta sub ilicibus glans:
Quali, seu latitans specubus, seu fusa per agros,

Nec dum luxuria mollis, nec marcida somno,
Primæuis victu noua gens contenta sub annis,
Felices duxit soles, noctésq; quietas.
Tum mihi si gemina dextra, læuáq; sorores;
Hæc domita incedens humilis ceruice, subactos
Ponderibus detrita humeros, atque inscia mentis
Elatæ, pariterq; animum deiecta: modesto
Illa grauis vultu, pallámq; excissa fluentem,
Atque assueta malo, & paruo contenta paratu;
Astiterint; mediam extemplò sese aurea iunget
Ritè pudicitia, & geminis interseret vltro
Casta comes, fidásq; agnoscet diua sorores.
Móxq; & acidalios compescet saga tumultus.
Tu verò; astrigeros aditus, mortalibus ægris
Pandere cui datur, & rursum præcludere eosdem,
Cùm libet, & pietas, & fas, pater optime, poscunt:
Cuiq; orbem immensum paribus compescere habenis,
Et licet indomitas mentes premere, atque rebelles
Exterrere minis, mißóq; è collibus iræ
Fulmine, septenis, vltricibus vrere flammis;
Magnos pande sinus, chlamidisq; capacibus vmbris
Me conde amplifica: tua nunc iuga pronus adoro,
Et iußis do colla volens: subigóq; per annos
Perpetuos, olim sobolem (quæcunque erit illa)
Venturam: imperio tu nos, monitisq; fatiga.
Quandoquidem ipse tibi, & fraternis cœtibus vltro
Méq, meósq; hodie, voti reus (excipe) subdo.
Præterea numero ex omni, dux ordine semper
Vnus erit post me lectus: cui pareat omne

Concilium,

Concilium, obseruéntq; meæ agmina gentis.
it. At quicunque animo, quicunque & viribus audax,
. 2. His votis hærere volet: desuetáq; fidit
Se posse angusta perferre incommoda vitæ:
Nec timet Eumenidum incursus, nec tela: sed vltro
Monstrosas acies erebi in certamina poscit;
Adsit ouans, canóq; patri se sistat egenum.
Cui ius militiæ: cui tantùm prima potestas
Credita centuriæ: datur & regere indiga castra:
Arbitrióq; eadem validis implere colonis.
Ipse autem primò (quippe imprudentia cordi
Turpe ducis) mentem tyronis, & alta necesse est
Consilia addiscat, tacitaq; indaginis astu,
Exploret quid verba sonent, quid pectora clausum
Muta gerant; nunc hàc dictis, nunc differat illac:
Excutiat quæ causa trahat, quæ ne incitet aura,
Tam duros támq; extremos tentare labores.
Præcipuè verò petat, ac solertior instet
Quæsitor, num viperei mens labe veneni
Liueat: aut turpis rubigine criminis atra
Squaleat; & dira in superos, sub corde prophano
Murmuret impietas, & sanctis ritibus obstet.
Præterea ipse adeò pater illud prouidus vnum
Scrutetur, num fortè tori consortia blandi
Præpediant iuuenem tacitum, vinclisq; retentent.
At verò ambages longas, diuersáq; passus
Tentamenta sui; si nullam innectere fraudem,
Flagitijsq; animum nullis fœdare videtur:
Et iam cuncta probat, uotisq; tenacius hæret,

Si

Si facilem sese præstet, si fortibus ausis,
Obiectet bellis caput vltro, acriq; labori;
Confestim monitis; qua diuum ad sidera pandens
Rex aditum, & populis spondens communia cæli
Hospitia, edixit; sacro ductoris ab ore
Auditis; quæcunque domi sibi candida seruat
Libertas; lætus turbis donabit egenis.
Dux verò (hoc adeò prohibens edico) peculi
Vel tactu abstineat, dedigneturq; prophanum
Auersus lucrum, atque obiectum sponte recuset.
Imò age, diuitias quibus, aut quo more profundat
Ille suas; nec consultus, multumq; rogatus
Consulat, aut dictis moneat pater ipse rogantem.
At siquem norit, recti, pietatis, & æqui
Seruatorem acrem, sperantémq; abdita diuum
Consilia, atque iras: huic sistere prouidus illum
Dux queat: hoc ignarus opum tentare magistro
Iacturam addiscat iuuenis, damnumq; lucrosum.
Exhin reiecto, quocunque tegatur, amictu;
Quamprimùm ante patrem nudo se corpore sistat:
Qui geminas tantùm, truncatas scilicet ambas
Caßide, & à tergo capitis tutamina nulla
Pendula gestantes, tunicas circundabit illi.
Subnectetq; femur campestribus, ilia reste.
Penula trunca dehinc pectus, dorsumq; repandum
Obnubat, tantùm postrema parte rudentes
Nodosos lambens. Id primum insigne per annum
Esto illi: data prima nouis ea forma colonis.
Ast vbi signiferi Titan percurrerit orbis

Igneus astra semel: nec iam mala tædia cœpta
Vitæ animum tyronis habent; pater optimus illum
Conuentu in medio stantem, sic ore monebit.
Annus habet finem: vita hinc noua, te vetus illinc
Pelliciunt: agedum mauis vtram elige: sed te
Hanc semel arreptam semper seruare necesse est.
Da pelago, si vis, puppim, da vela regressus
Nescia: Romulidæ patris intemerata potestas
Hoc mandat: quippe agrestes, vbi terga labori
Dant segnes; frustra expectent iam frugis aceruos.
Ille autem, si dicta probans patris, annuat vltro,
Seq; volens subdat; tyronum insignia prima
Reiecta ex humeris, ponat: tunicaq; retenta
Vnà iam tantùm (vel si cupit, altera detur;
Id neq; enim prohibere volo) sese induat hortor:
Cui circùm caßis supremam assuta per oram
Hæreat, hybernos capitis tutamen ad imbres.
Pes verò; siquà res dura exposcat; alutæ
Munia (sæpe gelu id, longumq; iter atq; malignum,
Sæpe valetudo, seniumq; expectat) habeto.
Præterea mollis pretiosa licentia vestis
Sit procul, edico, sat erunt horrentia setis
Tegmina, & hirsutis texta instaurata tapetis.
Postremò (id certis monitis onerabo) caueto
Conspicuos gemmis, tunicisq; micantibus ostro,
Et lento illusis auro, luxuq; profusos,
Despiciat, probris'ue notet: verùm aspera secum
Iudicia exercens, sua facta redarguat vltro.
Iam verò exutus terrenis pectora curis Inf. c. 3.

Magnanimus tyro; quò cælo assuescat habendo
Paulatim, tractimq; deum consortia discat;
Primùm; si diuis cælesti more sacerdos
Ductus eat, si perpetui custodia libi
Olli sortè cadat; quamprimùm gnauus honores;
Quos superis cantat totus sacer ordine cœtus
Cum patre Ausonio; addiscat, pariterq; canoris
Vocibus ipse ferat: supplex tum frugis opimæ
Muneribus cumulans aras, stata sacra frequentet.
Hinc, diuum qui sancta ferunt oracula, libros
Haud adeò magnos (paßim breuiaria dicunt)
Versandos sacris olli damus vsibus vltro.
At rudis, & cuius sanguis non viuidus, artes
Palladias refugit; vi dispar, dispare cantu
Dicat inexhaustos diuum, ac breuiore, triumphos.
Ergo agè, purpureum magno dum gurgite tollit
Sol caput, & rutila perfundit lampade terras;
Sistat se templo, & confestim talibus oret.
✠ Noster ades pater astra tenens: sic perflet vbique
Nominis aura tui; regniq; immensa potestas
Calcet inaccessos populos, gentesq; rebelles.
Velle tuum, sic terra velit, ceu sidera seruant.
Tu verò aßiduam vitalis suffice nobis
Frugis opem: pariterq; reis (quando hostibus & nos
Sponte damus nostris) veniam concede rogatus.
Tentamenta atrox quæcunque innectit Erinnys
Da terere, incursus da tandem exire malorum.
Terq; quaterq; orans hæc primo cantet Eoo.
Tum, quæ deinde subit, vacet hora: at tertia rursus
Orantem

Orantem reddat: eademq́ piamina cogat
Soluere voce pari, numeroq́ simillima primis.
Mox sileat, facturus idem, cùm flammea cursus
Orbita phœbei sextam produxerit horam.
Intermissa quies tunc rursum irrepat, & oci
Sit mora, quanta ambas subeuntes hauriat horas.
Queis dehinc elapsis; indictum nona tributum
Hora sibi exposcat, resonetq́ precatibus ijsdem.
At cùm fraternis requiem meditatus in vndis
Nocturnam, occiduo præfulserit Hesperus ore;
Tunc rursum æthereum patrem exorabit eadem
Voce: eademq́ canet, vicibus, sermone relato,
Imparibus tantùm: bissena piamina magno
Quando hæc ferre deo monet hora: sed vltima complens
Meta diem; repetat primus quæ cantat Eous.
At postquam latas nigro velarit amictu
Humida nox terras; dent arcta cubilia membris
Defessis requiem: donec flammantia pronis
Curribus astra manu facili data lora relaxent.
Tunc rudis excussa ex oculis iam nocte, cubili
Stramineo exurgens tyro, tecta impiger ædis
Sacra petat, solitaq́ deum prece concitet aures.
Sunto eadem: at numero diuina piamina crescant:
Quandoquidem hoc terdena iubet dare tempus: at vnum
Nempe superuacuum, subducit mysticus ordo.
Postremò ætherei defunctas luminis aura,
Cura leuare animas, pœnis immanibus, esto:
Celestemq́ illis tandem exorare quietem.
Sic quicunque olim captus stipe, nostra subibit

Castra; deum colat aßiduè, atq; his ritibus oret.
Iam verò exiguis quàm sit comes aspera rebus
Prodiga luxuries: modicas quantùm arctus honestet
Victus opes, quantùm tenues simul excolat ædes;
Dißimulare nefas: hinc omnis (si qua erit illa)
Progenies nostræ stirpis ventura sub auras,
Procuret castris pestem illam auertere egenis
At (quanquam tenues semper, modicasq; parari
Ipse edico epulas) longè tamen arctior ire,
Quæ trudit noni mensis, lux prima, calendas,
Incipiat; seræq; neget commercia cœnæ,
Obijciens indicta sacro ieiunia ritu,
Nequicquam soluenda, dies natalis ab astris
Ni priùs ætherei Regis præfulgeat orbi.
Imò &; quæ Reges Nabatheis munera ab oris
Mystica portantes Regiq;, hominiq;, deoq;,
Aethiopas duxit; nostrum lux ritè laborem
Exposcit, sacrisq; monet ieiunia rursum
Moliri auspicijs, & cœnæ parcere suadet.
Donec Atlanteos fluctus de more reuisens,
Clauserit occiduus Vesper, quater ordine denos,
Ponè sequuturos astri stata tempora, soles:
Quippe hos Rex diuum, proles æquæua parenti,
Soliuago dum lustra colit noctesq; diesq;
Impete, frugis inops, lenæiq; inscius haustus,
Emensus totos, magno sacrauit honore.
Atqui non iußi, sed sponte, meoq; rogati
Vos monitus sacra hæc explete: sed altera porrò;
Quorum meta, deum reuocatum ad luminis oras

Cantat ouans; sunto iußis indicta seueris.
Postremò (labor hic pariter syncerus abibit).
Quæq; toris parcum soluet lux sexta tributum.
At ubi lassa cadunt, ieiuniaq; arcta recusant
Membra; cadant pariter mea iussa, atq; irrita sunto.
Iamq; agite ò socij (neq; enim non sæpe per orbem
Ibimus extorres, ignotaq; regna teremus.)
Consilia accipite hæc, animisq; recondite in imis.
Ingreßis iter, aut intra hospita tecta receptis
Pax comes haud desit vobis: pacataq; verba
Ora sonent: lites atræ, ac mala iurgia longè
Pulsa gemant; morumq; adsit, vultusq; modesta
Temperies: animi discant mansuescere sensus.
Præterea (ni sors rerum insuperabilis instet.)
Execramur equos, vectorum inhibemus & vsum.
Este autem hospitij memores, simul este recepti
Seruitij: ingreßiq; domum (quæcunque erit illa)
Vestibulo pacem veniamq; exposcite primùm:
Hæc stet apud memores vos saltem vt gratia facti.
Hospitis inde toros, seu cura pararit opimos,
Seu modicos; tetrici non auersaminor illos.
Imò agite (ætherei dant hec monumenta magistri)
Quæcunque extruitur, læti discumbite mensæ.
O' felix stirps prisca hominum, ac bis terq; beata, Iost.c.4.
Quam nondum gemmis auroq; accenderat ætas
Perdita luxuriæ: cùm nondum fruge reperta
Staret mensa grauis, dulciq; imbuta Lyæo.
Chaonio sedenim tantùm gens aurea victu
Contenta, & riuis per læuia saxa volutis;

Iámq; adeò vir magnanimus, nil mente caducum,
Nil animo ignauum, nil corde agitabat inane.
Sed magnus contemptor opum, contemptor honorum,
Sede sedens tuta, solidáq; locatus in arce,
Ludicra fortunæ ridet, casusq́; proteruos.
Iámq; vnum obseruat tantùm, comes vnicus vni
Hæret Francisco, & multo dignatur honore,
Grandæuus iuuenem, sequiturq́; haud degner illum,
Non impar animo, curis, operiq́; futuro.

FRANCISCI MAVRI
HISPELLATIS
MINORIDAE
FRANCISCIADOS. LIB. VI.

INterea magno totam rumore per vrbem
Fama canens, populum crebris sermonibus implet,
Tam magis ingeminans voces, & garrula pandens
Guttura; quàm rerum species monstrosior ipsa est:
Quámq; inter primos fulget conspectior Heros.
Ergo omnes stupor altus habet; mirantur & omnes
Prodiga facta viri, & certatim ad sidera tollunt.
Ille hominum plausu nequicquam excitus inani:
Sed cura maiore actus, melioráq; versans
pectore consilia; insani præconia vulgi
Despicit, & vanos vltro auersatur honores.
Tantùm autem ipse suo tacitè cum corde loquutus,
Ardua cœpta animo repetit versátq; sub imo.
Multáq; se incusat, primam quòd lentus inérsq;
Aetatem, quòd deinde graues inglorius annos
Egerit: aut saltem quòd non prius vtile damnum
Et rerum insignem iacturam asciuerit vltro.
Tum verò sese vitam exhortatur ad acrem
Accenditq; animum stimulis: durósq; labores
Præcinit ipse sibi, belliq; instare tumultus:
Séq; adeò angustis paulatim assuescere rebus

Edocet,

Edocet, obdurátq; malis: animóq; volenti
Fortiter addiscit perferre incommoda rerum.
Nec sinit ignauæ pulsu formidinis vllo
Quassari mentem: quin imperterritus instat,
Cœpta alta insectans: venturorumq; laborum
Irritans species, vocat expectátq;: nec acres
Aduersósq; horret casus: sed fortibus ausis
Insultansq; animo, contrà sese obuius offert.
Nam parte ex alia spectat, quæ præmia virtus
Aerumnas mulcens sæuas, duróq; labores;
Prætendit dextra, & certantibus ardua monstrat.
Hòc tum, animum attollens, ardet magis, acrius instãs
Vota acuit, firmátq; libens, spémq; haurit abundè.
Nec minus inde noui facili bibit aure magistri
Consilia: obseruat iam tum hunc, miratur, amátq;.
Quin & nocturnis hunc ipsum credere visis
Portendi haud dubitat, seruatorémq; puellæ,
Hostem erebi immanem, vastaterémq; profundi.
Ac veluti armento abductus; cùm nocte per agros
Errauit multa vitulus; si, luce diei
Iam tandem exorta, stabula exoptata reuisat;
Continuò alludit matri, simul hubera circum
Faucibus insiliens vrgétq;, trahitq; petulcis;
Sic obit aßiduè Franciscum prouidus Heros
Altorem, sequiturq; ducem, fruiturq; magistro.
Interea; queis corda acuit pulcherrima virtus;
Exurgunt alij, non inferioribus ausis
Ardentes: hi se geminis non impare iungunt,
Agglomerántq; animo, seséq; laboribus aptant.

Et iam bissenì, lectissima corpora circùm
Astabant, primiq; duces insignibus armis
Ibant fulgentes: quos inter vertitur alto
Culmine mentis ouans niuea, graditurq; superstans
Franciscus dux ipse ducum: non murice fulgens
Vestis eum obnubit: sed circùm tegmen acutis
Consertum setis obit, & complectitur artus;
Iliáq; immitis succingit mollia rectis:
Inde cauum, in morem galeæ, procumbit in armis
Tegmen ab occipiti summo: quo sæpe reducto
Fronti; hyemem, nimbos, & solis temperat æstus.
Prædurata pedum iam vincula planta recusat.
Hos ductor cultus amat, hoc effulget amictu
Conspicuus: similiq; bonos effulgere suadet
Tyrones: paret monitis non aspera pubes.
Qualis; Strymonias volucres, iter ordine prima
Seruantes bifido vocis, dum stagna tepenti
Frigida permutant Nilo, captantq; calorem
Assuetum; prospectus habet: qualis ue magistri
Fida greges docti vestigia ponè sequentes,
Sensus agit; tali comitum delecta piorum
Turba, ducis præcepta animo, ac simul aure capessit.
Quos vbi Franciscus, nil iam virtutis egenos
Cognouit: circumq; adeò sese adgmine denso
Confertos, vidit monita expectare salutis;
Constitit in medio, & sic altius intulit orsus.
Si libet ò socij, cunctarum semina rerum,
Ordine quóue fluant, vel quis, quibus impetus, aut quis
Insit amor, quibus aut subsint, euoluere, fatis;
Nil

Nil erit, humanam quod præstet origine gentem,
Cernere: nil dabitur rationis honestius vsu,
Nil & amabilius: nil semine pulchrius almo,
Quo; gens vna hominum cælo demissa sereno,
Terrenam vt molem exagitet, corpusq; caducum;
Aethera rursus adit, seséq; interserit astris,
Et nostra effulget cognato gloria cælo.
Et piget ergo animum, piget excoluisse per artes
Virtutum? ignauos & nos iuuat ire per annos?
Et patimur, moles, terrenaq; corpora, sensus
Aethereos domitent? aurai simplicis ignem
Mortales hebetent artus? inserpere labem
Heu sinimus menti, virusq; ingignere amarum?
At vos; delectos quos nunc Rex altus Olympi,
Degeneres extra curas, extraq; frequentes
Esse acies hominum iubet, & conuexa tueri
Summa poli: atque astris iam tandem attollere vultus;
Ne rursum æquoreis fragilem committite puppim
Fluctibus. Insanus iam vos deterreat Eurus,
Terreat excelso veniens à cardine, raptu
Præcipiti boreas, inuoluensq; æthera ponto,
Nigráq; ab aduersa regione minantibus austris
Prælia, terrifico occurrens, siccóq; volatu.
Dicam autem ipse mea, quæ nunc sententia menti
Insedit: vos fixa animis mea dicta tenete.
Dum; quæ sidereo cecinit bonus ore magister
Bissenis mandata viris quæq; enthea mundo
Immenso monumenta dedit; sub pectore verso,
Preßius ipse agitans mecum; sese obuia nostris
Plurima

Plurima dant oculis, quæ cœpta accommoda vitæ
Norma forent: sed longa animum numerosaq; rerum
Exterret series. Pauca hinc excerpere ab iisdem
Mens dictis angusta iubet: quæ ritè, per alta
Deuia, sideree nobis vestigia Regis,
Atque iter insuetum, quà vertitur orbita nulla,
Callis inaccessi, ceu lucida sidera monstrent.
His meme addico, leges mihi talia sunto.

ncisci Principiò ergo, agedum, cælestis dogmata Regis
itutio Obseruanda quidem, & syncero corde tenenda
•. Accipio: his vitam instituo: atque horum auspice ductu
p. 1. Protinus ire viam, & longos perferre labores,
Insueto in more, insuetóq; in tegmine cultus,
Haud dubitem: Faxo posthac mihi nulla supersit
Libertas animi, votiq; licentia nulla.
Nimirum stat sponte sequi, quocunque vocarint,
Me iussa alterius: stat qualibet ore volenti
Fræna pati, fastumq; animi calcare superbi.

At frustra hîc aciem struimus, frustráq; ciemus
Hunc hostem: nec læta quidem victoria nobis
Speranda est, ni victus opum cadat ardor, & auri
Pulsa fames: aliis non hic ruit ictibus hostis.
Quocirca, victus posthac, cultusq; parandi
Longè omnis mihi cura animo: sed longius auri
Impacatus amor: sat erunt è fontibus haustus
Perspicuis laticum: properatisq; ignibus offa
Frugis tosta, famem poterit compescere fœdam:
Vel magis vmbriferis collecta sub ilicibus glans:
Quali, seu latitans speecubus, seu fusa per agros,

Nec

Nec dum luxuria mollis, nec marcida somno,
Primæuis victu noua gens contenta sub annis,
Felices duxit soles, noctésq; quietas.

Tum mihi si gemina dextra, læuáq; sorores;
Hæc domita incedens humilis ceruice, subactos
Ponderibus detrita humeros, atque inscia mentis
Elata, pariterq; animum deiecta: modesto
Illa grauis vultu, pallámq; excissa fluentem,
Atque assueta malo, & paruo contenta paratu;
Astiterint; mediam extemplò sese aurea iunget
Ritè pudicitia, & geminis interseret vltro
Casta comes, fidásq; agnoscet diua sorores.
Móxq; & acidalios compescet saga tumultus.

Tu verò; astrigeros aditus, mortalibus ægris
Pandere cui datur, & rursum præcludere eosdem,
Cùm libet, & pietas, & fas, pater optime, poscunt:
Cuiq; orbem immensum paribus compescere habenis,
Et licet indomitas mentes premere, atque rebelles
Exterrere minis, missóq; è collibus ira
Fulmine, septenis, vltricibus vrere flammis;
Magnos pande sinus, chlamidisq; capacibus vmbris
Me conde amplificæ: tua nunc iuga pronus adoro,
Et iussis do colla volens: subigóq; per annos
Perpetuos, olim sobolem (quæcunque erit illa)
Venturam: imperio tu nos, monitisq; fatiga.
Quandoquidem ipse tibi, & fraternis cœtibus vltro
Méq, meósq; hodie, voti reus (excipe) subdo.

Præterea numero ex omni, dux ordine semper
Vnus erit post me lectus: cui pareat omne
Concilium,

Concilium, obseruéntq; meæ agmina gentis.
lit. At quicunque animo, quicunque & viribus audax,
ap. 2. His votis hærere volet: desuetáq; fidit
Se posse angustæ perferre incommoda vitæ:
Nec timet Eumenidum incursus, nec tela: sed vltro
Monstrosas acies erebi in certamina poscit;
Adsit ouans, canóq; patri se sistat egenum.
Cui ius militiæ: cui tantùm prima potestas
Credita centuriæ: datur & regere indiga castra:
Arbitrióq; eadem validis implere colonis.
Ipse autem primò (quippe imprudentia cordi
Turpe ducis) mentem tyronis, & alta necesse est
Consilia addiscat, tacitáq; indaginis astu,
Exploret quid verba sonent, quid pectora clausum
Muta gerant; nunc hàc dictis, nunc differat illac:
Excutiat quæ causa trahat, quæ ue incitet aura,
Tam duros támq; extremos tentare labores.
Præcipuè verò petat, ac solertior instet
Quæsitor, num viperei mens labe veneni
Liueat; aut turpis rubigine criminis atra
Squaleat; & dira in superos, sub corde prophano
Murmuret impietas, & sanctis ritibus obstet.
Præterea ipse adeò pater illud prouidus vnum
Scrutetur, num fortè tori consortia blandi
Præpediant iuuenem tacitum, vinclisq; retentent.
At verò ambages longas, diuersáq; passus
Tentamenta sui; si nullam innectere fraudem,
Flagitijsq; animum nullis fœdare videtur:
Et iam cuncta probat, uotisq; tenacius hæret,

Si facilem sese præstet, si fortibus ausis,
Obiectet bellis caput vltro, acriq; labori;
Confestim monitis; quæ diuum ad sidera pandens
Rex aditum, & populis spondens communia cæli
Hospitia, edixit; sacro ductoris ab ore
Auditis; quæcunque domi sibi candida seruat
Libertas; lætus turbis donabit egenis.
Dux verò (hoc adeò prohibens edico) peculi
Vel tactu abstineat, dedigneturq; prophanum
Auersus lucrum, atque obiectum sponte recuset.
Imò age, diuitias quibus, aut quo more profundat
Ille suas; nec consultus, multumq; rogatus
Consulat, aut dictis moneat pater ipse rogantem.
At si quem norit, recti, pietatis, & æqui
Seruatorem acrem, sperantemq; abdita diuum
Consilia, atque iras; huic sistere prouidus illum
Dux queat: hoc ignarus opum tentare magistro
Iacturam addiscat iuuenis, damnumq; lucrosum.
Exhin reiecto, quocunque tegatur, amictu;
Quamprimùm ante patrem nudo se corpore sistat:
Qui geminas tantùm, truncatas scilicet ambas
Caßide, & à tergo capitis tutamina nulla
Pendula gestantes, tunicas circundabit illi.
Subnectetq; femur campestribus, ilia reste.
Penula trunca dehinc pectus, dorsumq; repandum
Obnubat, tantùm postrema parte rudentes
Nodosos lambens. Id primum insigne per annum
Esto illi: data prima nouis ea forma colonis.
Ast vbi signiferi Titan percurrerit orbis

Igneus astra semel: nec iam mala tædia cœpta
Vitæ animum tyronis habent; pater optimus illum
Conuentu in medio stantem, sic ore monebit.
  Annus habet finem: vita hinc noua, te vetus illinc
Pelliciunt: agedum mauis vtram elige: sed te
Hanc semel arreptam semper seruare necesse est.
Da pelago, si vis, puppim, da vela regressus
Nescia: Romulidæ patris intemerata potestas
Hoc mandat: quippe agrestes, vbi terga labori
Dant segnes; frustra expectent iam frugis aceruos.
  Ille autem, si dicta probans patris, annuat vltro,
Seq; volens subdat; tyronum insignia prima
Reiecta ex humeris, ponat: tunicaq; retenta
Vnà iam tantùm (vel si cupit, altera detur;
Id neq; enim prohibere volo) sese induat hortor:
Cui circùm cassis supremam assuta per oram
Hæreat, hybernos capitis tutamen ad imbres.
Pes verò; siquà res dura exposcat; aluta
Munia (sæpe gelu id, longumq; iter atq; malignum,
Sæpe valetudo, seniumq; expectat) habeto.
  Præterea mollis pretiosa licentia vestis
Sit procul, edico, sat erunt horrentia setis
Tegmina, & hirsutis texta instaurata tapetis.
  Postremò (id certis monitis onerabo) caueto
Conspicuos gemmis, tunicisq; micantibus ostro,
Et lento illusis auro, luxuq; profusos,
Despiciat, probris'ue notet: verùm aspera secum
Iudicia exercens, sua facta redarguat vltro.
  Iam verò exutus terrenis pectora curis Sup.c.3.

Magnanimus tyro; quò cælo assuescat habendo
Paulatim, tractimq; deum consortia discat;
Primùm; si diuis cælesti more sacerdos
Ductus eat, si perpetui custodia libi
Olli sortè cadat; quamprimùm gnauus honores;
Quos superis cantat totus sacer ordine cœtus
Cum patre Ausonio; addiscat, paritérq; canoris
Vocibus ipse ferat: supplex tum frugis opimæ
Muneribus cumulans aras, stata sacra frequentet.
Hinc, diuum qui sancta ferunt oracula, libros
Haud adeò magnos (passim breuiaria dicunt)
Versandos sacris olli damus vsibus vltro.
At rudis, & cuius sanguis non vividus, artes
Palladias refugit; vi dispar, dispare cantu
Dicat inexhaustos diuum, ac breuiore, triumphos.
Ergo agè, purpureum magno dum gurgite tollit
Sol caput, & rutila perfundit lampade terras;
Sistat se templo, & confestim talibus oret.
✠ Noster ades pater astra tenens: sic perflet vbique
Nominis aura tui: regniq; immensa potestas
Calcet inaccessos populos, gentesq; rebelles.
Velle tuum, sic terra velit, ceu sidera seruant.
Tu verò assiduam vitalis suffice nobis
Frugis opem: paritérq; reis (quando hostibus & nos
Sponte damus nostris) veniam concede rogatus.
Tentamenta atrox quæcunque innectit Erinnys
Da terere, incursus da tandem exire malorum.
Terq; quaterq; orans hæc primo cantet Eoo.
Tum, quæ deinde subit, vacet hora: at tertia rursus

Orantem reddat: eademq; piamina cogat
Soluere voce pari, numeroq; simillima primis.
Mox sileat, facturus idem, cùm flammea cursus
Orbita phœbei sextam produxerit horam.
Intermissa quies tunc rursum irrepat, & oci
Sit mora, quanta ambas subeuntes hauriat horas.
Queis dehinc elapsis; indictum nona tributum
Hora sibi exposcat, resonetq; precatibus ijsdem.
At cùm fraternis requiem meditatus in vndis
Nocturnam, occiduo præfulserit Hesperus ore;
Tunc rursum æthereum patrem exorabit eadem
Voce: eademq; canet, vicibus, sermone relato,
Imparibus tantùm: bissena piamina magno
Quando hæc ferre deo monet hora: sed vltima complens
Meta diem; repetat primus quæ cantat Eous.
At postquam latas nigro velarit amictu
Humida nox terras; dent arcta cubilia membris
Defeßis requiem: donec flammantia pronis
Curribus astra manu facili data lora relaxent.
Tunc rudis excussa ex oculis iam nocte, cubili
Stramineo exurgens tyro, tecta impiger ædis
Sacra petat, solitaq; deum prece concitet aures.
Sunto eadem: at numero diuina piamina crescant:
Quandoquidem hoc terdena iubet dare tempus: at vnum
Nempe superuacuum, subducit mysticus ordo.
Postremò ætherei defunctas luminis aura,
Cura leuare animas, pœnis immanibus, esto:
Celestemq; illis tandem exorare quietem.
Sic quicunque olim captus stipe, nostra subibit

Castra; deum colat assiduè, atq; his ritibus oret.
Iam verò exiguis quàm sit comes aspera rebus
Prodiga luxuries: modicas quantùm arctus honestet
Victus opes, quantùm tenues simul excolat ædes;
Dissimulare nefas: hinc omnis (si qua erit illa)
Progenies nostræ stirpis ventura sub auras,
Procuret castris pestem illam auertere egenis
At (quanquam tenues semper, modicasq; parari
Ipse edico epulas) longè tamen arctior ire,
Quæ trudit noni mensis, lux prima, calendas,
Incipiat: seræq; neget commercia cœnæ,
Obyciens indicta sacro ieiunia ritu,
Nequicquam soluenda, dies natalis ab astris
Ni priùs ætherei Regis præfulgeat orbi.
Imò & ; quæ Reges Nabatheiis munera ab oris
Mystica portantes Regiq;, hominiq;, deoq;,
Aethiopas duxit; nostrum lux ritè laborem
Exposcit, sacrisq; monet ieiunia rursum
Moliri auspicijs, & cœnæ parcere suadet.
Donec Atlanteos fluctus de more reuisens,
Clauserit occiduus Vesper, quater ordine denos,
Ponè sequuturos astri stata tempora, soles:
Quippe hos Rex diuum, proles æquæua parenti,
Solivago dum lustra colit noctesq; diesq;
Impete, frugis inops, lenæiq; inscius haustus,
Emensus totos, magno sacrauit honore.
Atqui non iussi, sed sponte, meoq; rogati
Vos monitus sacra hæc explete: sed altera porrò;
Quorum meta, deum reuocatum ad luminis oras

Cantat ouans; sunto iußis indicta seueris.
Postremò (labor hic pariter syncerus abibit)
Queq; toris parcum soluet lux sexta tributum.
At vbi lassa cadunt, ieiuniaq; arcta recusant
Membra; cadant pariter mea iussa, atq; irrita sunto.
Iamq; agite ò socij (neq; enim non sæpe per orbem
Ibimus extorres, ignotaq; regna teremus.)
Consilia accipite hæc, animisq; recondite in imis.
Ingreßis iter, aut intra hospita tecta receptis
Pax comes haud desit vobis: pacataq; verba
Ora sonent: lites atræ, ac mala iurgia longè
Pulsa gemant: morumq; adsit, vultusq; modesta
Temperies: animi discant mansuescere sensus.
Præterea (ut sors rerum insuperabilis instet.)
Execramur equos, vectorum inhibemus & vsum.
Este autem hospitij memores, simul este recepti
Seruitij: ingreßiq; domum (quæcunque erit illa)
Vestibulo pacem veniamq; exposcite primùm:
Hæc stet apud memores vos saltem vt gratia facti.
Hospitis inde toros, seu cura pararit opimos,
Seu modicos; tetrici non auersaminor illos.
Imò agitè (ætherei dant hæc monumenta magistri)
Quæcunque extruitur, læti discumbite mensæ.
O' felix stirps prisca hominum, ac bis terq; beata, Ios.o.4.
Quam nondum gemmis auroq; accenderat ætas
Perdita luxuriæ: cùm nondum fruge reperta
Staret mensa grauis, dulciq; imbuta Lyæo.
Chaonio sedenim tantùm gens aurea victu
Contenta, & riuis per læuia saxa volutis;

Felicem in terris vitam siluestris agebat.
Ecquid sperandum est nobis, modò posse reuerti
Fortè iterum nostra hæc priscos in tempora mores?
Ecquid desuetos reditus, conanime duro,
Siquà iter inueniant; nobis tentare negatum est?
Nempe homini audendum est: etenim quid fortibus ausis
Non cedit? quid non domat imperterrita virtus?
Ergo agite ò socij (quanquam vestigia nulla
Obuia præfulgent oculis) vos aspera primos
Ne pigeat terere hæc, nudisq; lacessere plantis
Dumeta, obnitiq; altas virtutis ad ædes.
Esto autem nostræ comes indefessa cohortis
Aurea paupertas: læta hæc insignia tollat
Militiæ: hæc præmonstret iter dux praeuia genti.
Hæc etiam stabulis (manet irreuocabile votum
Hoc hærens animo, & multa vi pectore sidit)
Auertat nostris pecuaria cuncta, necesse est.
Ipsa aurum castris longè propulset egenis,
Longè auri infandos vsus: imò hoc modò certum
Accipite, atq; vnquam sint irrita iussa, cauete.
Aere merere meo qui destinat, exuat æra,
Aeris & horrescat tactum: ac de gente petitum
Externa, qui seruet opes, aut quæritet aurum
Tyronis nutu, iam tum succedere quenquam
Vsqueadeo abnuimus, firmaq; id lege vetamus.
Ne verò, quibus incumbit custodia cœtus,
Dissimulent, sedeantq; ignaui; inserpere labes
Siqua per infectas acies, perq; agmina gentis
Incipiat: sed mox vltro pater optimus adsit:

Ex

Exploretq́ sagax, quid cuique sit vtile: quóue
Quisq; egeat: fessus quam curam expostulet æger.
Tum si phœbeæ languor iam tabidus artis
Poscat opem; ille pios quamprimùm exquirat amicos,
Cultoresq́ adeat recti: quorum excitet vsum
Mox sibi in auxilium, supplex roget, ambiat, oret.
Quales; Maßylos rabies impasta leones
Dum sæuis agitat stimulis; armenta magistros
Expectant; tales castris aptamus egenis
Excubias, nostræ his tutamur, & agmina gentis.
Præterea (neque enim vna omnes clementia cæli
Exercet terras: quippe hæc aquilonibus horret
Arctois regio, & niuibus, gelidisq́ pruinis
Aßiduè canet: madet hæc glomerantibus austris
Olenios imbres: scindit canis æstifer illam:
Adde quod alternis vicibus modò flammea Cancri
Brachia, Chironis modò frigida tela, reducto
Sole per obliquum, pugnantia tempora portant.)
Sint ex primorum numero, qui nosse laborent,
Quæ plaga, quo rigeat borea, quo sole tepescat:
Duratus quo quisque gelu: caloq́, laboriq́
Assuetus: quid ferre queant, viresq́ recusent.
His animaduersis, certos quærantur in vsus
Tegmina cuique sua, in morem: execrabilis auri
Auxilium modò longè (id terq́ quaterq́ negamus)
Absistat: certi nec sors iuuet vlla peculi.
Iamq́ adeò vitæ dura atque insueta facultas Iust.c.5.
Ne vobis animos quasset, ne vos dare terga
Turpi versa fuga cogat; primùm hæc mea dicta

Accipite: atq; animis rerum dabit ordo quietem.
Quis nescit prima sortitum à stirpe laborem
Aerem, hominum mortale genus? quis nescit ab aluo
Materna egressos, & iam vitalibus auris
Vix haustis; gemitus, & lamentabilis ore
Mox querulo ordiri nos turbida munia vitæ?
An pueros non deinde grauis dolor excitat? an non
Exercet labor? an non iurgia sæua furentes,
Verberaq́; intentant patres? Subit inde iuuentus,
Durior ipsa quidem: sed non & protinus expers
Aerumnæ: mox acer adest durata reposcens
Membra labor, cogitq́; malis assuescere curis.
Quid referam canæ procurua incommoda vitæ?
Quæ requies animis? quæ gaudia mentibus? an tunc
Læta micat, cùm membra labant, cùm febre calescũt?
Cùm simul omne genus morborum, & tota malorum
Vna acies, artus circumsiluere iacentes?
Ergo hanc ingenitam sortem mortalibus ægris,
Et nos sponte sequi fas, & seruare necesse est.
Hinc non indecorem siquem compellet ad artem
Vi natura acri; liceat tentare vocantis
Blanda voluptatis studia, & parere mineruæ.
Quin; vt desidiam, mentisq́; animiq́; cruentam
Perniciem extrudat, nostrisq́; auertat ab oris;
Multa instare operi, moneo, ac perferre labores.
At morem seruare pium fidumq́; iubemus,
Ne superum cultus, & sacris debita curis
Ocia, sollicitus labor enecet arte prophana.
Quippe orta, æternis rebus seruire necesse est.

At merces operum (procul as, procul æris & vsus)
Quicquid alit duros homines, & corpora curat,
Ritè dabit: ne verò illam violenta reposcat
Lis, moneo, aut fastus (tumido nihil indiga fastu
Castra ferunt grauius) sed enim de more receptis
(Quantula sint) lucris; cedat saturata cupido.
Verùm agedum (positos quando exhorrere labores Inst. c. 6.
Nec vos posse reor, nec velle absistere cœptis.)
Iam tum animis fretus vestris, ac fortibus ausis,
Mecum vnà maiora agito: grauioraq; tento
Adijcere obiectis, vos mente tenebitis, edam.
Gens hominũ (antiquæ piget ah meminisse ruinæ.)
Sidereo deiecta polo; spelæa ferarum,
Exul habet terras, alienasq; incolit ædes.
Et nunc secum animo, regna alta ingentis Olympi,
Fulgentesq; domos, atq; aurea tecta reuoluens,
Ociaq;, & lætos roseo cum lumine soles;
Aestuat infelix angusto limite terræ
Clausa: gemensq; acres casus, longiq; labores
Exilij; infidas auertitur hospitis oras:
Donec ad erepti remeare cubilia cæli,
Et tandem patrijs detur considere regnis.
Quare agite ò socij (quoniam nec certa domorum
Hospitibus data iura vagis: non prædia, non fas
Liminis, aut fixæ cedit fiducia sedis)
Quæ uis incubuit menti, quiq; ardor inhæsit,
Dicam equidem, nec vos diuersa ambage tenebo
Suspensos: animis terror procul omnis omnia abesto.
Ne mihi, ne vobis, ne proli (posthuma quondam

Siqua mihi æthereæ lucis ventura sub auras.)
Hospitium, fundum'ue, agrum'ue, larem'ue, locum'ue,
Rem'ue aliam quantumuis aspernabilis vsus,
Ius detur premere, & certa ditione potiri.
Parcite vos hæc vota malis incessere dictis,
Parcite eant illis contraria vota, cauete.
Quin vos demissi, atque vltro rerum omnium egeni,
Discite cælicolis syncera laudis honores
Deferre: ac; profugi velut accinctiq;, suborta
Luce, viatores, stabulis de more relictis
Incertis, reddunt mox sese ritè labori;
Sic vos certa domus horrescere tecta necesse est.
Nec pudor (atra fames vobis modò suadeat) obstet,
Quin mendica manus (quando & Rex altus Olympi
Vltro ignominias inopúm tulit) ostia pulsans,
Quærat frugis opem, & properatam postulet offam.
Felices nimium, mos hic quoscunque aget olim,
Felices: nempe æthereas attollet ad arces
Exutos opibus, sed nil iam laudis egentes
Perpetuæ. egregijs agite ah ne absistite cœptis.
Currite iter certum, totasq; intendite vires
Cælestiq; hærete duci: tum cætera sunto
Longè animis. O' sed tu tanti muneris auctor
Aurea paupertas: nobis vestigia sacra
Tu sola ostendis: tu coniunctissima Regis
Siderei custos, primis vagitibus astas.
Prima foues ortum: teneris, prima, hubera labris
Insertas: Pelusiacas tu fida per oras
Extorrem sequeris; reducem tu reddis auitis

Sedibus: esurientem animam tu nectaris haustu
Diuite læta reples, trino dum confodit anguem
Tartareum oraclo: summo tu denique malo,
Puluereo affixum liuentia brachia tabo,
Suspicis, atque auidis nudatum amplecteris vlnis.
Salue magna parens, cæli quæ sola colonis
Atria terrigenis gemmata recludis, & alta
Sede locas, opibusq; auges, regnisq; superbis:
Salue, nosq; tuos ne dedignare clientes.
En læti (nos læta foue) tua castra subimus:
Abnuimusq; bonis posthac seruire caducis.
Tu verò ò mater, nos tandem interfere diuum
Concilijs, daq; æthereis accumbere mensis.
Interea diuæ (quis enim satis efferat illam?)
Laudibus absistamus: & ordine cœpta sequentes,
Aurea perpetuo dicamus carmine iussa.
Ergo agedum; seu nos pariter stabulemur in ijsdem
Hospitijs: siue extorres, atque inter eundum,
Iungere in occursu dextras, vestigiaq; vltro
Obuia ferre simul detur; placida ora vicissim
Ostendamus: at inde grauis res siqua maligno
Alterutrum casu premat, atque incommoda dura
Intentet; charo comes impiger adsit amico,
Et leuet, auxilioq; iuuet, tollatq; iacentem.
Præcipuè; ingrueret corruptis tabida membris
Si qua lues, tristisq; dolor deprenderet ægra
Corpora; mox alius, quicunque erit vtilis arte
Pæonia, herbarumq; haudquicquam ignobilis vsu,
Hæreat officio indulgens, ac sedulus ægro

Seruitum

Seruitum accedat, iussusq; fideliter astet.
Tum verò impendi sibi quale exposceret ægro
Auxilium, aut certè quantum pia mater alendis,
Dulcibus aduigilans cunis noctesq; diesq;,
Absumit natis; socio præstabit anhelo.
Inst.c.7. Ecce autem (ò hominum non eluctabile fatum)
Inuidia exardens, quas non molitur Erinnys
Insidias? quas non fraudes innectit, Olympo
Aethereo quò nos fallax auertat, & altis
Sedibus abductos, erebi deuoluat in imum?
Heu modò quid refert magno quòd semina cælo
Ducimus, & sperare animis solia alta iubemur
Aetheris: informes si nos phlegetontis ad vndas,
Tisiphone infandas agit atra sine ordine prædas?
At sator ille deum fatis ea iura superbis
Abstulit, auxilioq; vltro bonus affuit ægris.
Vidit enim insidijs & cæca fraude colubri
Tartarei, humanum genus olim è sede beata
Deiectum, & nemoris felici limine pulsum
Auricomi; colere (ah scelus) horrida lustra ferarum,
Nimirum ingratasq; domos, sedesq; pudendas:
Vidit, & indoluit miserans, simul illud, & omnem
Progeniem ex illo venturam expendere pœnas
Pro meritis iussam, & duros perferre labores
Exilij: quippe ex illo stirps visa subinde
Tota hominum ruere in peius: cunctæq; malorum
Ingruere infectis animis, denso agmine, pestes
Fœdantes mentem, & diuini luminis haustum.
Hinc labe informes, sacro pia numina cæli
Hospitio

Hospitio prohibere animas, & prodere longè.
Ergo adô exardens, magnoq; accensus amore
Omnipotens pater, æthereas monstrauit ad arces
Esse viam reditus, voluitq; patescere callem.
Hunc mœror, qui dira animo vestigia culpæ
Eluat admissæ, primùm consternere sueuit:
Vota dehinc patrem diuum, quæ voce manuq;
Suppliciter veniam, pacémq; irata reposcant
Numina: postremò, quæ diræ immunia culpæ
Tempora agat vitæ; quæcunq; erit inde superstes,
Mens sancta, & patrio quæ ritè assuescat Olympo.
Hic reditus: cœlóq; via hac, sese ardua tollit
Gens hominum, & magnis diuum mox cœtibus infert.
Et nunc ergo agedum; pellacis Erinnyos astu,
Sicuiquam è nostra quondam fors gente, piaclum
Turpe animum inficiat, mentiq; insederit alta
Decolor ad viuum labes; dolor acer amaro
Continuò exardens gemitu (quando hic labor vnus,
Vna via hæc, pœna vna animis hæc sontibus aufert
Funditus omne malum, labem ac scelus eluit omne)
Prosubigat mentem, stimulisq; exerceat atris.
Tum, quicunq; is erit (longè mora segnis abesto)
Grandæuo sese patri, cœtusq; magistro
Sistat, agátq; reum: commissáq; crimina pandens,
Se multa incuset, veniámq; expostulet orans.
At senior; diuum patri modò ritè sacerdos
Ductus eat; tristis casum miseratus alumni,
Indicátq; leues pœnas, monitisq; iacentem
Attollat, solidáq; infractum sede reponat.

Sin magis indocta veniat de plebe petitus
Ipse quidem abstineat pœnis: sed deligat vnum
Insignem probitate virum, plebs ordine ductum
Quem nostra è sacro dabit: hic mox criminis instans
Quæsitor, vitámq; rei, mentémq; profundam
Audiat, & sontem meritas det pendere pœnas.
At tu, quisquis eris custos populiq; magister,
Asperet, inq; reum te concitet ira, caueto.
Quippe animis, atque ira, lues non acrior vlla.
Hæc vbi tartareos ignes accenderit amens,
Impuleritq; manu laxis iuga feruida loris
Præcipiti; ignaua circùm mox nube refusa,
Turbatæ lux mentis hebet: liuescit, & atro
Felle ardet mox castus amor, furijsq; citatus
Degenerat: iámq; insano sub pectore nullum
Constat consilium: socialis vincla cubilis
Franguntur: labat vnanimis concordia fratrum.
Inst.c.8. Iam verò qui gentis honor, quæ cura regendæ
Posthac exurgat nobis, quæq; instet habendi
Forma ducis: qualis moderaminis vsus & ordo;
Expediam: dicta hac animis mea figite vestris.
Principiò nostri (neque enim infelicius vllum
Exitium populis, quàm sceptri bina potestas)
Assertor cœtus, præses, duxq; vnicus esto:
Quem penes omne olim fas, imperijq; futurum
Nascentis regimen, totiusq; ordine gentis.
Hunc procerum è numero delectum, ac ritè petitum
Votorum auspicijs, summum plebs tota ministrum
Dicat; eumq; animis vltro veneretur, Amétq;

Imò (equidem hoc bis térq; volens edico) verendo
Vos parere duci, data iussa facessite læti.
Contrà, animo sese tumido ferat ille, caueto:
Sed mage, quid moneant seruilia nomina, discat.
Ast vbi fixa dies, plena trieteride, functum
Ritè ministerio, ductorem excedere coget:
Inq; vicem expescent alium stato iura, cohortes
Qui rursum cunctas regat: & tota agmina gentis,
Præceptis, legumq; sacro munimine firmet;
Continuò exurgant proceres, coeántq; vocati
Vnà omnes certam ad sedem, quancunq; ministri
Deligat emeriti iam iam cessura potestas.
At non quale dabit cunq; hæc comitia tempus
Sed modò certa dies, certósq; voluta per orbes
Sacra feret, cogétq; patrum de more senatum,
Scilicet æthereo quæ cantat ab axe ruentem,
Igne sonante, deum, cumulátq; altaria donis,
Annua solennes recolens ex ordine pompas.
Hæc lux ductorem dabit: atque vbi feruida Cancri
Brachia ter fugiens, retro data lora quadrigis,
Torserit auricomus Titan; eadem eximet illum.
Interea si forte animam fato egerit aut iam
Longa valetudo, rerum'ue inscitia damnet,
Degenerémq; ostendat eum, plebisq; leuanda
Seruitijs adeò segnem; tum prouida patrum
Turba illum è solio iubeat decedere: móxq;
Ritè gubernaclo custos datus hæreat alter.
Præterea quanquam vnius debere ministri
Tantùm iussa sequi legionem edicimus omnem;

Hanc tamen in multas diduci posse cohortes
Annuimus: nec non ductorem adiungimus vltro
Cuiq; suũ, haud dubiis qui dehinc premat agmẽ habenis:
Et certam ad sedem (si fert ita corde voluntas)
Cogere centuriam queat, ac numerare quotannis.
Ac veluti excelsæ rupis de vertice pastor;
Præcipiti è scopulo siue ore fugacia tento
Dum virgulta inhiant, seu dum alti littoris oræ
Se nimium credunt; manibus virgáq; minaci
Reijcit exclamans hædos, hirtásq; capellas;
Sic ductor celerem nunc huc, nunc prouidus illuc
Verset, agátq; animum, atq; oculos ferat omnia circũ.
Inst.c.9. Præcipuè verò, moneo, ne linquat inultas,
Dißimulans, animas, cælo quas effera Erinnys
Auertit: mox egregios sed deligat omni
E' numero gentis: quos tum bonus arbiter ipse
Et probet, & virtus non dedignetur amicos.
Hos oratores dicat, monitusq; salubres
Deferre ad populos iubeat: parere iubenti
Olli festinent læti: magnásq; per vrbes
Ingreßi, pérq; exiguos absq; ordine pagos,
Seu tumulis captis, humiles, atq; aggere: seu iam
Excelsi, in morem positis suggestibus; ore
Diuina ætherei resonent monumenta magistri.
At Præsul si fortè suis è finibus illos
Ire velit, sanctisq; inhibens absistere cœptis
Imperet; haud contrà fas sit contendere: sed mox
Cedant, edico, victi, penitusq; facessant.
Tandem oratores hîc multà monemus eosdem,

Ludicra ne populis, aut insyncera loquuti,
Ritibus objiciant malè consona dicta seueris.
Quin breuibus (breuia æthereus, cùm inuiseret imas
Rex terras, monumenta dedit mortalibus ægris)
Eloquijs fingant animos: virtutis, & ædes
Præmonstrent: volitetq; ædes quæ gloria circum,
Edoceant: probris queis sordeat atra voluptas,
Queis, de more, suos pœnis agat ipsa clientes.
Hæc populis mandata ferant, his pectora firment.
Nunc agè, per duros casus, perq; aspera vitæ
O comitum spectanda manus, discrimina; quali Inst. c. 10
Inuisat moneatq; suos dux ordine cœtus,
Expediam, paucis antiqua exorsa reposcens.
Prima hominũ gens, orta recèns (haud rumor inanis)
Primùm felicis stabulasse sub arboris vmbra
Fertur, & auricomum nemus incoluisse, recentis
Delicias terræ: mox verò vt fœdera rupit,
Et pactum ætherei sanctum patris abscidit audax;
Heu luco deiecta sacro, longæua beatæ
Amisit vitæ dona: ac vitalia tempe
Infelix linquens; aliena requirere iussa est
Hospitia: immanis scelus exitiabile facti
Exilio vt lueret, pœnasq; expenderet æquas,
Per genus omne mali. At nos porrò inde hausimus omnes
Labem animis: quam mox concretam ab origine prima
Ingenitamq; altè ferimus: quæq; inficit auræ
Simplicis æthereo sensus, hebetatq; vigorem.
Hinc incestus amor, nos hinc vesana cupido
Exagitant, pelluntq;, trahunt, fœdantq; prophanis
 Criminibus:

Criminibus: pestes vrant quas sæua, necesse est,
Supplicia, & puros sensus, animosq́; relinquant.
Quocirca proceres, quoscunq; ea cura manebit,
Inuisant gentis sæpe agmina credita signis
Quisq; suis: tum multa rogent: contrà, orsa rogatos
Reddentes, audire iuuet: quin arte dolosa
Cogant consilia & subigant secreta fateri
Pectoris arcani: quæsitoresq́; sagaces
Indagent vitas, admissaq́; crimina discant:
Castigent, monituq́; acri torpentibus instent.
Si verò infecti mores, si decolor atrum
Fortè aliquem reddat labes, & crimina sontem
Dira animum culpent (longè inclementia, longè
Irarum indomiti fremitus, & verbera sunto.)
Ritè luat peccata, ac per leue prorsus agatur
Supplicium: donec mens labe renideat atra
Abluta, æthereoq́; effulgeat igne relato.
Præterea nostris iussa aduersantia dictis
Vlla suis, scelerum'ue irritamenta malorum
Cœtibus obijciant proceres, hîc multà cauento.
At contrà, iam tum pubes addicta seueris
Parendi studijs (iterum hoc iterumq́; iubemus.)
Omnino obseruans animi inuiolabile votum,
Iussa patrum (quæcunq; dabunt, modò dissona nostris
Nequicquam edictis, animæ'ue infensa saluti)
Excipiat festina: volens & læta facessat.
Interea siquis nostra de gente futurus,
Tecta colat malè fida animæ, suspectaq́; castis
Moribus, & quæ obstent adeò, ne prestius ille

Hos

Hos monitus seruet, néue hæc mandata capessat:
Quin & pernicies illic, & multa suburgens
Causa mali, aßiduè cogat peccare colonos;
Continuò ductorem adeat, veniamq; precetur,
Transferriq; loco, moxq; ad meliora reduci
Postulet hospitia, & tuta statione reponi.
Dux verò haud tristem dictis incessat alumnum
Acribus: at placido faciliq; arrideat vltro
Poscenti vultu: mentemq; animumq; remulcens
Seruitium obtendat, tetrica ditione remissa:
Quippe hac delectus veniat dux sorte iubemus,
Seruitum accedat, non regni vt sceptra capessat.
Præterea vacuas defendite mentibus auras,
Præmoneo, ò socij, tumidos defendite fastus:
Inuidiæ atra lues, & inexaturabilis auri
Esto animis ardor longè: neu pectora curis
Fortuitis onerate: vnum hoc, præq; omnibus vnum
Commemoro; ne vipereis inceßite dictis
Vos quenquam: obductum, in vulgus ne spargite crimẽ.
At cuius vis mentis hebet: néue ipse per artes
Cecropias bonus ire queat; præcordia circum
Obstat sanguis iners, & non bene viuida virtus;
Hic superis non thura dabit, non instruet aras
Frugibus æthereis, sacro non rore lyæi
Imbuet: ad diuum tantùm raptatus amore;
Seq;, suosq; volens sensus, animamq; litabit
Viuentem: viuens cæli placet hostia Regi.
At ne etiam læsus quis vestrum exardeat ira,
Nec sese vltorem contrà ferat: at magis vltro,

Atq; minas, atq; atra pati conuicia discat.
Nec minus & morbos, morborum & tædia duro
Aegra animo exuperet. Sed adhuc maiora supersunt,
Quæ moneam: placidas mentes adhibete monenti.
Rex superum quondam mortali voce parentis
Aetherei mandata canens, defendere nostris
Vsqueadeò nos ex animis odia aspera iußit,
Vt ne etiam infensos hostes odisse liceret.
Quin vltro potius veniam dare, numinaq; illis
Exorare deum, pacemq; exposcere mandat.
Hisq; olim spondet cælestia præmia factis.
Quare agite ò socij quicunq; optatis in armis
Effulgere inopum, nec iam exhorrescitis ista
Quæ vobis mandata cano; rogo parcite diris
Parcite decertare odijs, & lædere læsi.
Discite & indomitos animi lenire furores
Effreni, irarumq; atros compescere fluctus.
Postremò arreptis ne quæso absistite cœptis:
Ne date terga fugæ: sed iter superate malignum.
Palma vocat fessos: sed tantùm extrema labores
Ornat victorum, & meritos dat finis honores.
Test.C.II Ecce autem, dum multa cano, vitæq; futuræ
Condo pios ritus: dum vallo atq; aggere nostram
Cingo vrbem, & fossas circùm longo ordine duco;
Improuisæ astant acies Amathunta colentes:
Hæ nostræ blando circumstant agmine muros
Vrbis, & assultus variant molimine cæco
Nunc hos, nunc illos, cædes, obitusq; ferentes.
Hinc socij audendum est animis; hinc omne necesse est
Præsidium

Præsidium struere, & totis decernere contrà
Viribus: acre instat bellum, simul acer & hostis.
Quocirca hoc primùm, mando ne fœmina vobis
Iungat amicitia sese vlla licentius æquo.
Incautis tum verò animis commercia cæcos
Quæ subdunt ignes veneris, suadentq; nephanda,
Non secus ac stygios iubeo vitare colubros.
Rursus & æthereo sacrata ergastula Regi,
Virginibusq; habitata pijs horrescite: neue
(Id multà edico) accessu violate prophano
Limina, ne violate: adituq; absistite sacro.
Excipio sedenim, exortes discriminis huius,
Romulidæ quoscunq; patris suprema potestas,
Seruitio addicet lectos de more puellis.
Nunc verò (huc faciles animos aduertite) diuæ
Tertia accidaliæ commenta excindere tento.
Fons sacer est, quo gens hominum, vitalibus auris
Mox haustis, demersa caput; contagia culpæ
Exuit antiquæ, niueóq; effulget amictu.
At qui non sacra, facit, lustrátq; salubribus vndis,
Quisquis is est, natum (sic fert mos) dicere sueuit
Lustratum: contrà pater ipse vocatur ab illo.
At dum se nimium simul hæc consortia miscent,
Sæpe amor incestat mollis, turbátq; fluenti
Cælestis latices, diuináq; sacra prophanat.
Hinc vos abfugite hos ritus: incognita vobis
Hæc sacra esse volo: hæc irritamenta malorum,
Peruadant inopum fines, gentémq; nefanda
Labe vnquam inficiant nostram, probrisúe, cauete.

Iosu.c.12 Extremum hunc tandem dictorum audite laborem.
Pauca loquemur adhuc, opera haud vulgata mouentes.
Effera gens, sacras iacet extra limitis oras
Romani, incerti cultus, dignataq; turpes
Semiferosq; deos, aris & thuris honore.
Hanc superum genitor, cæcis erroribus actam
Aethere despiciens summo, & miseratus inanes
Cultorum ritus, certæq; ignara virorum
Corda viæ; inuitat cælo, diuumq; beatis
Concilijs: vltroq; illi manifestat apertum
Auctorem sese rerum: cui maximus æther,
Cui paret tellus, cui pontus, & aurea cæli
Lumina, flammigeræq; acies famulantur ouantes.
Quin etiam pietate graues, linguaq; potentes,
Sæpe oratores Romana è gente petitos
Ire iubet: qui paciferos frondentis oliuæ
Prætendant ramos dextra: moresq; feroces
Componat: leges, simul & pia numina monstrent.
Ergo olim nostra siquem de gente futura
Hoc opus, hæc moles, cælesti numine raptum
Exagitent, virtusq; vocet, pius incitet ardor;
Annuimus læti, pariterq; hortamur, & ausis
Fortibus adijcimus vires: sed protinus ille,
Vtq; animus fert, ire queat, nos deinde negamus.
Exploret sed certa sui priùs ipse magistri
Consilia, addiscatq; animum: mittiq; precetur
Sese oratorem, ad gentes sine lege superbas.
At dux magnanimi virtutem laude recentem
Militis attollat blanda, ac demulceat vltro.

Tum

Tum largus nimium veniæ, facilisq; caueto
Pareat optatis: sed multa interroget illum,
Multa animi euoluat, perscruteturq; recessus.
Condiscat quæ causa trahat, qui'ue impetus oras
Incitet ignotas, externaq; visere regna.
At si corde nefas penitus nullum occulat alto:
Nil premat indignum: nulla insyncera voluptas
Prouocet; indulgens votis pater illius vltro
Annuat: actutumq; sacro pius indice lustret.
Nunc tandem, vos ò proceres, gentisq; futuri
Ductores nostræ tantùm hæc extrema fatigent.
Vos tantùm seruate, animisq; ea condite in imis.
Tempora purpureis redimitus sacra galeris,
Cœtus Romuliden cingit læto agmine patrem,
Obseruatq; pij diuina sedilia Regis.
Vos agite ò proceres, pater optimus, eligat, huius
E' numero cœtus, orate impensius, vnum:
Progeniem nostram, totiusq; agmina gentis.
Qui regat imperio, simul & tutetur eandem,
Auxilioq; iuuet, siquà rerum indiga poscat.
Præcipuè si fortè animis inserperet olim
Vlla insynceris labes, & vocibus atris
Perstreperet rumor circum impia corda prophanus;
Aut tumidas fastus mentes inflaret inanis,
Ingrueretq; ardens amor execrabilis auri;
Tum bonus assertor, pietate insignis, & ore,
Consilióq;, sacráq; potens Tritonide, sontes
Castiget monitis, cogátq; expendere pœnas
Pro meritis æquas; donec iussa enthea Regis

Aetherei; ſeſe quibus addixere volentes;
Agnoſcant, reuocentq́; animo, aſſueſcantq́; vereri.
Auſoniumq́; patrem diſcant audire monentem:
Et caſti certa ſub relligione manere.
Tantis dux fortes prudens onerabat amicos,
Edicens inopis deſueta exordia vitæ.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIB. VII.

Voluitur interea pallentis ad hostia Ditis
Francisci vox, sacra canens: atque assonat atris
Sedibus: extemplò magno confusa tumultu
Tartara nigra fremunt: luctu Cocytus amaro
Turbidus increscit: Phlegeton torrentibus vndis
Aestuat, ad piceumq; ardent flammantia limum
Flumina: tristè gemens vlulat Styx, expauet, horret.
Ergo omnis trepidat vis illætabilis Orci:
Regia succutitur diri tremefacta tyranni:
Ad quam mox erebi monstra infelicia tendunt
Concursu rapido: collectisq; vndiq; turbis,
Complent terrificis fumantia tecta figuris.
Ipse autem vmbrarum dux, atq; immanis auerni
Noctiferæ in medio residet ferus arbiter aulæ,
Sulphureoq; ardens solio constrictus inhæret:
Centum illi assurgunt flammanti è vertice, linguis
Sibila luctisonis lambentes ora Cerastæ:
Centum colla obeunt: centum horrida pectora circum
Errantes, circumq; dati fera terga lacertis;
Oscula ad immitis tollunt capita alta tyranni.
Ebibit ore atro linguis spumantibus ille

Vipeream saniem: flammásq; è naribus efflans,
Terrificam lustrat fumanti lampade noctem.
Stat facibus succensa manus solia ignea circum
Eumenidum fremebunda cohors, regisq; parata
Semiferi imperio, nutus obseruat heriles.
Ille homines poscit culpas: & crimina vitæ
Explorat quæsitor atrox: & prodere cogit,
Quanta, quis æthereâ vescens feliciter aura,
Incumbensq; opibus magnis, admiserit olim.
Tum verò addictos æternis luctibus, atro
Igne tumens Phlegeton rapit vltro, vt sæua per æstus
Supplicia expendant, meritásq; ex ordine pœnas.
Nec tantùm ille hominum genus insectatur & vrget:
Consortes regni sedenim implacabilis odit,
Intentátq; minas, cunctisq; irascitur vmbris.
Ergo vbi concursus trepidi, magníq; tumultus
Accepit causas: desuetáq; bella sub orbe
Aethereo, indiciq; sibi, mundóq; nocenti
Perdidicit; subitum rumorem expauit: hiánsq;
Terrifico ore silet: donec sub corde recepto
Igne, ferox noto simul ira recanduit æstu.
Dentibus inde atrùm frendens (chaos attremit vnà,
Ignipotensq; erebus stridenti, ac desuper vrgens
Acclinat sese nutanti pondere tellus)
Ingemit, atq; vndas flammarum è pectore vasto
Euomit, inuoluens rutila caligine noctem.
Increpuit tandem, dirarumq; effera poscens
Agmina; terribili sic pertonat oris hiatu.
Ecquid vera meas iam tum peruenit ad aures

Famæ

Fama; apud ætherei lætas modò luminis oras
Gentem hominum exortam, reuehat quæ secula mundo
Aurea polluto? simul & mortalibus ægris,
Præsenti auxilio veniat, nostrisq́; futura
Exitio regnis? deus hoc quis dedecus vmbris
Tartareis, quæ fata canunt? quæue astra minantur?
At si ita, quid miseræ, imbelles quid inertia dextras
Tela grauant? quidue ore faces, quid lampadas atris
Ferre iuuat manibus? quæ tanta potentia, quæ vis
Extinxit furialem animam, elisitq́; colubros,
Vestrarum robur, decus, atq; insigne comarum?
Ergo hîc ò tandem performidatus auerno
Iampridem ingenti (nec stare ex agmine vestro
Vlla audet contrà) dux alta insignia mundo
Sustulit æthereo? iámq; ordine signa phlaganges
Clara sequuturæ coeunt? státq; ære coruscans
Armorum seges? & strictis micat aurea pubes
Ensibus? heu nostris exultabunda ruinis,
Posse audax iactat sese has popularier oras?
I, præceps, I gens ignaua, atq; ingrue vastis
Agminibus, procul his auertere sedibus ingens
Excidium contende ferox: agè pectore segnes
Pelle moras: fœcunda odijs corda excute diris.
Aethereum stygio prætexe Hyperiona fumo:
Bella cie, strue sæua acies, superósq; lacesse.
Ne verò huc aude moliri victa regressum.
Efferus hæc rabido strepit ore, ita concitus atrum
In scelus agmen agit. Monstrum auolat ocyus omne.
Tisiphone vna hæret: quæ postquam in terga colubros
Ex

Ex ore obstantes manibus reiecit oburcis;
Incipit. O' noctis pater implacabilis, ò rex
Vmbrarum, domitórq; erebi, mundiq; nocentis
Regnator; nostri fiducia quò tibi cessit
Roboris? an'ne tuis hæc olim dextera signis;
Cùm tu sidereum bello nouus æthera quassas
Ciuili princeps, summásq; attollere ad arces
Contendis sedem; longè abfuit? aut nihil vltrà,
Mille nocendi artes; didici quas saga sub annis
Primæuis; iam posse putas? ne concipe tantum
Ne modò finge nefas animo; mihi tota sororum
Vni plebs agedum cedat: penitusq; quiescant
Pestes tartaræ, & monstra exitialia cessent.
Nil hæc nil equidem, diras nil posco sorores.
Hi crines comites operum: his vlciscar opacos
Sola deos: hominum dextra hac, genus omne profunda
Sub stÿge mox videas, commistumq; æthera auerno.
Quando insuetum, ingens, quod tu mireris: & ipsa
Inuentum stupeant geminæ, inuideántq; sorores,
Ordior ipsa nefas. audi placabilis, edam
Vafra dolos. Habet ætherei plaga lucida mundi
Mille acies hominum, primæuis cauta sub annis
Quos ego non lacte, aut cereris dulcisq; lyei
Munere: sed stygÿs fouiq; aluiq; venenis:
Mox & lernæi sensim lita sanguine monstri
Corpora, vipereo docui consuescere victu.
Nec cura absistens vnquam, noctésq; diésq;
Mollibam dociles mentes, & cæca nefandis
Corda prophanabam dictis, tacitisq; venenis:

Donec

Donec me, ſcelus omne animis hauſere, magiſtra:
Omne nefas, omnes artes didicere nocendi
Horum equidem è numero (noui quibus ira, quibuſue
Inuidiæ liuor, quibus aut odia aſpera cordi)
Delectos ſontes, corda immaniſsima, prudens
Excipiam: quos arte mea ſimulare docebo
Relligionis opus: tacito ſed pectore fraudes
Qui norint ſtruere, & fraternum abiungere amorem:
Exin ſupplicibus votis, animiſq; doloſis;
Gentis ad inuiſum ductorem protinus aureæ,
Centurijs ſacris, cuneiſq; recentibus, vltro
Aſciſci orantes; ſtimulis accedere cogam
Vipereis: quò deinde malis ſacra agmina turbent
Moribus: inceſténtq; pias, ſcindántq; cateruas.
  Hæc dira. inſuetum ſcelus, atq; immane tyrannus
Corde fouens hilari; tenta mox accipit illam
Oſcula ad atra manu, & propius complexus inhæſit.
Ilicet implexi per mutua terga colubri,
Inſonuere atrùm, & linguis micuere triſulcis:
Intulit inde ferox. O' cæci robur auerni
Eximium, ò ſuperum terror, noſtræq; ruinæ
Eumeni certa vltrix; ſi detur perdere gentem
Infenſam, & victrix redeas, prædáq; potita;
Mox hæc ſceptra cape, & ſolio hoc ſimul alta ſedeto.
I, velox, I, ne promiſsis deſice tantis.
Non citius; radijs cùm ſol tepefecit arenas
Sidereis libycas; denſis niger imbribus auſter,
Axe ſerenato linquens de more Canopum,
Incubat Auſonijs, pennis rorantibus, agris,

Atq; auras cæli superas conscendit Erinnys.
Ergo acri incœptis animo feralibus instat:
Actaq; gorgoneis magnum secat aërea pennis:
Heu tristem exercens infelicémq; volatum.
Nec verò immanem sine more aggressa laborem
Molitur: certa sedenim de mente petitis
Auspicijs versat: primumq; inuisit alumnos
Læta suos, lætis feralia munera portans.
His nanq; anguifera crines è fronte reuulsos
Insinuat tacitè obiectans: his comminus auram
Vipeream inspirat: sensim ad præcordia virus
His subdit, fraudum nempe irritamen ad artes
Acre adeò infandas: alijs mille, effera corda
Mille dolis replet, & crudelibus instruit ausis.
Arrident læti sontes, veterémq; magistram
Agnoscunt: docilésq; animis assueta capessunt
Pabula, tartareos ignes, flammásq; rapaces.
Talia per gentes pestis lethalis auerni
Passim Tisiphone dat monstra: ea prima malorum
Semina diffundens, regnis molitur egenis
Excidium, inuisámq; parat contundere gentem.
At circum interea ductorem personat ingens
Turba Subasæum: & lateri sese agmine denso
Agglomerant iuuenum cœtus, vitæq; recentis
Vltro desuetis asciscí cultibus orant,
Pectoráq; obijciunt iussis, duróq; labori.
At non syncerus, non castus suscitat omnes
Relligionis amor, non mens eadem omnibus ardet.
Mille adsunt vltro, quos illætabile numen

Tisiphones agitat: corde insidiosa sub imo
Consilia hi tacitè occultant, versántq; dolosos
Ore sonos: responsa ferunt simulata rogati.
Miratur dux ingentem iuuenúmq; senúmq;
Concursum; stupet audaces, vitæq; tenorem
Durum, insuetum, acrem optantes: vltróq; labores,
Sors rerum quoscunq; ferat, tolerare paratos.
At quanquam innumeros ductor bonus agmine sancto
Amouet (ignauos quippe hos mox conijcit: illos
Mentis obire dolo, atq; infido pectore egenam
Militiam: tum centum alios, bis térq; petita
Verba eadem, nec iam penitus sibi consona, produnt;)
Non gentis tamen exiguas tenet ille cohortes,
Non solus deserta colit dux castra: sed ingens
Circumstat populus: nec iam virtutis egentes
Ductorem stipant acies, & signa coronant.
Ille infert sese medium: socijsq; vocatis,
Et crebrò in cœtum, patris de more coactis;
Nunc bonus hortatu, iussis nunc lenibus instat:
Demulcétq; rudes animos, & pectora fingit.
Tum nequà incœptæ ventura incommoda vitæ,
Néue iter horrescant durum virtutis ad ædes;
Multà illis memorat: neu iam monstrosa laborum
Agmina formident; monitis cauet, ardua monstrans
Præmia defessis palmæ, optatámq quietem.
Præterea angustos rerum denuntiat vsus.
Præcinit & pugnas, duriq; horrentia martis
Prælia: nequicquam ignauos, sed viribus acres
Esse hostes, fraudum gnaros, belliq; potentes,
Exper-

Expertósq; monet: nobis qui læta deorum
Concilia inuideant: cælo quiq; arte dolosa,
Siquà hominum poßint genus omne auertere summo
Contendant, captumq; imo deuoluere auerno.
Non tam sollicitam, maßyla per auia pascens
Imbellis, nec dum lunata fronte iuuenca,
Dat matrem: horribilem fremitu, impastumq; leonem
Si fortè audierit: pauet illa: hæc cornua pugnæ
Aptat, & haud trepidans iam plagis obijcit armos
Obnixos, gemitu proles exaggerat iras.
Interea clarum Francisci nomen ad astra
Attollit, pérq; ora virum, pérq; arua, per vrbes
Ingentes, pagósq; breues, fama ardua iactat.
Nec verò Ausonios intra gemit anxia fines:
Appenninicolis nec tantùm cœtibus almum
Angusto canit ore ducem: sed concita pennis
Præpetibus; rutilas flauentis combibit vndas
Læta Tagi, extremos populos, atq; vltima Calpes
Littora peruadens. At tu quoq; Gallia nomen,
Vnde datũ puero est, quamprimùm agnoscis amatum,
Gallia post latias vrbes, quæ proxima subdis
Colla iugo, monitisq; sacris: & ad ardua cogis
Signa ducis non parca acies; agè nomine tanto
Insignis, iam læta poli super astra, beatos,
Francisco ductore, aude sperare triumphos.
At pater ipse, animo secum vnà preßius alto
Incœptæ iam tum repetens exordia vitæ,
Innumerasq; videns. latè vigilare per orbem
Se duce centurias, & plenis ire suorum

Successus operum votis; noua pectore versat
Consilia: vt pater; Ausonias qui temperat arces,
Et septemgeminos moderans cum Tybride colles,
Fulminis igne sacro diuini territat orbem;
Mox leges, ritusq; pios, vitæq; futura
Et cultum, & mores cœptos, munimine sacro
Firmet: eos ne longa dies, ne sera vetustas
Frangere, siue odij queat infestare venenis.
Ergo his; angustis de rebus habere, quibuscum
Consilia, & curas partiri, acresq; labores
Suerat; bissenos dictis affatur amicos.
O socij non sorte meis, verùm auspice nutu
Diuum olim iuncti, fidißima pectora, votis:
Magna quidem (eia animos iam tū ad maiora parate)
Pars rerum effecta, angusto cùm limite vitam
Clausimus, & legum vinclis præcinximus arctis.
Quod superest, nostræq; reor (siqua exeat olim)
Auxilio veniet genti, nunc addimus vnum.
Relligione sacros, magnum quoscunq; per orbem,
Aurea conuentus hominum prudentia iungit,
Romulides nutu torquet pater optimus: olli
Quisquis ab aduerso insurgens, animoq; superbus
Nequicquam paret: sed perfida signa vocatis
Concilijs tollens, dare confidentius audet
Ductorem sese, & sedes spondere beatas;
Ipse sua cum plebe ruat, quassante fragore
Desuper horrenti cum tempestate; necesse est.
Nec fas vltrà animo, aut spem sumptis ponere in armis.
Hinc noster, ne iam tenues vanescat in auras

Effusus

Effusus labor, & spe nos eludat inani;
Præstat opem magni patris implorare supremam:
Et cultum legesq́ nouas, vitaq́ repertos
Nunc primùm insuetæ mores addicere sacro
Iudicio: quos deinde ratos longum ire per æuum,
Ipse velit, iubeátq; coli, foueát;, rogemus.
Ergo Aurora nouos cum primùm euexerit ortus
Crastina, adeste omnes, mecumq́ vnà ite frequentes,
Tendite iter pedibus, Romanas tendite ad arces.
Dixit, & ad notum montem sese ipse recepit:
Illum vbi prærupto scruposus fornice, & atris
Ilicibus tectus specus, atq; imperuius astris,
Sæpe die, sæpe & noctis nigrantibus vmbris,
Cælicolum affatu, & diuina voce potiri
Assuetum fouet, & sanctos dat inire sopores.
Cætera plebs comitum (neq; enim sub pectore & ipsa
Degeneres agitat curas) diuersa sub altis
Arboribus stabulat, duro contenta cubili.
Interea è summo diuum pater altus Olympo
Lumina oliuifero figens deuexa Subaso,
Speluncam notis audit resonare querelis.
Tum circùm spectans, latè agmina fusa volucrum,
E' numero sistit lectum sibi protinus vnum,
Gnarum nempe operum, atq; explendis ordine iußis;
Quæ pater ipse, imis, supremo ex æthere terris
Deferri iubet, & figi mortalibus ægris;
Apprimè assuetum; cui sic dehinc ore loquutus.
Fide puer; liquidum cui non præcludit inane
Vsquam iter, astrigeros seu te iuuet ire per orbes,

Nubila seu mauis, imasq; inuisere terras,
Siue minis sontes manes terrere necesse est;
Vade agè, scinde auras, præuertere cursibus euros.
Cùm verò incessu Tarpeia rupe potitus,
Magnum adeò aspicies patrem, cætusq; magistrum
Romani; mox illum alta per membra quiete
Perfusum, & regni iam tum sedisq; tuendæ
Securum, alloquere, & dictis incesse seueris.
Non ideò superum Rex ipse, idemq; repertor
Seruatorq; hominum sceptra aurea credidit olli:
Sidereiq; aditus custodem addixit Olympo,
Et vigilem iussit cælestia claustra tueri.
Quid struit? aut quid cunctatur? quin aspicit ædis
Culmina sacra mea vastis casura ruinis?
Et iam lapsa forent; humeris ni pronus adactis,
Vir malè notus adhuc, despectaq; gentibus vltro
Ora ferens, torqueret onus, templumq; leuaret.
Tu modò finge domum labentem: Heroaq; subter
Nempe laboranti similem: ac labentia tecta
Attollentem humeris: patris dehinc obijce menti
Sopiti effictam molem: tantùm hoc memor vnum
Adde: Heroa (aderit nam mox vestigia sacra
Amplectens ac multa rogans) visum, effice, magnus
Quamprimùm agnoscat Præsul, facilisq; rogantis
Annuat optatis, magnisq; indulgeat orsis.
Hæc patri mandata feras, hic nuntius ibis.
Ille hæc fatus erat: simul & bonus aliger, orbes
Menstrua luna tuos, auratis infima cæli
Claustra secat pennis: mox turbida nubila tranans

Pronus carpit iter, liquidasq; intermicat auras:
Donec piniferum caput, ac nigrantia densis
Ilicibus latera aspiciat Soractis amati,
Soractis: cui fumosis iuga mille per alta
Ara in speluncis fulgent, spirantq; Sabaeis,
Et Cilicum messes, patris de more vetusti
Cultoris, quondam latuit qui primus in illis.
Hîc figens Zephiris geminas sublimibus alas,
Atq; humeris nitens volucer pulcherrimus aequis,
Constitit: inde sacros oculis animoq; probatos
Praeteriens lucos: & te iuga celsa tenentem
Narnia saxosi montis, cum fonte Velino
A tergo linquens; demisso tramite longum
Radit iter: volucriq; fuga praeuertitur vndas
Tybri tuas: quaq; auratas citus explicat alas,
Aura micat, seruatq; diu via clara nitorem.
Non secus ac siquando polo decussa sereno
Sidera nocte volant, longoq; meantia tractu,
Limitem agunt flammis & multa luce coruscum.
At postquam excelsas Capitoli contigit arces,
Vidit Lethaeo rorantem flumine somnum,
Opportunum operis comitem: qui tecta subibat
Praesulis alta pij: nec dum secreta cubilis
Intrarat stratis cùm iam pater optimus aureis
Incubuit, multoq; deo perfusus inhaesit.
Tum secus interpres caeli fidißimus inquit.
Non nihil effectum est: nostri stant fixa laboris
Principia: en agedum superest quod, ritè sequamur.
Nec plura effatus: solers mox euocat acris

Ingenij

Ingenij celestem aciem, templiq́ superbam
Egregij speciem effingit: sed culmina paulùm
Deprimit, & casu nutantia tecta minaci
Inuergit, limenq́, postesq́ nitentes
Molliter inclinat, iam iamq́ ruentibus æquat.
Parte alia præstantem animi, vultuq́ seuerum,
Non auro insignem, tyriaq́ in veste micantem,
Sed dura obtectum lana, reste ilia cinctum
Heroem format. formatumq́ ilicet adis
Deuexe subdit tectis, ac postibus altis.
Paret ouans magni iußis mox alitis Heros:
Intrepidusq́ manus, ceruicem, humerosq́ ruinæ
Supponit: totis obnixum viribus illum
Aspiceres: qualem præcesso vertice durum
Atlantes, æthereos axes torquere putamus.
Hæc vbi diuina cælestis nuntius arte
Perfecit, mouet extemplò, lapsuq́ quieto
Ingens ducit opus: sopito machina sacræ
Vasta domus patri donec sistatur: & alto
Insomniq́ animo penitus surrepat imago.
At pius Antistes, nutantis culmina templi
Deuexa vt vidit: solijq́ excelsa supremi;
Cui datus hærebat custos, rectorq́ verendus,
Agnita vt effigies; exhorruit: aridaq́ olli
Ossa tremor quatit: & gelidus mox corpore toto
Proruptus sudor, frigentes eluit artus
Iamq́ adeò tristes bis terq́ effundere voces
Pectore conatur: bis terq́ eludit hiantem
Vocis opus, frustraq́ auras pulmone receptat.

Vix tandem has tenui visus dare voce querelas.
Prô dolor, vnde nefas? sceleris fax vnde prophani?
Tempestas adytis vnde hæc immissa repentè?
Excidium ò superi vos immanemq; ruinam
Securi spectatis, & ira parcitis vltro?
O' vos hîc saltem vos ò succurrite magni
Romulidæ: prohibete nefas, prohibete ruinam
Infandam: nitentem humeris sub pondere vasto
Auxilijs Heroa iuuate, & adeste frequentes.
Tum volucer questus procedere longius atros
Præsulis haud passus, clamantem his occupat orsis.
Parce metu, manet alta domus, sacra culmina templi
Stant immota loco: tristes dimitte querelas:
Non ædis monstrant, vt reris, talia casum:
Sed monitis te visa petunt; ea nuntia mentis
Adsunt diuinæ: vitæq; insueta futuræ
Monstra tibi ostentant: agedum nunc prouidus, omne
Et rerum specimen disce, ac mea corde sub imo
Conde memor dicta: haud equidem mortalia veni
Mortalis mandata ferens, sed nuntius alto
Imperio magni patris demissus Olympo.
Vidit ab æthérea diuum sator optimus arce.
Quæ scelerum facies, populos quàm dira per omnes,
Noxa hominum serpat, quàm surgat decolor ætas:
Vidit, & obiecit iam tum sæpe ira videnti
Fulmina, sæpe manus armarunt nimbus & ignis.
Abstinuit pœnis genitor bonus, atra recondens
Fulmina: iacturamq; hominum miseratus acerbam,
Sontibus ignouit, nec non se liquit inultum.

Nunc

Nunc flagrans magno, & penitus deuictus amore,
His visis, hac te perterret imagine: sed tu
Mitte hoc ex animo templum: curam illius omnem
Pone modò. Stat quippe ingens, augusta, columnis
Mille innixa ædes, saxoq; extructa supremo,
Non arte, ingenióue hominum, non ficta labore
Mortaliq; manu: at diuum Rex maximus altam
Congerie ex hominum aggesta, vnanimiq; piorum
Effigie; molem ipse opifex eduxit in auras
Aethereas, soliumq; ingens sibi fixit in arce.
Hæc eadem ò pater (agnosce) hæc tibi credita tantùm:
Tu vigil huic olim datus, ac bonus arbiter vnus.
Quin igitur prono nutantem respicis illam
Culmine? quin sacro euulsos è cardine postes,
Atriaq;, & magno penetralia quassa fragore?
Sceptra vbi nunc, vbi serta iacent? vbi gloria magnæ,
Et decor, & virtus, & læta potentia gentis?
Exuit ornatum cælestem, extabuit ingens
Robur, hiant acies, & raro milite fulgent.
Hanc instaurari iubet, hanc pater ipse deorum
Mox refici. quid iam struis, aut teris otia segnis?
Alta vides humeris torquentem Heroa, manuq;
Culmina: disce oculis, animo hunc memor (ardua versãt
Consilia hîc actutum aderit) modò conde sub imo.
Tum verò huic illum similem ora, habitumq;, coloremq;
Extemplò visum agnoscas, tecumq; volentem
Adde operi comitem: nempe hic tua regna reponet.
Hic lingua dextráq; bonus tibi restituet rem.
Præterea quæ te supplex humilisq; rogabit,

Ne rere illius malè viribus æqua: sed vltro
Mox indulge ausis, magnis pius annue votis:
Da rata sint quæcunq; petet; da ritè per annos
Perpetuos, natis posuit quæ iussa, minores
Seruent venturi, venturorumq́ue nepotes.
Sic fatus volucer, densis se miscuit vmbris,
Astra petens: nox vnà oculos, somnusq́ue relinquunt
Præsulis: è stratis mox sese ille excitus altis
Corripuit, multa gressus formidine quassus,
Atq; amens animi, casuq́ue exterritus atro.
Vt tandem ossa tremor gelidus titubantia liquit,
Et rediit membris vigor, & lux reddita menti;
Continuò geminas tollens ad sidera palmas,
Primáq; liba ferens supplex de more supremis
Cælicolis; magnum sic patrem in vota vocauit.
Summe parens, genus vnde deis, genus vnde caducis
Terrigenis, en iussa volens, animoq́ue sequaci
Accipio, & facilis meme quocunq; vocarit
Imperium cæleste sequar: tantùm ore sereno
Aspice me, placidusq́ue iuues, & sidere nostris
Adsis ò fausto cœptis, & visa secundes.
Tuq́ue ales decus excelsi pulcherrime cæli,
Quo te cunq; polo, quocunq; sub orbe morantem
Sidus habet vigiliq; hominum statione tuentem
Indignos casus, miserantémq; aspera fata;
Dexter ades: vociq́ue tuæ parere parantem
Accipe me lætusq́ue foue, & rege numine certo.
His pater orabat dictis, vnáq; ciebat
Auroram crebrò, & tardos Hyperionis ortus

Sæpe incusabat: neq; enim, quæ multâ recursant,
Sollicitántq; vrgéntq; animum, dant visa quietem.
Instat vi multa spectandi cura labantis
Tecta ædis: menti sed prima insidit imago
Herois roburq; ingens, & viuida virtus.
Illum animo ardenti iam tum cupit, illius ægrè
Aduentum perfert serum, culpátq; morantem.
Interea oceano surgens Aurora quadrigis
Purpureis inuecta, polo terrisq; colorem
Spargebat roseum: cùm nil iam nocte grauatus
Nil somno effractus Franciscus liquerat antrum:
Et simul in cœtum, socijs de more vocatis;
Testinabat iter Tarpeiæ ad culmina rupis,
Conspectumq; sacrum, diuiniq; ora petebat
Patris Romulidæ: bissenum it passibus æquis
Olli turba ducum, & paribus comes excita curis.
Ventum erat ad limen sacri regale palati.
Extemplò simul introgressis, copia fandi
Larga data est: coram Franciscus præsule magno
Incipit, & supplex, humilíq; ita voce profatur.
O pater, ò sanctæ custos fidissime gentis;
Da facilem dictis animum, da peruia votis
Corda precor nostris: néue his spectentur ab annis
Quæ ferimus: maiora audax, quàm viribus æquet
Orsa animus (fateor) ciet: at tua maxima virtus,
Quicquid nos ægrè gerimus, supplebit abundè.
Te penes imperium est, pater, inuiolabile rerum
Sacrarum: tu diuini seruator honoris
Maximus: æthereæ fidus tu ianitor arci

Aßistens. te; concilijs quicunq; vocatis
Ritè hominum, attollens cælestia signa, magistrum
Ductoremq́ ultro sese dat cœtibus; antè
Auctorem imploret rerum, poscatq́ necesse est
Auxilium ille tuum: sanctas nec condere leges
Ulli fas, cultum'ue nouum: aut indicere ritus
Relligione sacros; tua ni priùs alta voluntas
Annuat, & positos certo munimine firmet.
Quocirca ò bone dux, pater ò sanctißime, gentis
Incrementa tuæ ne tu modò despice quæso.
Surgentemq́ recens fœturam asciscere sacris
Cœtibus haud pigeat: comites mihi (respice) iuncti
Bisseni gens fida animis, delectaq;, magnæ
Nil virtutis egens, totiusq; inscia culpæ.
Hos ego, méq; tuis, hodie, sobolémq;, labores
Siqua olim nostros ventura sequatur; in annos
Perpetuos subdo imperijs: agè maxime magnos
Iam tum pande sinus, chlamydisq; capacibus vmbris
Conde: manus tibi enim, & fraternis cœtibus vltro
En damus: alme recor sacri nos accipe voti.
  Præterea ò genitor, ne nubibus irrita vanis
Cœpta hæc obijciam, vulgo aut ludibria mittam;
Aspice nunc, tanta, quæ fundamenta locarim
Sub mole: obdiderimq; sacro quæ robora vallo:
Quas turres vrbi, quæ propugnacula porrò,
Mœnia quæ circùm dederim, quóue ordine leges
Ediderim genti venturæ, vrbisq; colonis.
Quæ rata sint, da cuncta pater, da numine firma
Esse tuo: da; perpetuum currente per æuum

Gente

Gente olim nostra; vitam, legésq; seueras,
Quas ferimus; longæua coli per secula: néue
Se contrà attollat liuor, tu consule nobis.
Hæc Heros, vnáq; aperit (nam veste latebant)
Ostenditq; patri, demissa fronte, tabellas.
Ille datas bis térq; oculis metitur adactis.
Nec toties vidisse satis: iuuat vsq; morantem
Inspicere, atq; animo rem voluere preßius omnem.
Ore sacro hæc tandem contrà si rettulit orsus.
O' præstans animi iuuenis, virtute coruscans.
O' noua, nescio quo lux igne exorta repentè;
Quis deus ista tibi tam sancta oracula ab alto
Dettulit in terras? quæ te ciet aura? quis ardor
Raptat? an ales agit cœli pulcherrimus idem;
Qui me nocturnis visis petit, increpat, vrget,
Diuinisq; onerat monitis, iußisq; fatigat?
Ast vtcunq; ageris (nam te non vllius implet
Vis superum) quondam monumenta excindere nulli
Fas hæc mortali: quin nos ea pectore toto
Complexi accipimus, veneramurq; hæc tua vota.
Nec sine mente deum, certo aut sine numine remur
Eueniant. Sed præmoneam te, nunc sine tantùm
Hoc vnum (ne sperne) olim monita ipsa iuuabunt.
Magna petis: quáq; ire paras, via nullius ante hac
Trita iacet plantis: animo hinc & fortibus ausis
Quantùm ipse exuperas, tantò maturius optat
Res noua consilium: méq; alta impensius æquum est,
Principia, & rerum metuentem expendere finem.
Dic agè (linquo animi, libertatémq; subactam
Spontè

Spontè voluntatis: mitto consortia blandi
Pulsa tori: me tantùm inopis sors aspera vitæ
Sollicitat) qua fidis ope, aut quam mente secas spem?
Æsto olim duros cultus, atq; horrida tentas
Insuetæ, exoptásq; audax incommoda vitæ.
Sed tamen atra fames, sæuaq; vrentia brumæ
Frigora num deerunt? aut sortis protinus expers
Tu tantùm humanæ, & naturæ lege solutus?
Ecce etenim canis niuibus gelidisq; pruinis
Horret hyems: contrà validis ecce æstuat aër
Ignibus: alternis vicibus pugnantia ducit
Tempora, pérq; nouas, semper nouus exit ab ortu
Astrorum species Titan, noua lumina portans:
Queis noua temperies, alternáq; tegmina semper
Ordine debentur, diuersáq; cura paratus.
Queis ergo auxilijs tantos solabere casus;
Si cultus, omnémq; peni, victúsq; recusas
Vsqueadeo curam: si rura atq; hospita tecta
Aspernare volens, cunctisq; abiungere rebus?
Quare agedum, nostros monitus ne temne: sed aut has
Vota insueta preme: & si iam libet ardua linque
Cœpta: aut me patrio, sine, tantos more furores
Emollire animi: & quà tendas, mitius ipsis
Sternere iter pedibus: rebus meme sine egenis
Consulere, & medium vitæ monstrare tenorem.
Aspice res inopum, duros metire labores.
Parce, olim ventura tibi quos deferet ætas,
Gnatis parce tuis: neq; enim fortè ardor habebit
Idem omnes: sed degeneres trepidósq; referri

Subla-

Sublabiq́; retro, infractos formidine rerum
Aspicies multos: & te dolor anget amarus.
Talibus instabat dictis, talésq; ferebat
Antistes monitus. Nequicquam deficit ardor
Diuinus iuuenem, nequicquam pectore magno
Absistit virtus: atq; vt pater ora repreßit;
Ille hæc mox contrà placidis super intulit orsis.
Quàm bene, pro immenso supremã maximus orbe,
O pater ipse geris, magnóq; in pectore versas;
Tam reor esse pium, te paruam attingere curam,
Pro me, réq; mea. At si cœpta incommoda vitæ
Exhorres, hominum nec rere laboribus illam
Tentandam, suadésq; animo pedibusq́; regressum;
Quid superum Rex, atq; idem bonus ipse magister
Hanc docuit? fusus'ne labor? num futilis auctor
Ipse operis primus? num mendax, aut vafer astu
Elusit comitum cœtus, dum sedulus illis
Tradidit hanc, animóq; pio seruare iubebat?
Quòd si illis ea vis, si tanta potentia ceßit,
Nempe & adhuc rudibus, sanctæq́; expertibus auræ;
Vt noua vel primi, Regis præcepta subirent,
Et struere auderent teneris opera ardua dextris,
Mortales nobisq́; pares, fatisq́; caduci;
Cur desperandum? cur non superabile nobis
Hoc cœptum? Heroas si denim monumenta priorum
Sacra canunt illos, memorántq;, & numine plenos
Abdita multisonis cecinisse oracula linguis.
Esto: at rimosis quid dum vada salsa phaselis
Sulcabant, pisces ad littora sicca trahentes,
Solan-

Solantesq; ludos tenui mercede labores?
An verò extinctus superum leuis ignis, & auræ
Sidereæ liquidi flatus posuere, nec vltrà
Corda hominum perflant? & habet iam sidera liuor?
Cede precor cede, optatis pater annue nostris.
Ne turbare metu: vitæ néue ardor egenæ
Sollicitet vana sacrum formidine pectus.
Néue, quòd hæc rerum sors intentata, mouere.
Numina quippe aderunt magna, auxilióq; iuuabunt.
Quorum hæc imperio ferimus monumenta: nec ausis
Tantis deesse pater successus rere petitos.
Vidi equidem multos longo torpere veterno:
Et segnes sine honore diu, sine laude iacentes:
Quos tandem monitis grauibus stimulisq; pudoris
Excitos, fortuna manu vultuq; sereno,
Sustulit, & claros præcelsa in sede locauit.
Adde quòd haud animis desunt sua robora nostris.
Cerne meos annos: comitum simul aspice firmos
Florentesq; artus, & viuida corda meorum.
Ne quæso his obstes, ne tu pater optime votis
Inuideas (breuis hora) mihi indulsisse iuuabit.
Hæc tum reddiderat iuuenis: pater ora tenebat
Obtutu defixa solo: responsáq; dictis
Nulla dabat: tantùm sedenim altè corde sub imo,
Anxia nocturni repetebat visa soporis.
Hæret fixa animo procumbens machina templi.
Hærent diuini cælestia iussa ministri.
Precipuè sed tecta ædis deuexa ruentis
Ipse Heros humeris attollens, multà recursat.

Omnia

Omnia cui similem, vultumq́; manusq́; coloremq́;,
Horrentesq́; habitus, tritósq; laboribus artus,
Ostentat iuuenis se coràm, ac viuidus infert.

Hic ergo Antistes tandem sic vocè loquutus,
Vincis, ait, vincis; quicquid petis (exue curam
Hanc animo) dabitur: cælestia iussa sequemur.
Nunc ò sancte poli vigil, interpresq́; deorum,
Nunc oculis tua dicta patent: agè vera loquutum
Quis te fide neget? quis non oracula supplex
Tam certa accipiat? coràm nunc ecce tueri
Monstratum datur Heroem: nec somnia fallunt.
Hic vir hic (agnosco) certè hic: quem nocte sopora,
Aethereo somnus lenis mihi lapsus ab axe
Detulit, ostenditq́; animo persedit imago
Altius acta meo. Salue ò fortissime nostræ
Seruator columenq́; domus, salue addite terris,
Et decus, & sidus clarum, & spes certa salutis.
Vt te agnosco libens? vt te diuina loquentem
Accepiq; animo, atq; arrectis auribus hausi?

At non hæc temerè, aut certo sine numine diuum
Eueniunt: quippe astrigera pater altus ab arce
Talia demittit: video mox surgere gentem,
Rege nouo, noua signa manu, nouáq; arma ferente,
Innumeram: quàm densæ acies, quàm læta piorum
Heroum nostras (medij breue tempus) obibit
Turba aras? quàm multus io concursus ad ædes
Mox sacras? quos nostra feret castissima fœtus
Relligio? ò posthac hominum quàm crebra supremis
Agmina sese astris, & diuum cœtibus addent?

Iam vocem ætherei, calerémq; agnosco volatum
Alitis, & læuos tonitrus, quos auribus hausi.
At tu agedum lætus cape dicta, & pectore serua
Nostra olim hæc, nullos non constatura per annos.
Est mihi, non bello, non vi, non fraude, potestas,
Non quæsita manu, non armis parta: sed alto
Progenies æquæua patri moribunda reliquit,
Transcripsitq́; mihi: cæliq́; immensa reuisens
Atria, meme illa, nostræ tutamine sedis
Aeterno, iußit certa ditione potiri.
Non hac finitimas gentes, non extera regna
Impetimus, non magna cadunt quassa oppida: non hac
Cæde tepent campi, spumantue cruore fluenta.
Pulsa adeò haud nostras pietas auertitur oras.
Hi crudele gerunt nihil aut immane penates:
Sed cæli monstrare aditus, & pandere suerunt
Flammantis limen: quà sidera læta reuisat
Errabunda hominum gens, & potiatur Olympo.
Mollibus inde pias gentes tractamus habenis
Et monitus, legésq; damus, de more paterno.
At verò indomitas, & quæ pia iussa rebelli
Detractant, ritusq́; sacros ceruice recusant;
Fulmineo afflatu diuini sueuimus ignis
Impetere, & flammis vltricibus vrere: donec
Imperij iuga ferre sacri, & mansuescere discant.
Hi mores nobis, hæc arma, his castra mouemus
Præsidijs: hæc prima tuis accommoda rebus,
Et reor, & tantus labor expetit. Ergo agè primùm
Teq́;, tuósq; omnes; olim quoscunq; nepotes

Sera ætas feret; hæc mea dextera, numine certo,
Defensos dabit, & magna inter præmia ducet.
Tum verò, ne cassa animi pia vota seueri,
Et labor iste tuus vacuas effusus in auras
Te fallant, tristemq; pudor te vulneret acer;
Hæc monita, has leges, hæc iussa, hæc deniq; morum
Nunc primùm tentata tibi discrimina, & olim
Militibus seruanda tuis, gentiq; futuræ;
Numine firmamus nostro: & sacra robora circùm
Ponimus: excubias & propugnacula tantis
Mœnibus alta damus, fossisq; incingimus vrbem.
Quin (maiora audi) si nequa audacia contrà
Attollens, dictis nostris insultet, & amens
Munimenta atro nixu conuellere tentet;
Consulimus, tonitrusq; sacros, & fulminis ictus
Diuini obijcimus contrà: geminosq; vocamus
Cælicolas, curæ quibus hoc seruare penates,
Et nostras pœnis firmare vltricibus iras.
Hæc tela, hos ictus; quicunq; procacibus ausis,
Legibus insultare tuis, & robora nostri
Aut quatere alta manu, aut rescindere morsibus atris,
Tentarit nutus; spem posse euadere, ponat.
Hac vice perfecta sermonum; Heroas opimis
Iam votis adeò lætos, pater optimus vltro,
Carmine diuino ter lustrat, & indice sacro.
Illi abitu accincti, grato dant ore salutem.
Iamq; vnà egressi tectis fulgentibus omnes,
Ardentes ibant animis; atq; inter euntes
Franciscus læto medius sese ore ferebat.

Virtutumq́ acuens stimulis, sub pectore vires;
Mente operis tacita spes euentusq́ futuri
Versabat: tum fatidica mulcebat amicos
Voce, atq; ex animis curas pellebat inanes.
Qualis glandiferæ ramos philomela per altos
Ilicis, eductos fœtus, nidoq́ repulsos,
Traijcit: ipsa breui volitat dux præuia tractu:
Sæpe redit, tergoq́ premit, segnesq́ fatigat:
Nunc longè insidit, simulataq́ eminus ira,
Prouocat increpitans alis, probrisq́ canoris;
Talem bissenis ductorem prouidus Heros
Dat socijs sese, & varijs sermonibus instans,
Fallit iter longum: donec te candide puro
Fonte sacrum Clitumne caput sub luminis oras
Tollentem aspexit: viridisq́ in margine ripæ
Procubuit: comitesq́ vnà defessa quieti
Membra dedere breui, & properata corpora curæ.
Tum dux (arrectis circùm astitit auribus omnis
Mox pubes) stans in medio sic vocibus infit.
En socij (nòn alta hominum sors improba miscet
Consilia, aut temerè rerum dea versat habenas)
Nostra suus successus habet modò vota: laboris
Ne pigeat quæso: placido cœlestis eunt res
Numinis afflatu: nobis hæc munera, diuis
Quis neget auspicibus data? flectere Præsulis vllo
Pectora num affatu quondam, aut mollire precando
Nostræ opis, atq; animum dictis mulcere verendi
Patris erat? cur ille, viros nos omnium egenos,
Virtute exiguos non dedignatus amico

Reppulit

Reppulit affatu, non spe delusit inani?

At verò optatis rebus, plenoq; potitos
Voti successu, pietas quæ sancta reposcat
Dona olim; iam tum nos dissimulare, nefandum.

Ergo agedum ò pubes (animis defendere quando
Turpem ignominiam, crimenq; auertere certum est.)
Dicamus superis meritos dicamus honores.
Votaq; soluamus, iam nunc pro munere tanto,
Quod ferimus: posthac studium hoc solùm, hic labor unus
Nos premat assiduè: nostris ea prima recurset
Cura animis: aliæ; quas sors feret aspera rerum,
Hanc dominam agnoscant, cessuræ protinus vltro,
Illa graui nutu cùm ritè facessere coget.
Vna sed huic tantùm par penè atq; æmula surgens
Me premit, atq; acres stimulos sub pectore versat
Ancipiti, & mentem nunc huc, nunc diuidit illuc.
Non secus, ac subitis malè prouida fluctibus alnus
Vndisono deprensa vado, quassante fragore
Ventorum, icta sonat, spoliataq; remige nutat.
Quocirca, quæ dicam, animis & mentibus æquis
Accipite hæc, olim nostræ opportuna saluti.

Rex diuum, æthereo proles æquæua parenti;
Dum fragiles animæ nexus, & membra caducus
Languida ferret adhuc, & nostras carperet auras;
Non stirpe insignes, non claros vrbibus altis,
Sed vada fluctisoni circum piscosa vagantes
Aequoris, itentosq; rudes aptare phaselos,
Retiaq;, & laceros pariter nexare rudentes,
Et dura expertos fortunâ, acriq; labori

Assuetos comites delegit: magna quibuscum
Consilia, & curas impartiretur amaras:
Quosq; inter casus, interq; pericula lethi
Horrida terrifici secum unà ducere posset.
Hos verò; quãquam Rex idem, hominumq; magister,
Iam tum ultro ad patrij regna alta vocarat Olympi,
Aurea pollicitus solia, aurea tecta, domosq;
Auratas; non continuò fortuna sequuta est
Læta: sed insueto quamprimùm tramite callis
Scruposus durusq; adeò sese obtulit illis
Obuius: ingressos Heroas, iterq; malignum
Tentantes primos; tristis penuria rerum
Protinus angustis ultro est complexa lacertis:
Cui labor, infensus comes unà iunxit inhærens
Confestim sese: improuisoq; agmine denso,
Curarum excitæ circùm strepuere cateruæ.
Primùm nanq; suis ipse obiectauit amicis
Rex bonus immites formidandosq; labores,
Et tentare ultro, atq; animo tolerare volenti
Iussit. An hæc Regis non dura atq; aspera vox est?
Ite modò ò socij, via longa est, ite frequentes,
Ite, superuacuas, siquæ sunt, ponite lænas,
Exuite, & binos posthac horrescite amictus:
Vnius obtentu sat erit velaminis, artus;
Vel dum horret Chiron, & tento semifer arcu,
Dirigit æmonias neruo stridente sagittas;
Si tantùm incaleant. Ite, alta palatia regum
Vos sæpe ingressos, positis non ordine mensis,
Non ostro excipient famuli, thalamisq; superbis.

Sed mox præsidibus sæuis, toruisq; tyrannis
Sistent ceu sontes, euersoresq; dolosos
Regnorum, pacisq; hostes diuumq; prophanos.
Quin etiam adyciens, ait, Ite, occurrite magnis
Regibus, audaci sic ore monete potentes.
Discite iustitiam, sanctosq; agnoscite cultus.
Semiferis ne vos aras, neue aurea fictis
Ponite templa deis: etenim quid saxa. quid aurum,
Quidue ebur, aut lignum meruit? sic thuris honore,
Cum prece, cumq; pijs colitis muta ignibus? ò gens
Mentis inops, rerum auctorem, dominumq; potentem
Aetheris auertens, monstra horrida thure vaporas?
Ah saltem viua, ac spirantia pectora, fusis,
Non saxa, ò miseri, precibus quateretis, & æra:
Crimen erat leuius, nec vos tam dira manerent
Supplicia: immanes iam nunc exasperat hydros
Tisiphone, & pœnis vos olim vrgebit amaris
Hæc, & plura suis quondam mandauit alumnis
Aethereus Rex, legatos dum destinat illos:
Tempora qui ramis compti flauentis oliuæ,
Munera felicis portent cælestia pacis,
Immanem ad gentem, & populos sine lege superbos:
Ignarosq; viæ, ritus cultumq; piorum
Cælicolum doceant, ignotaq; numina pandant.
Iam verò ò socij; tanti monumenta magistri,
An prodesse queant nobis, & commoda nostris
Incæptis quondam veniant: an inutilis vsus;
Explorare adeò est opus, rem scire necesse.
Quare agite hîc magnum patrem, dominumq; supremum

Supplicibus donis, precibusq́, animisq́ rogemus:
Edoceat, præmonstret iter, callemq́ recludat,
Quà nos ire velit, quò nam uocet, aut quibus olim
Addici iubeat studijs, quas voluere moles.
Præcipuè verò discendum est; iußáne: quæ tunc
Cælestis Rex ipse dabat, monitusq; seueri,
Nos peterent: nos'ne illa eadem via dura maneret:
Et pariter nobis, qui nunc exurgimus, ille
Monstraret, caneretq́ acres serosq́ labores.
Siue per vmbrosos nos frondea ponere lucos
Tecta, atq; horrificos malit celebrare recessus,
Exustumq́ solum, & sitientes quærere terras:
Magna vbi perpetuis placemus numina votis,
Orantes nobis veniam, & mortalibus ægris.
Hæc me agit, hæc dubiũ nunc huc, nunc acribus illuc
Cura animum pellit stimulis, atq; vrget vtroq;.
Ergo his compertis: quò nos cælestia ducant
Numina, vtra ambiguis potior sententia rebus,
Vtiliorq́ animis vter alternantibus olim
Sit labor; omnino par est nos ritè doceri.
Quocirca aërei repetamus nota Subasi
Antra, breui quem vos cursu distare videtis.
Nona (& adhuc Phœbi primo sub rore recentes
Enituntur equi) nos hora Subaside terra
Sistet: ibi assuetis poscemus numina votis.
Nec deerunt tantis diuina oracula rebus.
Certa neq; æthereus genitor responsa negabit.
Fidite, signa dabit: neu spes amittite vestras,
Continuò læua tonitrus de parte coruscans
Fulgebit;

Fulgebit: qui pandat iter, qui limite monstret
Sidereo, quà nos cælestia iussa sequamur:
Talia diuinis memorat dum vocibus Heros,
Demulcetq; animos sociorum, & pectora firmat;
Audijt arrecta christallinus aure sub vndis
Clitumnus gelidis: niueo qui flumine tauros,
Et pulchros perfundit agros pulcherrimus ipse.
Audijt, & dictis fundo mox dulcè sub imo
Gurgitis arridens; crepituq; & murmure sacro
Plausit, & arcanum resonans, immugijt antro.
Muscosisq; vnà ex adytis, per mutua nexis
Excitæ manibus iuxtà mox naiades astant,
Alphoq;, Crinoq;, Rithaeaq;, Dixameneq;,
Nodosos vinctæ crines sub retibus aureis.
Leucoieq;, Geloq;, Nisinaq;, Callianassa:
Amphinome, Meliteq; humeros viridesq; lacertos
Nudæ ambæ, simul ambæ acri certare natatu
Assuetæ, sæpe ambigua desistere palma.
Garrulaq; Ismene, formosaq; Liliopeia,
Atq; Aegle, atq; Erate, flaua illà, hæc cærula crine.
Inde Thoe, Dorisq; caput grauis vtraq; sertis.
Calliloge, Acteeq;, & Lathmia pulchra Dianæ
Auersata choros: auro pictisq; cothurnis
Omnes euinctæ suras: genuum tenus omnes
Collectæ vestes auro nodóq; fluentes.
Tum pedibus micuere leues, flexusq; retortos
Implicuere simul, lætasq; iniere choreas:
Cæruleiq; sacris vitreo sub gurgite ouantis
Continuò oraclis assultauere parentis.

Discessum interea moliti Heroes, amœni
Fontis, & herbosi linquebant fluminis oram:
Sectantur quos ponè secundo naiades amni,
Et prona lapsæ gratantur euntibus vnda,
Exposcuntq́; abitum felicem, & terga salutant.
Olli nequicquam segnes, pernicibus omne
Corripiunt plantis spatium, nymphasq́; relinquunt.
Nec mora longa, tenent flaui latera alta Subasi.
Et mox diducti notis conduntur in antris.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. VIII.

TV quoq; magnanimo tellus generosa Subasis;
Si nosses tunc, quantus erat mox ille futurus,
Et tibi quas laudes, quantosq; parabat honores;
Læta duci, lætusq; animis gratata reuerso,
Dulcisonos passim cantus, thiasosq; dedisses:
Nec sacris pia thura focis, nec adorea deessent
Liba aris, laticumq; sapor: nec postibus altis
Florea templorum, peneaq; serta negasses.
Sed iam solue animo, tristemq; agè pectore curam
Pelle, neq; offensæ tacitæq; iniuria laudis
Te moueat: nutu sic rem sortitus Olympi
Rex erat ætherei: nam te meliora sub annis
Venturis, nec longè aberant, iam fata manebant:
Quippe erat, vt quondam ductor, maturior æuo
Cùm foret, Hetrusci linquens capita ardua saxi,
Descendensq; grauis summo de vertice montis,
Et spolijs humeros inimicæ stragis onustus,
(Non secus, atq; olim, bellis iam marte secundo
Pugnatis; seu dum ipsa Getas, Parthosq; fugaces,
Seu dum Arabum populos, & odoriferos Nabatheos
Insequeris, dextráq; potens contendis ad Indos;

Roma,

Roma tuos patres spectabas læta reuersos.)
Felices patriæ notásq; reuiseret ædes:
Inferretq; tibi decora immortalia: fama,
Queis te olim insignem, summis attollere astris.
Tuq; adeò, ex illo, pater ò simul alme Subase,
Supra Idã, & Rhodopen, Pindumq́, & Caucason altũ,
Fama effulgeres: tantiq; insignis alumni
Nomine, ventosos tractus, & vertice nubes
Exuperans, flauum caput alta ad sidera ferres.
Interea Ausoniæ (seu dissona semina rerum
Excierant acres naturæ ad prælia vires,
Seu stygijs superum spumis infecerat orbem
Tisiphone, seu periuro cum sanguine pœnas
Sic dare terrigenas, diuum Rex ipse iubebat.)
Effera tempestas fines inuaserat omnes:
Et latè inserpens, corruptis vndiq; cæli
Limitibus, funesta lues, & lethifer aër,
Gentibus vnà ægris paßim incubuere repentè.
Iámq; vrbes altas, humiles iam liuida pagos,
Ruraq; & incultos campos: & sicubi densos
Pastorum saltus inter, manus horrida fuerat;
Obsedit tabes: crudelis sæuit vbiq;
Iam vis dira mali, facibusq́; exæstuat atris.
Linquit vbiq; animas dulces plebs ægra, trahitq́;
Corpora lapsa gemens: nec ruris amœna, nec vmbræ
Altorum prosunt nemorum, tacitiue recessus
Tristibus auxilio subeunt: sude terga iuuencum
Dura premens valida, stiuaq́; innixus arator,
Inter opus subitò tabo correptus inerti

Occidit,

Occidit, & longos incestat funere sulcos.
Sæpe greges medijs, armentáq; bucera pratis
Pastores rapta linquunt cum luce cadentes.
Ecce autem sine more lares, & mœnia ciues
Alta cateruatim fugiunt, non rura petentes,
Non virides campos, nemorum aut genialia tempe.
At deserta locorum, inuisáq; lustra requirunt.
Hi caua montanis sub rupibus antra, ferarum
More ineunt: hi saxosi capita aspera montis
Obsedere: alij conualles strata per imas
Corpora subijciunt astris, nudóq; sub axe,
Rore hument, ventis pulsantur, & imbre madescunt.
Nec verò effugiunt duri miserabile fati
Exitium: nusquam non plurima mortis imago,
Nusquam non teter, nusquam non tabidus aër.
Lætitiæ primùm blandæ, ludiq; , saluti
Esse adeò visi, fuerantq; : at protinus ijdem
Exitio subeunt: quantóq; impensius ægris
Indulgent animis genióq; , & corpora curis
Quò magis ægra fouent blandis; hòc acrius angit
Corrumpitq; lues cæco præcordia tabo.
Inde vbi pernicies morbi sub corde resedit
Altius acta; grauis pectus quatit halitus ægrum.
Tum superaccensam faciem rubor igneus vrit:
Igne ardent oculi: linguam tumor asperat horrens:
Quassa micant tremulis singultibus ilia: tetri
Naribus illuuies it fœda per ora cruoris.
Aspiceres papulis stellantia corpora nigris.
Sed moritura breui, & iam tum pallentia morte
Vicina.

vicina, insequitur sudoris frigidus humor.
Hæc tum prima mali, simul & communia morbi
Lethiferi indicia: At causas ediscere longum,
Enarrare graue est: & non tamen altius omnes
Abstrusæ latuere locis, penitus'ue repostæ
Effugere oculos: numero comprendere sed fas
Quàm multas, certoq; datur cognoscere visu.
An non lethiferis spirantes æstibus austri
Ingenitis vulgò subdunt incendia fibris?
Arridaq; immißis torrent præcordia flammis?
Quin etiam (horrendum visu) sine more per agros
Strata, per vmbrosos saltus, pérq; auia paßim,
Corpora fœda, leues vitiant pædoribus auras.
Fama quoq; est (stygijs qua non lethalior vndis
Extulerat caput vlla lues) fontésq;, lacúsq;,
Vitreáq;, & saxis manantia flumina viuis,
Pérq; agros latè, vallesq; meantia; tabo
Nescio quo immisso puris mox desuper vndis;
Pocula vipereis temerata dedisse venenis.
Quid, quòd sæpe anima luctante in limine vitæ
Extremo, dum quis morientia lumina figit
Corpore in alterius; præcordia ad intima labem
Subdit fœda acies, atq; oßibus implicat ignem?
Hinc etiam infectos, rabies (miserabile visu)
Et cæcæ exagitant furiæ, mentemq; phrenesis
Dira ciet: qua sæpe manus sibi mordicus ipsi
Diuulsas, inter duros triuere molares.
Heu malè tum quisquam seruitum accesserit ægro.
Ergo absunt matres longè, natiq;, patresq;,

Longè

Longè frater abest; tanto haud se credit amicus
Exitio: nec erat, qua sese credere vellet,
Spes vlla auxilijs, spes vlla salutis: oborta
Vndiq; enim diræ nigra caligine mortis
Obtecti; auertuntur opem, auertuntur & auras
Vitales, luctuq; atro, gemituq; fatiscunt.
Quid tum Phillyridæ, quid rere Machaonis artes
Posse, aut Dictamum, Panaceam'ue? acrius ipsis
Nimirum officiunt primis: frustráq; petuntur
Montibus ex altis, aut imis vallibus herbæ.
Ergo adeò infaustæ Romana per oppida gentes
Quantæcunq; atris superant iam mortibus, acrem
Exercent gemitum, & tristes sua funera lugent.
Desunt qui tumulos ponant, quiq; ossibus vrnas
Collectis statuant, & carmine nomina signent.
Corpora vix terræ infodiunt, vix aggere puluis
Additur exiguo circùm, vix vltima dicunt
Verba: sed heu passim quàm multa sub ætheris ora
Nuda iacent: quis vulgus inops heu funere donet?
Aut saltem quis humo tegat, & de more recondat?
Horrent vsqueadeo viduatæ ciuibus vrbes:
Horrent templa deum, squaléntq; sine ignibus aræ:
Desertæq; viæ, fora, compita, tecta silescunt.
Squalet ager: sata nulla virent: genialia torpent
Rura: silent pagi, pagorum excesa per agros
Armamenta iacent: operum quoq; torpet agrestum
Cura, labórq; grauis: passimq; armenta, gregésq;
Tondentes campos, nullo custode vagantur.
Præcipuè verò deserta Subasi, colonis

Arua tua abductis squalent, horrétq; sub alto
Vertice oliuiferum latus: it Tritonia virgo
Humentes deiecta oculos: collésq; relictos,
Marcentésq; oleas, nec iam de more comantes
Luget, & indomitos effundit pectore questus.
Sed iam læta dies aderat mortalibus ægris:
Qua genitor diuum, & magni regnator Olympi,
Exitium infandum, atq; immmania funera ab alto
Tandem hominum miserans; crudelem auerteret oris
Iam cladem Ausoniæ, & pœnas compesceret atras.
Quis verò hanc veniam cælo deduxerit alto,
Et patris vltrices magni placauerit iras:
Dicite cælicolæ (non poscimus extera vobis)
Dicite: res manet: exiguo sed murmure quondam
Nos docet, & famæ tenui ciet aura volatu.
Stat latere in medio flaui prærupta Subasi
Rupe silex alta, deuexi lumina Phœbi
Ignea prospectans, subterq; patentibus aruis
Fronte minans celsa, gressuq; haud trita frequenti.
Huic veteres, Saxo iam primis nomen ab annis
Indigenæ fecere Rubro, seruántq; minores.
Hîc spelunca fuit tum dorso subdita montis:
Ora aditus cui cæca, altóq; haud peruia Phœbo,
Sed tantùm occidui sero lustrata rubore.
Ante fores modicas antri iacet area parui
Vestibuli: quam sublustris, tremulisq; coruscans
Scena vmbris, circùm ilicibus frondentibus ambit.
Non strepit hic aër, non turbine concitus atro
Miscetur; non insurgunt ad prælia cauri.

Quale nemus crescit, dum quis geniale fluenti
Excoluit littus, seu collem impleuit amœnum
Arboribus lætis, laurum Parnaßida primam
Figens, tum Paphias myrtos, nigrámq; cupressum,
Nec non auricomas lauros, tua robora Mede,
Per longos hederas dans tandem inserpere truncos;
Talia, protentis pariterq; hinc, inde reductis
Fert humeris antro saxum tutamina rubrum,
Et circùm arboribus læto simul ordine iunctis;
Vestibulum obnubit sacrum genialibus vmbris.
Ergo hic non sedes dirarum fœda volucrum,
Non immunda feris statio, catulisq; ferarum:
Non gemit informis ferali carmine bubo:
Non quicquam obscœnum, nil deniq; trux, nihil atrū.
Sed tantùm ætherei plausus, sacriq; canores
Assultant circùm: & dulces sub frondibus altè
Arboreis resonant voces, & carmina diuum.
Quippe hic aligeris cæli (si credere dictis
Agrestum fas est) choreis gratißima sedes;
Nam credunt sese, alarum, narrantq; per auras
Et vidisse vmbras, celeresq; audisse volatus.
Ex illo indigenæ; saxum terroribus, & iam
Relligione sacrum; sese expauisse fatentur.
Quò verò hæc tandem, cui rara insuetaq; diuum
Munera? cui mitis læta indulgentia cæli?
Ingeniumq; loci placidum, rupisq; benigna
Stat facies? nempe id non tu fortuna procaci
Das nutu: aut temerè alta suo sine sidere moles
Exurgit: sed R. [redacted] superum bonus ipse colono

Venturo,

Venturo, quondam sub rupe parauerat antrum,
Panthiadæ vatis nimirum in sede quieta
Hospitium felix. Ergo insons, labis & expers
Ille dies agit hic, vitióq; excelsior omni,
Exemptúsq; animum fatis, rebusq; caducis;
Spémq; metúmq; domat: curisq; è pectore magno
Impuris longè eiectis; mens ignea tuta
Arce sedet, verum cernens, atq; otia captans,
Qualia, mox prima nascentis origine mundi,
Aurea gens nemoris carpsit (breuis hora) sub vmbra
Auricomi stabulans, & adhuc ignara malorum.
Deniq; in ambiguis, hic ritè Subasides omnes
Concursu gentes poscunt responsa frequenti.
Ille canens, trepidis diuina oracula pandit.
At verò Ausonias pestis dum cladibus oras
Fœda comest: sparsisq; furens & hiantibus hydris
Tisiphone infelix agit atra per oppida morbos,
Infandósq; obitus, & funera miscet vbiq;;
Panthiades sacri custos sanctissimus antri,
Alta tenens summæ pacatáq; culmina rupis;
Nunc prece, nunc tristi gemitu lachrymisq; profusis
Compellat, crebrisq; vocat pia numina votis.
Tentat & vltrices detur mollire precando
Siquà iras superum, veniámq; exposcere terris.
Ad quem suppliciter de more Subasides, vrbe
Effusæ, properant matres: ac tristia palmis
Pectora tundentes, vlulatuq; æthera diro
Complentes; scandunt flauum longo ordine montem.
Iámq; aderant, iámq; astabant radicibus imis
Rupis

Rupis faticanæ: quibus altò è vertice saxi
Diuinus sacro Vates excitus ab antro,
Continuò læuum dat sese, ac talibus infit.
Parcite mœrentes luctu, iam parcite matres.
Vlta deos, spretásq; aras satis vlta deorum
Nimirum funesta lues: iam prorsus vbiq;
Supplicij exhaustum satis est: satis ora superáq;
Ausonis acta malis, pœnasq; expendit acerbas.
Nunc pater omnipotens (audiui his auribus hausi.)
Despiciens terras mulctatas cladibus atris,
Atq; animo miserans viduatas ciuibus vrbes;
Hæc secum ipse dolens, alto sub corde loquutus.
O regio infausta, vnquam'ne eripiere nefandis
Casibus? ò nimium diris exercita fatis,
Totq; malis adeò vexata, tot excita pœnis;
Téne decet sperare manu iam posse leuari
Humana? dabitur'ne tibi has euadere clades
Mortali auxilio? an superum magis æthere ab alto
Fessa ciebis opem: lachrymisq; , humiliq; precatu,
Rebus in afflictis, diuos pulsabis ad aras?
O vos cælicolæ, ò tandem miseresce labantis
Heus Latij nostrorum aliquis, tutare, vademq;
Te mihi dede volens; & fulmina sæua reponam.
Sic breuiter secum genitor: cui filius vltro
Astitit: & contrà hæc non importuna parenti.
O genitor (mitto innumeros, tua robora, cœtus
Alituum: ascitosq; astris de gente colonos
Mortali, & superum donatos sedibus altis)
En mea; cui nostri proceres, cui sidera parent:

Maxima cui latè solido de marmore templa
Mille gerit tellus, cui sustinet aurea mille:
Cuius & ingenti de nomine, sacra colentes
Innumeri delubra chori, simul ordine festos
Instituere dies, cumulantq́; altaria donis;
Mater adest. Ecquid tutela potentior vsquam est?
Hanc metuunt tristes regni illætabilis vmbræ:
Hanc; dum sæuit hyems, dum fluctibus æquora canent,
Dum caua discerpunt obnixi nubila venti;
Audit, & æquato sternit freta marmore Nereus:
Vndarumq́; minas frangit, tumidasq́; procellas.
Scilicet haud potis hæc tantis obstare ruinis?
Non hæc Ausonias validè tutabitur oras?
Præterea, oranti quem tu pater annuis olim
Sæpe mihi, monstrasq́; æterna mente futurum:
Quemq́; adeò similem nostra hæc mihi signa, paremq́;
Dum proceres dictis equidem solabar amicis
Nostros; venturum promisi sæpius vltro;
En vigil arcano noctesq́; diesq́; sub antro,
Indulget gemitu; fletu largè irrigat ora,
Multa orans diuos, onerans multa æthera votis
Supplicibus præcibusq́; pijs: auertere si quà
Finibus Ausonijs diræ contagia pestis,
Irarumq́; æstus valeat lenire tuarum.
Da genitor, da quod petit hic: da protinus, optat
Quod mea chara parens: da quod meruisse lacertos
Hos tunc ipse dabas, cùm me altus ad æthera malus
Conspectum populis tulit, atq; inuexit Olympo.
Filius hæc: contrà genitor cui totus inhærens,

Mox totum sese, cum tota immiscuit aura,
Osculaq; alta ferens, alto sic intulit ore.
Nate quid hoc precibus tantis onerare necesse est?
An'ne quod ipse petis, non tu præstare roganti
Nate queas? maiora potes, quàm quæ exigis: aut quid;
Quod nequeas, vsquã est? tibi enim tibi maximus æther
Paret ouans: cumq; ingenti te sidera mundo,
Auctorem, dominumq; suum famulantia norunt.
Quare agedum: seu te genitrix Reginaq; diuum
Inclyta; ductoris seu iam spectanda futuri
Aurea signa mouent; modò nate petentibus illis,
Da veniam, indulge, da: sint rata munera faxo,
Per te, equidem, quæcunq; hominum gens ægra capessat.
Hæc fatus: tunc excipiens, sic filius almam
Compellat matrem, atq; his vocibus excitat vltro.
O genitrix, agedum (quando hæc te cura reposcit)
Tu gentes quascunq; meo de nomine dictas;
Siue sub extremo quantumlibet axe repostas,
Seu medijs pressas Zonis; alit hubere magno
Terra parens, tutare tuo Dea numine sancto.
Præcipuè verò Ausonias modò respice ad oras:
Pelle luem, preme diua nefas, compesce cruentos,
Illic Tisiphone quos nunc agit effera morbos.
Quippe vna ò mater tu contrà ire obuia monstris
Tartareis impunè vales: tu fumea quassas
Eumenidum tela, vna potens: anguemq; superbum
Deijcis, vna anguis superas lethale venenum.
Nec te vllam in faciem versus deterruit vnquam,
Qui mare cerbereis, & terras inficit auris.

Quiq; ignes summo astrorum deiecit Olympo.
Sed te horret Phlegeton, te formidabilis Orcus.
Nomine & ipse tuo rex infelicis auerni
Mox tremit audito, & cæcis se condit in vmbris.
Ergo agè Diua tuos dextro pede vise clientes.
Audijt extemplò genitrix pulcherrima natum
Dulcè oculos deiecta suum, & pia dicta capeßit.
Hæc modò siderea diuum pater optimus aula,
Consilia humanis prudens de rebus habebat.
At postquam virgo, Regis diuina potentis
Audiuit iussa (ò matres, vidi ipse, notaui,
Accepiq; sonos mente, exultantiaq; astra
Mox circum aspexi) latos contorsit ad imas
Læta oculos terras: & inexaturabile monstri
Tartarei indignans odium, execransq; venenum
Inuidiæ, & primæ gentis miserabile secum
Excidium repetens animo; festina gementi
Destinat auxilijs Latio succurrere, & Orci
Quamprimùm æthereis fera monstra auertere ab oris:
Insuper accipite hæc: vestro de sanguine cretus
Vir latet haud longè, vobisq; ignotus, & vltro
Deiectusq; humilisq;, piosq; in pectore mores
Asseruans: quem dehinc (medij breuis hora) sub auras
Tollentem caput, & fama super æthera notum
Aspicietis: & ò vobis quæ gloria surget.
Mœnia qui circum vestra hæc tunc laudis honores
Attollent sese: vicina per oppida clarum
Cumprimum fulgere viri, & crebrescere nomen
Incipiet! Quin ò matres (me nunc agit aura,

Credite,

Credite, agit vigor aetherea) mox ille, vbi fine
Defunctus, superas laetus conscenderit arces,
Conciliisque deum ascitus, nitida astra tenebit;
Assuescet votis hominum, precibusque vocari.
Fulgebitque ingens sidus mortalibus aegris.
Ergo hic praeruptae secreto rupis in antro
Nunc latitans; gemitu tristis, supplexque, profususque,
Assidua cum voce vocat, pulsatque supremos
Caelicolas; terrisque infandam expellere cladem
Contendit: iamque aethereus pater aspicit illum
Mitior, orantique offert placabile pectus.
Hic vir hic (audistis) quem pridem filius orans,
Ipse sibi assimilem sua signa: ducemque futurum
Inuictum cecinit: supremoque obtulit vltro,
Obiecitque patri: hic caecis erroribus, actis
Gentibus auxilio venit: & quos decolor aetas
Infecit, mores rursum excolet ore, manuque:
Componetque nouos ritus, vitaeque salubres
Ostendet leges: atque ad meliora reducet
Degeneres populos, felicia secula condens.
Sed iam, ne, moneo, vos hunc modò quaerite, neue
Illius, ante diem, libeat cognoscere cultum:
Tempus erit (breuis hora) ferens cùm splendida signis
Auricomis membra, atque astris ardentia quinis;
Aurorae fines, extremaque littora Calpes,
Nomine percurret claro, & lustrabit vtrósque
Aethiopas: quin vester adhuc inglorius, atque
Vix latio auditus sola iam voce, Subasius;
Supra Idam, & geminũ Parnassum, & culmẽ Olympi,

Supra Hæmũ, & Rhodopẽ, Taurũq́, & Caucaſon altũ;
Nomen inexhauſtum feret, & caput inſeret aſtris.
Nunc verò ſat ſcire, olim quæ gaudia vobis,
Quæ ſors fata dabit: bona, quæ pater altus Olympo
Demittet terris: quibus & vir protinus oras
Exitijs italas, & mœnia veſtra leuabit.
Interea, his, quæ dicam, animos adhibete paratos.
Conſilijsq́ meis matres parete volentes.
Ite, negata diu, & more intermiſſa prophano
Reddite liba aris: neglectáq; ſacra frequentes
Ite, nouate deum; templisq́ reponite honores.
Inſtaurate pios ritus, & ad æthera palmis
Sublatis pulſate deos, diuumq́ ſupremum
Voce ciete patrem: totusq; in vota vocatis
Cælicolum cuneis, onerate altaria donis.
Iam verò quò tantarum certo ordine rerum
Succeſſus fortuna regat; vos cogite primùm
Virgineos cœtus, matronarumq; cateruas;
Solemnesq; die ſacrata ducite pompas,
Limina ſanta deum celebri de more terentes.
Præcipuè verò ante alios, vos munera poſcit
Siderei Regina poli: primam illius auram
Implorate animis, donisq; orate potentem.
Tum pueri, ſcelerum gens expers, inſcia culpæ,
Atq; ignara animi fraudum, & puriſſima corda,
Linigeri vobis procedant ordine longo:
Et magnæ incenſas Diuæ ſiſtantur ad aras:
Ritè vbi carminibus ſacros puerilibus ortus
Cæleſtis dicant Regis, matrisq; verendos
Intacta

Intactæ partus, illibatumq; pudorem.
Vos parte ex alia, non aspernabile pepli
Egregij, moneo, quamprimùm intexite velum,
Arte laboratum, simul ostro diues, & auro,
Donum ingens superum dominæ, cæliq; potenti
Reginæ, & pulchrum simulacro tegmen eburno.
Principiò magna texto formetur imago
Viua Deæ: cui deinde hominum diuumq; repertor,
Irarum exardens æstu, dextráq; corusca
Fulmina demittens terris, & turbine sontes
Mortales cæco inuoluens, super arduus instet,
Incumbátq; minans: & iam dispendia gentis
Vrgens humanæ, pyrrheos aduocet imbres.
Tum Regina potens nequicquam territa, patrem
Leniat, ardentisq; animi demulceat æstus:
Protentisq; vlnis, & passa tegmine pallæ,
Mortalem excipiat gentem, & tutetur eandem.
Postremò Heroem patrium, velaminis ora
Ima gerat: quem gnara manus circundet amictu
Horrenti: dehinc perfossum thoraca, pedésq;,
Insignémq; notis palmas rutilantibus auro,
Passáq; sidereo tendentem brachia cælo,
Effingat, magnúmq; patrem simul exorantem.
Hoc ebur ò matres tandem velamine sacrum
Induite: his grates Diuæ persoluite donis.
Hæc vbi supremo Vates è vertice saxi
Præcinuit, monitisq; accendit pectora matrum
Tristia lugentum; siluit, notúmq; sub antrum,
Surripiens sese, leuis auersúsq; recepit,

Ancipites animis linquens, ac multa parante
Dicere: nec coràm sese deinde obtulit vltra.
Illæ autem pauidæ (neq; enim rerum omnibus ordo
Notus erat, nec fœmineis sub cordibus altè
Hærebant adeò diuini carmina Vatis.)
Diuersa inter se, varijs euoluere votis
Consilia: hæ Vatem rursum tentare rogatu
Sollicito, monitusq; addiscere preßius optant.
Ast aliæ, quid rursus eum compellere oportet
Edere, quæ dictis iam fata exoluit apertis?
Quid monitus vobis, quid lucis egere videntur
Iussa? diem sat scire, iubet quo ducere pompas
Solennes, ferriq; sacris pia munera templis.
Pars (cupere vt semper noua, semper fœmina sueuit
Irruere in vetitum) quin nos; sub rupe latentem
Montis, ait, patrium Heroem, qui voce potenti
Iratos placat superos, magnumq; tonantem
Conciliat terris, & certo fœdere iungit;
Quærimus, eq; antris abductum sistimus aris?
Quæramus: quippe ambages, obscuráq; Vatis
Diuini verba exoluet mox ille repertus:
Ille dabit vires animis, operumq; labori
Consilijs aderit, simul auxilióq; iuuabit.
Has lites querulæ miscent, diversáq; matres
Consilia hæc simul inculcant, & inania surdis
Dicta notis fundunt, & nubibus irrita mandant.
Non secus agrestum puerorum in margine ripæ
Fluminea collecta manus; qui ponere ludos
Contendunt; strepit altercans, certáq;, diúq;
Dißidet:

Dißidet; inuentum præfert dum quisq;, probátq;
Voce, manuq; suum, & primo dignatur honore.
Hîc numero ex omni; Cumeæ virginis vna
Aequa annis, iámq; ostendens Cisseida canis,
Eustorge; multà indulgens Tritonia pallas
Fecerat insignem quam lingua, atq; arte decora,
Ingeniumq; sagax dederat; media astitit vltro.
Talibus inde instans monitis, sic orsa, loquuta est.
Desinite ò matres tandem vexare tumultu
Discordes animos: & quæ modò pectore Vates
Fatidico cecinit (longè mora segnis abesto)
Explete: hæc equidem non expectare paratum
Ancipitem responsa reor: diuina, monemur
Qua, vox, non hominis tantùm: mihi credite matres.
Et sonus, & vultus color, & (si ritè notastis)
Fulgor in ore sedens, & scintillantibus æqua
Lux astris, afflansq; oculos, & spiritus ardens,
Hoc vobis monstrvre queunt. Ergo, ite, sacrandum
Donum Reginæ confestim ordiminor: aurum
Fundite quæq; volens: scelus hoc in munere tanto
Parcere diuitijs: equidem haud postrema labori
Dona feram: nec; si totas, quarum mihi summus
(Scitis enim) prouentus, opes venerabile donum
Deposcat; moueant animum dispendia rerum:
Addo (manus neq; enim, quanquam mihi frigidus æuo
Iam tum sanguis hebet, nostras dea Cecropis horret.)
Artis opem: & siqua ingenij solertia nostri est,
Vltro aderit: me prima operi (ne spernite) sacro
Addico: vos certatim conferte frequentes

Munera:

Munera: Reginæ meritos ponamus honores.
Quæ pompis sacranda dies, ne quærite: virgo
Deliget, ostendet certam, propriámq; dicabit.
Hæc illa. at matrum cœtus simul omnis eodem
Assensu fremit, & dictis ore annuit vno.
Tum sedes patrias latæ celerésq; remisunt:
Intentǽq; animos operi, dextrásq; labori,
Festinant reditum. Vix alta ad mœnia ventum
Vrbis erat: cùm feruet opus: cùm ritè coactum
Quicquid gemmarum, patrius longa æquora mensus
Institor, Eois pridem vectarat ab oris.
Quæritur & multo fucatum murice velum
Sidoniósq; altè quod iam bis senserit æstus,
Non gregis è niueo balantis vellere textum,
Stamine sed tenui, Serum de messe, petito.
Nec minus igne crepant, sensimq; liquantur arenæ
Herme tuæ, lentósq; Phrygum tenuantur in vsus.
Hîc verò hortatu matrum, lectissima turba,
Virginea tantùm bissenæ è plebe puellæ
Sistuntur medio, corámq; astare iubentur:
Omnes carbaseis velatæ corpora pallis,
Omnes in morem, nodosos, tempora circum
Intortæ crines, & vinctæ retibus aureis,
Omnes edoctas à pallade credere posses.
Virginibus sed mox delectis insuper vna
Eustorge longæua datur, qua ritè magistra
Omnis eat labor, atq; operi labor addat honorem.
Ergo omnes, curas sortitæ protinus adsunt,
Ordine, quæq; suam: & calathis de more paratis,

Actingunt sese, atq; æquatis partibus instant.
Tum verò primùm, in medio velaminis ampli,
Reginam diuum, curæ est, formare potentem:
Argenti niueo obtentu quam mollis obumbrant:
Huic & Erythreis fulgor quæsitus ab vndis,
Mæandro extremas duplici circum ligat oras.
Olli tum digitos gemmarum ardore nitentes
Purpureo incendunt: sacri diadematis altum;
Fulgore irradians orbis, caua tempora circum
Aureus; & vario stellantes ordine gemmæ;
Suggestum attollunt, capiti spectabile tegmen.
Hic irata super magni genitoris imago
Imminet, aëreo tractu sublimis, & atris
Exercens pœnis gentes, & fulmine quassans.
Reginæ extemplò precibus, quem pectoris æstus
Pacatum ardentes, & inermum fulmine dextram,
Cernere erat: tanta est Diuæ vis, tanta potestas!
Addunt Heroem, postremi insigne laboris:
Et patriæ ignotas pingunt in margine veli
Extremo laudes: hunc primùm horrentis amictu
Tegminis obnubunt: cruda reste ilia cingunt:
Transfodiunt illi palmas, thoraca, pedésq;,
Sanguineóq; notant stellantia vulnera cocco,
Incenduntq; comis circumradiantibus aureis.
Quales mane rosæ, primo sub sole rubescunt,
Purpureiue inter ceu Narcissos Hyacinthi,
Siue coma rutilant quali modò Pleiades ortæ.
Ille autem æthereo patri fulgentia tendit
Brachia, nec surdas precibus diuerberat aures.
Tandem

Tandem operis iam finis erat: pulchrisq; nitescens
Stabat imaginibus textum mirabile pepli:
Atq; vna lux certa aderat, qua læta frequentes
Sacra agerent matres, donisq; ingentibus aras
Thuricremas struerent: & iam simul ordine longo,
Solennes magnæ sacra ad donaria Diuæ,
Tendebant pompa, promißáq; dona ferebant.
Ibant ligineri pueri, innuptæq; puellæ,
Ibant longæuæ matres, sed paßibus ægris:
Nituntur tamen, & lentè comitantur euntes:
Donec succedant sacratæ postibus ædis.
Tum precibus dominam primo de limine adorant
Supplicibus, magnóq; vocant clamore potentem.
Aspice nos, Latiumq; gemens, populósq; cadentes,
Siderei Regina poli: miseresce tuorum,
Et cladem infandam nostris (potes) excute ab oris.
Hesperiæ defende mala, extremóq; sub axe
Pulsa gemant Helices, Rhodopesq; in vallibus errent.
Hæc, & plura sacris dant voce Subasides aris
Affusæ matres: puerum chorus assonat altis
Cantibus: interea Diuæ simulacra potentis,
Ornat virgineus pepli velamine cœtus.
Et iam finis erat votis, rebúsq; solutis
Diuinis; hilaresq; nurus, puerique micantes,
E' templo sese referunt. At lætus Hetrusci
Franciscus tunc arua soli loginqua tenebat.
Nanq; Subasæo pernox modò conditus antro,
Orarat veniam, & diuum responsa frequenti
Voce implorarat. O' magni rector Olympi,

Da precor haud dubijs da nunc cognoscere signis,
Quæ me fata premant: simul & da scire pericla,
Per quæ me ire iubes olim: daq́ insuper, anceps
Incertusq́ animus sese quibus implicet orsis,
Nosse, quibusq́ hærens studijs operetur, & instet.
Tu tandem, regere incœptam quo iam ordine vitam
Evaleam, monstra genitor bone: certa voluntas
Sit tua mi, nemora an'ne velis, penitusq́ repostos
Secessus petere, & me dura per avia, solis
Ardentes æstus, & scintillantia noctis
Lumina, rorantesq́ umbras; vitare sub antris:
Mœnia seu iubeas colere, atq; inuisere gentes,
Auxilioq́ iuuare pias: & ad ardua segnes
Præmia virtutum stimulis impellere mentes:
Perq́ agros, vicosq́, & clara per oppida, nati
Magna tui canere eloquio mandata frequenti.
Effrenosq́ sacris animos effingere dictis.
Hæc nunc affatu genitor, tonitru'ue sinistro,
Pande oro, ignarumq́ doce, & me dirige euntem.

Talibus orabat summotæ rupis in antro
Franciscus: diuum interpres, pulcherrimus ales
Improuisò aderat, cælo demissus ab alto,
Orantemq́ virum cælesti voce monebat.

Ne, quod es ipse tibi tantùm debere; tuoq́
Rere animo: quando orta suus labor, usus, & ordo
Cuncta vocat; certis sors quæq; obnoxia rerum
Seruitij: seruit quicquid vada cærula sulcat:
Quicquid alit tellus, magnum fert quicquid inane,
Aethe rei nec summa poli plaga voluitur expers

Seruitij:

Seruitij: astrorum cursu data iussa citato
Expediunt ignes: generis quid munia nostri
Enumerem? quantos cælum nos poscat in vsus?
Quanta homines terris tutandi cura fatiget?
Hinc agedum, rerum sator optimus, ire labores
Te quoq; per magnos iubet: & te destinat orbi:
Naufragóq; mari sidus spectabile donat.
Nimirum auxilio quondam mortalibus ægris
Ipse venis: tu dux linguáq; manúq; potenti
Inuictisq; animis collapsam restitues rem.
Sic monet, & monitum linquens, se miscuit auræ.
Hic Heros primùm, subita formidine mentem
Perculsus, stupuit, tacitóq; immobilis hæsit
Obtutu: sed cælestis leuis vmbra volatus,
Diuiniq; oris decor, & vox certa loquentis
Alitis ætherei; cunctanti protinus omnem
Excussere metum: & placida lux reddita menti est.
Tum verò attollens animos, & plena sub imo
Pectore vota fouens, læto sic ore sequutus,
Alloquitur fugientem, & supplex voce precatur.
Quisquis es, ò certè magni decus ales Olympi;
Seu te; quà diuum patris ardua regia summi
Panditur, inq; sinus immensos funditur æther;
Sedibus auricomis, felicia tecta locatum
Excipiunt: seu sub certo tenet orbe morantem
Te sidus, vigiliq; hominum statione tueris
Infelix genus, & miserans fata aspera fulges;
Dexter ades, cœptisq; faue, & rege numine fausto
Nostrum opus: en tua dicta volens, animoq; sequaci
Accipio:

Accipio: mandata patris quà me pia ducunt,
Sponte sequor: tantùm ipse iuues: atq; ore sereno
Aspice me: placidusq; veni, & dux prauius esto.
His orat dictis: orantiq; assonat antrum.
Tum verò exurgens, confestim accersit amicos
Bissenos, vocémq; refert, & verba monentis
Alitis: vt vita duros instare labores
Nuntiet: vtq; parens diuum, rectórq; supremus;
Vrbésq;, & vicos, populósq; inuisere mandet,
Auxilióq; iuuare homines, operumq; labore.
Exultant socij, & iußis parere frequentes
Festinant: verbisq; pijs, atq; indice patris
Lustrati, mox ire parant, mandatáq; Regis
Aetherei populis latè deferre per orbem.
Tum verò in senas partes diducitur aequas
Tota cohors: quae deinde (mora breue tempus) eundi
Quò quanq; vrget amor, diductae iter ocyus omnes
Corripiunt, acresq; patrem, montemq; relinquunt.
Egreßi diuersa petunt, tractusq; peragrant
Ignotos: hi monticolas, atq; ardua lati
Castella inuisunt, agrestumq; aspera dictis
Demulcent corda, & monitis caelestibus implent.
Hi lustrant humiles pagos: hi clara frequentant
Mœnia, & ingentes populos laeto ore salutant.
Idem omnes tamen ardor agit, simul omnibus instat
Cura eadem: virtutis iter, mortalibus aegris
Monstrare, & sese quàm celso Diua receptet
Vertice, quàm niueo cultu sese arduus olli
Iungat honor comitem, quàm laeto gloria vultu.

Felices nimium gentes, nimiumq́ beatæ.
Felices, positæq́ astris felicibus vrbes:
Queis oratores tales felicia quondam
Pacis dona ferant, & nuntia verba salutis:
Extra bissenos comites, erat insuper vnus,
Fatalemq́ extra numerum (dixere Lyænon)
Hunc fortè errantem, & solum auia tunc lustrantem
Montana, aggreditur pater, atq; his increpat orsis.
Quid tu agè dic hodiè nemora inter densa Lyæne,
Longa animo solus vacuo teris otia? nec te;
Quæ nunc sollicitat nostros, duroq́ labore
Exercet socios; mouet ardua cura? quid vnus
Expers diuini monitus, expersq́ laboris
Quæsiti, tandemq́ deo monstrante, reperti?
Eia animum hic effer, cæloq́ attolle iacentem.
Te nunc, meq́ labor vocat vnus: idem expetit ambos
Nos opus, I, mox, I, celer, ardua res premit: ingens
Imperium exercet: labor instat, iterq́ malignum.
Talibus vrgebat dictis pater ipse Lyænon
Increpitans: atq; ex illo sibi fœdere magno
Iunxit eum, comitemq́ æterno asciuit amore.
Tum primùm admisit rerumq́, operumq́ suorum
Præcipuum testem: quæsitoremq́ sagacem
Arcanumq; animi accepit, mentisq́ profundæ.
Qui cum etiam curam primam tunc ordine, qui cum
Tum primum partitur iter, primùmq; laborem.
Et tandem patrio simul excessere Subaso.
Ergo dum tristes clamoribus alta frequentant
Matres templa pijs; Franciscus Tybridis vndas

Trans pater euectus, fido comitante Lyæno,
Finibus errabat Tuscis: quà; milite pœno
Dum vincente, acies caderent gemerentq; latinæ;
Ingeminans atras lachrymas Thrasimenus amaro
Intumuit luctu, Romanaq; vulnera lymphis
Sanguineis lauit: tristes latuere sub imo
Gurgite Naïades, gemitusq; dedere profundos.
Fortè dies aderat, mensis, quæ ritè Calendas
Florentis lætas aperit, sertisq; coronat:
Muneribusq; aris instructis, annua Regis
Siderei, geminos proceres deducit Olympo.
Quippe hanc Heroes; diuini iussa magistri
Dum læti subeunt; effuso sanguine, claram
Morte obita fecere simul, cæloq; sacrarunt.
Hinc & Tyrrhenas fulgebat crebra per oras.
Precipuè Tarcontis agros, Coritiq; ruinas
Qua veteres, Clusiq; lares, gens Lyda frequentat.
His tum compertis; animo exultauit, & ore
Infremuit lætùm pater, atq; ita voce Lyænon
Aggreditur. Nos ergo hodie sors improba tantæ
Lætitiæ dabit expertes? tantùm malus error
Nos hodie abducens, sacris arcebit ab aris?
Dij nobis meliora velint: proceresq; gemelli
Hanc lætam dent ire diem: sed iam tum agè segnes
Rumpe moras, agedum festas properemus ad aras.
Non iter auertit durum, non flexa viarum
Distinet ambages: rutiloq; Hyperionis ortu,
Nunc primùm effulgent, enituntur q; recentes
Sub luce auricoma biiuges: imò aspice tecta

(Nempe errabundis simul ignarisq; locorum
Iam tum improuisò vetus vrbs ostenderat altos
Arretum muros, seséq; obiecerat illis.)
Ardua: non procul aufugiunt, nec tramite longo
Iam distant: breuiter visa sistemur in vrbe.
Perge modò: haud vanam pars hæc nos prima diei
Ad curam accersit: non hic labor irritus ibit:
Nostra hæc successus non deseret orsa petitus.
Hæc ille effatus, gressus æquante lyæo,
Festinabat: & vnà vrbem, portamq; subibant.
Ventum erat ad magni fulgentia limina templi.
Pronus vterq; cadit, veniamq; altaria circum
Exorat, diuosq; ciet per vota gemellos.
Interea rebus diuinis ritè peractis;
Stant niuei sine voce chori; purusq; sacerdos,
Igne vaporatas vigili, donisq; Sabæis;
Lustrata in morem iam plebe, reliquerat aras.
Fit strepitus: paßim coeuntq; fremuntq; coronæ
Lætantis vulgi: serpitq; per æthera clamor
Paulatim. Hîc Heros (fandi sese obtulit vltro
Copia) suggestum stantem, ac de more paratum
Fortè operi, scandens; oculis vnde eminus omnes
Et legere aduersos cœtus, & noscere posset;
Infit: eum extemplò populus circumambijt omnis.
O proceres atauis gens nobilis, ò bona pubes;
Vota hodie superum qui soluitis annua Regi:
Et geminis meritos læti instauratis honores:
Sacratum diem geminorum nomine, ritu
Perpetuo colitis priscorum: atq; ordine pompas
Solennes

Solennes agitis, struitisq; altaria donis;
Ne pigeat, ne quæso, animos adhibere quietos,
Atq; aures nostris dictis præbere parumper
Arrectas: breuiter pro vobis, req; tuenda
Vestræ Vrbis, dum pauca loquar, dum mœnibus altis
Præsidia adijciens, & propugnacula iungens;
Tutariq; domos, longeq; arcere furentem
Vos hostem edoceam, & sedes seruare quietas.
En fragilem æquoreis audet dare nauita puppim
Fluctibus: & fremitus tempestatesq; sonoras
Vndarum premit, atq; insanos despicit Euros:
Eoas vt quærat opes, & littora rubri
Diripiat maris, & fulgoribus exuat Indos,
Gemmarumq; decus patrias conuectet ad oras.
En iuuat agricolas duros perferre labores:
Nec, dum bruma horret borea, glacieq; niuali,
Nec, dum findit agros ardenti Sirius astro,
Lenit arator opus durum, somni'ue quiete
Excubias molli, & curas demulcet agrestes.
Luce sed obnixus terram insectatur inertem,
Exercens rastris, & adunco vomere glebas:
Contrà autem incusat, damnatq; silentia noctis
Importuna operi, sæuoq; inimica labori.
Nec non increpitans lentis irascitur astris.
Tantus amor messis, tantis vacua horrea curis
Sollicitant animos: is demum agit ardor habendi.
Iam verò huc oculos, celeresq; aduertite mentes
In partem aduersam: discriminaq; horrida passim
Armorum, & graue martis opus, sæuosq; labores

Aspicite ò proceres: non formidabilis amens
Bellorum fremitus? non vis funestaq; ferri
Exhorrenda acies, dirarum immania cædum
Instrumenta? an non incendia, furta, rapinæq;
Et fraudum ambages cæcæ, insidiæq; latentes,
Exterrere queunt animos? memorem'ne cruenti
Vt vulgò interitus, & plurima mortis imago,
Lugubrisq; dolor scissoq; insanus amictu,
Et lachrymæ, & gemitus bellum comitentur amari?
Vt sæpe in cineres claræ cum mœnibus altis
Consedere vrbes, crebrò vt cecidere superbi
Marte sub infando reges, populiq; feroces?
Et tamen ecce audet paßim hæc discrimina obire
Gens hominum, gens quippe amens, gens indiga mentis,
Consilijq; expers, & dulcis prodiga vitæ:
Dum petit infandum pretium, tristisq; coronæ
Sanguineum decus, & funestæ laudis honorem.
Contrà autem (ò prauæ mentes, ò cæca furentum
Corda hominum) quid nos auersis munera diuum
Certa animis vltro abnuimus? sic læua sequentes
Consilia, irruimus vetitum? oblitiq; supremi
Hospitij, patriæq; domus; vnde ignea nobis
Vis animi, quò nos durum ac miserabile mensos
Exilium, magni reuocant tecta aurea cæli;
Quærimus externas sedes, alienáq; regna?
Felices ò nimirum, & felicibus astris
Exortos, quoscunq; vehit leuis ardor ad auras
Vsqueadeò excelsas; donec sua noscere poßint
Gaudia, quæq; illis seruat bona, rector Olympi.

His neq; vipereis vltrà mentita venenis,
Imbuet incautas mentes, animosq; voluptas:
Non captos fortuna bonis seruire caducis,
Ambiguas non coget opes optare: sed vltro
Degeneres hominum curas, & inania vulgi
Gaudia vesani iam deridere parati,
Exemptiq; malis vitijs, & casibus; extra
Errores, extra spem turpem, extráq; timorem
Securi; diuum tantùm otia læta capessent.
Quare agite ò tandem Ciues, tuq; inclyta pubes
Eximite ignauis torporem cordibus atrum:
Et magno exutas mentes attollite cælo:
Vnde animis genus, vnde hominum spes certa salutis.
Blanda voluptatis captiuo vincula collo
Proijcite: àh, moneo, longè defendite vestris
Pectoribus cæcos ignes: & fœdera turpis
Rumpite amicitiæ: neu felle venefica vobis
Vipereo inficiat mentes, & fascinet atris
Vocibus æthereos sensus: iam carmina posthac
Colchica non segnes surda auersaminor aure.
Linquite Circææ quamprimùm linquite terræ
Crudele hospitium: miscens vbi dira venenis
Pocula tartareis, & sacro murmure adurens;
Vos hominum ex pulchra facie, illaudata voluptas,
Induit in vultus, & lurida terga ferarum.
Ecce autem (neq; enim tantùm marcentia turpis
Dona voluptatis, fucataq; gaudia dictis
Acribus impetere, immanesq; ostendere fraudes
Fert animus) contrà sese gerit obuia virtus:

Quanta olim inuictos Heroas ad astra vocabat:
Dum rata præsidibus tumidis, sæuisq; tyrannis
Intrepidi responsa darent: mandataq; Regis
Ardua siderei, diuina voce tonarent:
Spernentesq; minas regum, simul obuia ferrent
Supplicijs vltro, & vibratis pectora telis.

Hanc ego (diuinos quoniam sibi poscit honores.)
Ne dictis efferre queam, ne laudibus æquem;
Obstat iners animus, gelidusq; in pectore sanguis.
Et tamen haud dubitem custodem mœnibus illam
Addere nunc vestris, seruatricemq; potentem.
Præside non hac vos, fremitus subitosq; tumultus
Bellorum, non incursus, sæuasq; rapinas,
Non dira excidia aut clades horrebitis atras.
Omnis hyperboream furor, impetus omnis ad Arcton
Hinc pulsus fremet, extremoq; sub orbe gemiscet.
Quin etiam atra fames Scythiæ deserta niuosæ,
Caucaseasq; domos repetet: notisq; sub antris
Condita, saxososq́ue tenens, & frigore campos
Exustos; vanas captabit hiatibus auras.

At vos certa quies, & læta munera pacis
Securos tranquilla manent: non meßibus ægros
Vltrà infida Ceres vacuis eludet agrestes:
Frugiferis sed terra parens redimita coronis,
Attollet latè florentes viuida vultus.
Imò agite ò ciues, ò plebs ne credite quæso,
Fortuitas tantùm nutu virtutis agi res,
Donariq; manu diuæ, mortalibus ægris,
Diuitias solas, terrenáq; præmia ferri:

Nimirum

Nimirum illa adeò curam hanc haud pectore versat:
Nec tam deiecti lætatur nomine regni.
Sed leuis astra petit cursu, sedésq; supremas
Alta colit: vocat vnde hominum lætissima cœtus,
Et magni ad celsas arces inuitat Olympi.
Quippe fores sedet ad nitidas fidissima cœli
Portarum custos: venientésq; accipit vltro
Felices animas, clarisq; interserit astris,
Transcribitq; pijs choreis, magnæq; quieti.
Interea Diuæ sacra vos ne linquite signa,
Néue horrete acres, quos obijcit ipsa, labores.
Túq; adeò ò pubes animos attolle: nec vltrà
Desciscе à diuæ castris, ne verte fugaci
Terga gradu, ne cede malis: sed fortibus ausis
Tende volens contrà: & quà te dea concitat, altum
Vince iter, & summos obnixa capesse penates.
Tolle oculos cælo, & sedes metire beatas
Mente hilari, virtus quò te vocat ardua: ne tu
Deffice, neu deuicta cadas; præludit eunti
Ipsa tibi dux fida, manu cælestia portans
Præmia, & inuictæ protendens munera palmæ.
Contrà autem demitte aciẽ, & stygа despice nigram:
Cerne illic tumidum lachrymis Cocyton amaris,
Et Phlegetontaeas ripas torrentibus vndis
Fumantes: cerne immanes ex ordine pœnas:
Quæ sontum exercent animas; quibus aurea virtus
Despecta ad superos. ira sedet impius ardens
Vmbrarum rector, vitásq; & crimina, sontes
Poscit inexhausta rabie: sempérq; cruentus

Irritat sæuos angues, & Erinnyas atras
Aduocat increpitans, tardasq́; incusat ad iras
Vltrices: misero feruent loca turbida luctu.
Fumificæ regemunt vndæ, exustæq́; lacunæ.
Hæc monstra ò Ciues, has exhorrescite pœnas,
Hos luctus, claudit nullo quos terminus æuo.
Iam plura expectans, animis turba omnis hiabat:
Finem improuisò cùm dat pater optimus orsis.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. IX.

SVrgit ab his magnus procerum consessus: ouansq;
Paulatim exoritur rumor, Vocesq; fauentis
Crebrescunt Vulgi, & claræ præconia laudis.
Sicut apes; gens prisca nouos excedere reges
Cùm iubet antiqua è sede, & noua quærere regna;
Dant primùm lenes sonitus, tractimq; susurrant:
Donec tota fauis, castrisq; effusa iuuentus,
Seu propter riuos, seu sub frondentibus Vmbris
Pendula ludit ouans, camposq; sonoribus implet.
Ergo omnes Vno ore fremunt: stupor insuper omnes
Altus habet: simul Heroem dignantur honore
Omnes diuino: pueri, iuuenumq; cateruæ
Illum suspiciunt: illum admirantur, amantq;
Primorum cœtus patrum: obseruantq; piarum,
Attonitisq; inhiant animis tota agmina matrum.
Tum referunt, Vt prima dabat monita aurea pubi:
Obscœnæ Vt fraudes, Vtq; exitiale Venenum
Nosse Voluptatis simul & Vitare docebat.
Vt Virtutis opes, regnumq; insigne canebat:
Cùm tantùm illa animis felicibus aurea donet
Hospitia, & cælo sedes paret Vna beatas.

Contrà

Contrà autem exceptos pellacis fraude voluptas
Præcipites voluat, stygiásq; agat atra sub vndas.
Inter primores fama notißimus vrbe
Ciuis erat tota, simul & ditißimus agri
Tuscorum: omnis eum, primis consuerat ab annis
Iam tum surgentem puerum, gens Lyda vocare
Oranden: tantùm hic, fama glisçente per oras
Tyrrhenas, dudum clarum ac venerabile nomen
Francisci audierat: multúmq; Heroa petitum,
Quæsitúmq; diu (ò superum bona numina, votis
O nullis pietas non exorabilis.) olli
Tandem improuisum insperatúmq; attulit vltro
Sacra dies, lux alma, fauens & amabile numen.
Ergo adeò huic animus magno exardebat amore
Compellare virum, dextræq; innectere dextram.
Acceßit tandem, & placido prior instituit ore.
O mihi læta dies, ò felix orbita lucis
Sidereæ, atq; animo nimium expectata volenti:
Quæ vehit optatum lumen, specimenq; beatæ
Nunc insigne meis oculis dat cernere vitæ.
At tu magne pater (quanquam primoribus istis
Multùm hodie veneratus abis.) ne despice nostros
Quæso lares: meme veterem nouus hospes amicum
Nosce hodie: dijs auspicibus; quorum alma triumphis
Fulget inexhaustis, atq; hæc redit annua pleno
Orbe dies; reor hæc direxti ad mœnia gressus.
Sic ait, accepitq; manu, & procuruus inhæsit.
Procedunt, vnáq; æquatis paßibus ibant.
Iámq; altos subeunt postes, tectisq; superbis
Succedunt:

Succedunt: iussæ extemplò stant ordine mensæ.
Vtq; suus dapibus finis datus, ilicet ambo
Excessere toro simul, & penetralibus altis
Excepti sedere: dehinc gratissimus hospes
Occupat Orandes prior, ac mox talibus infit.
Audieram pater, & dudum sub pectore nomen
Seruo tuum: audieram, sese quàm clara Subasi
Tollit oliuiferi, & quàm forti gloria nixu
Cælum adit, & nitidis summum caput inserit astris:
Quàm crebris magnæ resonent tua facta per omnes
Vocibus Ausoniæ fines: quàm præpete cursu
Fama tuum defert Romana per oppida nomen.
Nec me dura fides tanti rumoris habebat.
Credere suasit amor pius omnia: nec malus error
Credentem abduxit, nec murmure lusit inani.
Hinc votis te sæpe meis Francisce cupitum,
Vt tandem huc vectum aspicio! Vt te nostra terentem
Limina nunc pater agnosco! Vt iuuat ora tueri
Exoptata diu! Sed enim tua maxima virtus;
Quæ, reor, huic hodie sese diuinitus vrbi
Ostendit; superat famam: & memorabile nomen
Extulit, insigniq; adeò clarauit honore:
Dum monita ingenti tonitru cælestia pandis:
Et pubem angustis rebus consuescere suades,
Obnitiq; altas claræ virtutis ad arces.
Verùm agedũ (quando haud animũ cõmunia tãtum
Sollicitant, sed certa suum iam cura mearum
Tempus amat rerum) primum hoc pater accipe de me.
Cùm primæua mihi, nec dum bene firma iuuentus

Vix

Vix malas tenero vestiri et flore nitentes;
Non ego, quod senior studijs pater ipse parabat
Sollicitus, inhiabam aurum: sed protinus acer
Et contemptor opum, & curæ auersator inanis;
Ad cultus ad templa deum, ritusq́ferebar
Sponte sacros: totáq; volens cum mente vouebam
Aris pubentes annos, seniumq́ futurum.
Hoc autem tacitus versabam corde sub imo
Mecum ipse, expectans, si sors vlla afforet vnquam
Cælo lapsa dies, qua plenis auspice votis,
Tandem aris, sacrisq; focis me ritè dicarem.
Vnde opibus spretis, vanisq́ è pectore curis
Iam procul emotis; liquidis anima ignibus auræ
Aethereæ flagrans, penitúsq; exempta caducis
Vsibus; in numerum diuum sublata volaret,
Et solijs tandem cæli succederet altis.
Consilij rumor sedenim, contingeret aures,
Multa equidem patris vigilans tacitúsq; cauebam,
Exhorrens fremitus senis, indomitósq; furores.
Interea (ò nostris nequicquam æquabile fatum
Optatis, ò parca obstans, ò lugubre pensum)
Festus hymen patris accitus iam voce, per vrbem
Auditur totam, mihi vincla iugalia tendens.
Fando autem nostras vox tandem percutit aures.
Tum cordi incubuit, durisq; sub ossibus hærens
Altius insedit dolor, & spes excidit omnis.
Tum perij, tum me nox circunfusa tenebris
Obduxit cæcis, luctúq; inuoluit amaro.
Quid facerem? quæ tum præceps fuga, quæ'ue latentem
Tuta

Tuta satis loca, terra aut quæ satis ima dehiscens
Meme ore acciperet? quæ animo hîc sententia tandem
Surgeret ambiguo? patrias stetit alite planta
Linquere sæpe domos: terræq; inuisere fines
Desertæ, & saltus, horrendáq; lustra ferarum
Quærere, longæuumq; fuga deludere patrem,
Atq; atro infectos luctu incestare hymenæos.
Non hoc fata dabant, reor, inde audacia rebus
Succubuit, fateor, tantis, animusq; refrixit.
    Ergo aderat; thalamos quæ iam de more pararet,
Tædiáq; ingrati me ferre inuisa cubilis
Cogeret; atra dies: resonant alta atria plausu:
Pendent ardentes lychni: funalibus vmbræ
Cedunt nocturnæ incensis: domus instrepit omnis
Lætitia. Vnus ego, haud animum mulcentibus vllis
Mœrentem ludis, imo suspiria tantùm
Anxia, & aßiduos fundebam è pectore questus.
Sensit luctisonas voces, atq; affuit vltro
Mox pater, & gemitus causas scitatur amari:
Nulláq; non tristi spondet solatia cordi.
Dißimulans partim silui, partimq; negaui,
Vera diu longis solers ambagibus abdens.
Vi contrà ille instat multa: ac de more paterno,
Nunc me blandus obit, placidis nunc aspera iungens,
Turbidus ira, acérq; minis inceßit amaris.
Hic animi tandem retegens arcana profundi,
Heu ceßi, heu perij, heu victus fera iussa subiui
Tunc equidem infensi patris: atq; exinde iugalis
Me torus inuitum tenet, ac dolor angit amarus.

Nec

Nec tamen vllus adhuc (quàmuis Lucina vocarit
Te quater ad partum coniux : quippe omnis ab ortu
Erepta est primo soboles) mihi seruat auitas
Diuitias hæres , vacua aut iam ludit in aula
Progenies , seram consolatura senectam .
Quare agè , ne tantis opibus ; fortuna benigne
Quas non parca sinu rediens vehit vndiq; nobis ;
Externa de gente olim satus , incubet hæres ;
Tu pater obsta hodie : ambiguis tu consule rebus.
Siue inopum turbas alere , atq; horrentibus artus
Nudatos tegere ipse iubes ; siue alta per vrbem
Ponere me mauis picto de marmore templa
Cælicolis , meritósq; aris indicere honores ,
Et festos sacrare dies de nomine diuum ;
Edicis ; mox ipse volens mandata facessam .
Nec quondam vlla animum tangent dispendia rerum.
Præterea ; quo iam non opportunius vllum
Esse tibi , cæptisq; tuis , reor , accipe munus.
Stat capita attollens præruptis ardua saxis
Vndiq; mons , campis longè conspectus Hetruscis :
Vtilis vmbrosis tantùm mihi saltibus , & ; quæ
Lanigeriq; greges nobis , armentáq; latè
Tondent ; dumetis , herbisq; virentibus aptus.
Exerit vnde pater primo Tyberinus in auras
Fonte caput superas : qui postquam cornua fronti
Aptarit gemina , & famularibus auxerit vndas
Amnibus ascitis flauas ; mox obuius austro ,
Iliadæ petit aurato sacra mœnia cursu.
Hunc , fama est , veteres olim de more prophano ,

Prædonum furúmq; deæ sacrasse Lauernæ:
Et primùm horrenti luco tum nomen ab illa
Fecisse: indigenum vulgus quod ritè minorum
Seruat adhuc. Exin raptorum huc agmina suerunt
Magna coire simul, nigróq; in culmine montis,
Solis inaccessas radijs celebrare cauernas.
Ergo hic non læti cantu, tenuiq; cicuta,
Pastores mulcere greges, non carmine lites
Alternis miscere leues, non ponere ludos.
Sed spolijs tantùm prædatrix turba cruentis,
Et conuectatis simul exultare rapinis.
Cædibus hinc, tabôq; atro, saniéq; tepebant
Speluncæ horrentes, hominumq; auulsa sub altis
Ilicibus semper pendebant ora, volucrum
Dirarum fœdæ rostris immanibus escæ.
Aduenisse diem iam nunc reor (ò bona tandem
Saxum ingens tua nosce libens) quo nominis atri
Deponas ignominiam: veterumq; malorum
Exutum probris, nemus immanésq; cauernas
Vsibus addicas sacris: noua gens, nouus hospes
Adueniet, cultusq; nouos, nouáq; ingeret antris
Ille tuis spolia, & magno ditabit honore.
Ergo agè (si te amor is, si fert ea corde voluntas)
Ille tibi, socijsq; tuis iam cedat habendus.
Illic; longa animo dum propulsare iuuabit
Tædia, & ambigui penitus commercia vulgi
Linquere; certa quies: illic læta otia fessum
Excipient. at si (fortè hoc impensius optas)
Ardet sidereas animus conscendere sedes,

Scrutariq;

Scrutariq; iuuat nitidas stellantis Olympi
Mente domos: scire vnde animas, hominumq;, ferarũq;
Arcessat genus: vnde satis leuis imber: & astris
Vnde via, vnde ortus, defectus vnde: quis ignes,
Luminaq; inter se pugnantia temperet illis;
Vt montem, vt densum nemus, vt saxa ardua votis
Aequa tuis reor! vt specus, atq; immanis hiatus
Te capient silicis, præruptaq; culmina rupis!
Præterea in medio montis, viridißima tractu
Conuallis iacet exiguo: cui tramite recto,
Hinc, atq; hinc modici defendunt flamina colles:
Ilicibus densis, proceraq; abiete vtrisq;
Exhorret dorsum, lucisq; hinc, inde silentem
Obnubit vallem obtentu, ac superiminet atro.
Dira loci facies, & relligionis honorem
Terrifica multum iam tum ostentare videtur.
Vmbrarumq; horrorem, & nigra silentia luci,
Iampridem indigenæ sese expauisse trementes,
Haud temerè agrestes perhibent: audisse canores,
Quippe inter densas frondosi culminis vmbras,
Credunt cælicolum, atq; alas vidisse micantes.
O quis te superum non iam mox sistat amœna
Valle? quis optandam vasta sub rupe quietem
Inuideat: néue æthereas attingere poßis
Obstet delicias? eia extemplò cape tantæ
Sedis opes: agè montis ama solatia sacri;
Vnde animum attollas; magni penetralia cæli
Vnde ineas: vbi mille pater spirantibus auræ
Ignibus omnipotens volucrum fouet agmina sanctæ.

Queis etiam ſeſe, manifeſta in luce refulgens,
Totum indefeßis ſpectandum viſibus offert,
Immiſcetq; volens: ſenſusq; infuſa per omnes
Lux agitat turbam, & totos alit ignea cœtus.
At tibi; ne tantùm ramis frondentibus arbor,
Rorantes ſtellas, & ſolis temperet æſtus,
Defendatq; hyemes, & frigora dura, niuesq;;
Mox equidem vltro adero: nec te vſquam in rebus egenis
Dimittam, feſſum've tui me cura relinquet.
Bina autem primùm excelſa ſub rupe locabo
Tecta, humilesq; caſas: at ſi dehinc aucta tuorum
Gens comitum exurgat, pluresq; ex ordine poſcat;
Esto, ipſi iam tum numerumq; modumq; domorum
Præcipiant tantùm: me cura laborq; fatigent.
His bonus Orandes animum pulſauerat orſis
Hoſpitis: ille pio ſic rettulit ore vicißim.
Rem magnam, votiq; hominum nullius egentem,
Nulli non adeò frugi, bone conſulis hoſpes.
Mortales vltro cuncti ſe velle fatentur
Noſſe iter, & ſummas virtutis ſcandere ſedes,
Præmiaq; alta petunt, animisq; ardentibus omnes
Illius exoptant. Quid verò (heu perdita rerum
Conditio noſtrarum) animos vota irrita ludunt
Sæpe auidos? quid præda boni tam rara petiti
Contingit nobis? quæ ſors, quis debita fato
Munera, promiſſumq; decus, pactoq; deorum,
Mortali addictum genti, rapit inuidus hoſtis?
Et tamen è ſumma diuum pater optimus arce
Intonat aßiduè, denſisq; micantia flammis

Lumina præmonstrans, accliue ingentis Olympi
Sternit iter, panditq; aditus: vultuq; sereno
Mortales cælo inuitat: sedesq; beatas,
Hospitia infidæ quondam malè credita genti
Obycit. ignauum nos contrà, & futile vulgus,
Fortunæq; palam ludibria vana iocantis,
Abnuimur diuum certißima munera: fixas
Dedignamur opes: animuq; hærere caducis
(Heu facinus) iuuat vsq; bonis, iuuat vtile paßim
Linquere, damnosis iuuat vltro incumbere lucris
Hunc ò magne hospes; sermonis gratia tanti
Ne tibi nulla; ad te simul & tua dicta reuertor.
Si tua vota pater primis discerpsit ab annis,
Inuiditq; tibi lætam, eripuitq; quietem:
Si non fortè olim diuis sacrata supremis,
Seruitioq; aris templisq; addicta iuuentus:
Si te præpediunt sociati vincla cubilis;
Ne modò, ne quæso despónde ingentia cæli
Atria: neu superum iam tu commercia rere
Perdita: amicitias antiquo fœdere iunctas,
Cognata cum stirpe deum ne desere, néue
Ceu desperatas, confractasq; omine defle
Infausto. patet vsq; poli, patet omnibus ingens
Ianua siderei: quem non lætißima diuum
Concilia expectant? cui non solia aurea circum
Sceptriferi patris, volucres de more ministri
Expediunt sedes, & constatura per æuum,
Ordine cuiq; sua, auratis tentoria velis,
Affigunt latè, magnumq; per æthera pandunt?

Nempe haud gens vsquam, nulloq́ sub axe reposta
(Siderei modò dicta sacro de nomine Regis,
Iustitiaq́ tenax; cultrix pia seruet honores
Cælicolum) iacet vlla hominum, cui limen Olympi
Non pateat. multos; quos ad diuortia raptans
Tisiphone immani iampridem eluserat astu,
Vipereiq́ adeò fœdarat labe veneni;
Respexit tandem genitor bonus æthere ab alto,
Immundamq́ animis pollutis, ignibus auræ
Diuinæ exußit pestem, ac scelus eluit omne,
Aethereos sensus pura sub luce relinquens.
Hos'ne ades habitare poli, sedesq́ piorum
Incolere addubitas? hos tu non rere beatos?
Non ita: sed, quanquam ad templum custodia sorti
Non illis cecidit, nec sacra euinxit honestas
Vitta comas; haud exortes fas credere regni
Siderei: neq; enim impurus cælestia liuor
Corda habet: haud vlli superum Rex inuidet astra.
Imò animus ò quæ diuinus, cœtibus ò quæ
Lætitia alituum, quàm densa per agmina crebri
Inserpunt plausus, quàm festis maximus æther
Exultat thiasis! simul vt bona sidera gaudent!
Dum pater indigetes magno transcribit Olympo
Aligerumq́ acies, Heroum cœtibus auget.
Quare agè nunc hospes spem certam agnosce salutis;
Cælestes agnosce aditus, diuosq́ fauentes.
Aude animis: desponsa pijs agè præmia factis
Iam ne dißimula, ne quæso auertere: paßim
Cerne, ea sidera diuum vt sator altus ab arce

præmonstret, tendatq; manu, ac bonus offerat vltro.
Interea, conceptum animo ne discute votum,
Ne tu magne hospes sanctum atq; optabile verte
Consilium: vocat insignis te gloria facti
Clamore ingenti: vocat indiga turba: reclude
Nunc nũc thesauros: age (mãdat nõ hominũ, hac, vox,
Rex magnus, rex nempe deum, bonus ætheris auctor
Præcipit) horrentes inopum tege vestibus artus,
Ieiunosq; foue, positisq; per atria mensis,
Ne pigeat crebrò conuentum accersere egenum.
Præterea (quo iam non ardor honestior vllus
Te, reor, hospes agit) magnis non parcus honores
Cælicolis defer meritos: delubra per vrbem
Pone frequens, arasq; sacra, ac simul instrue magnis
Muneribus, festosq; dies de nomine diuum
Institue. O quæ fama tuum, quæ gloria nomen
Attollet cælo! quàm te tua viuida virtus
Ciuibus insignem quondam dabit, ò tibi quantis
Laudibus assultans, generosa per oppida circum,
Perq; agros paßim, tua facta Hetruria dicet;
Ardua cælicolis effulgere ritè dicata
Aspicient populi cùm templa: auctorq; per vrbem
Tantorum grandes operum, positorq; feretur!
Quanquam autem, ò moneo, ne tu popularibus auris,
Ne vulgi mulcere animum clamore prophani.
Votorum tibi enim, summi regnator Olympi
Spectator sat erit tantùm, assertorq; tuorum.
Iam verò hæc multis. ecquid mihi tertia dona
Excessere animo? prærupti'ne horrida montis
Saxa,

Saxa, Lauernicolis malè quondam insessa prophanis,
Et nemus vmbriferum, & cæca antra indicta relinquã?
Cùm tu olim ista meis socijs, gentiq; futuræ;
Postuma siqua mihi ventura sub ætheris auras;
Cedere cuncta velis, nostrosq; exire sub vsus
Constituas. At me donis sine numine diuum
Haud reor his oneras. Quid dehinc, si commoda votis,
Antra, nemus, scopulos, lucos, deserta, latebras,
Alta dabunt montis iuga nostris? ò mihi rere
Quicquam optabilius contingere posse? quid æquè
Demulcere animum queat, ac tua munera nostrum?
Ne sic alta quidem Parnaßi culmina (nec si
Nulla redarguerent priscos mendacia vates)
Sollicitent: non sic pomaria flaua sororum
Hesperidum moueant, non sic genialia tempe
Me capiant; vt saxa iuuant, atq; antra Lauernæ.
Quis verò tibi magne hospes, quis præmia factis
Aequa tuis referat? primùm dignißima, recti
Dij semper memores: tua dehinc te maxima habebit
Semper honoratum virtus, nec laudis egentem
Vnquam destituet: sedenim tua dona loquetur
Longa dies: canet Hetruscas ea, fama per vrbes
Ardua, & externas vehet indefessa per oras.
Sed iam ego quid tantis onerans te demoror vltrà?
Non vox, non præco, non deerit gratia factis.
Crede (viam inueniet rerum certißimus ordo)
Crede: exurget enim fandi non fictor inanis,
Non leuis, at numeris grauibus narrator, opimas
Qui laudes dicat, qui facta ingentia cantu

Attollat cælo. Tantùm hîc ego pectore toto,
Ingentis quem das monumentum & pignus amoris,
Accipio montem, & nostros complector in vsus,
Natorumq́; , ac dehinc siqui mea fata sequentur
Natorum nati, quibus horrida suadeat ardens
Incolere antra animus, lucosq́; habitare Lauernæ.
Me verò; sese primo cùm crastina Eoo
Attollens Aurora, polo dimouerit vmbram,
Et roseam terris lucem, rebusq́; colorem
Reddiderit; mox hinc digressum longa, necesse est;
Accipiat via, tanti haudquicquam muneris olim
Immemorem. sed quas cælestia fata per oras
Ire velint: lustranda meis quæ greßibus arua:
Méne Italas tantùm gentes inuisere: seu iam
Dij magis externos fines, & noscere mores,
Ignotoq́; aeres sub sole haurire labores
Compellant; adeò incertum est: mihi sed vaga solùm
Seruitia, instabilisq́; obtendunt munia vitæ.
Hinc reditus ne certa quidem mihi tempora; nec te
Exigere id fas rere hospes gratißime; quanquam
Multa licent de me tibi, quanquam exposcere multa.
Et tamen haud frustra (nostram sic numina firment
Sancta fidem) spondere ausim, meme hospita rursum
Tecta hæc visurum: tunc & scruposa Lauernæ
Nubiferæ antra mihi lustrandi tempus: ouantem
Tunc me læta sinu frondoso culmina montis
Accipient, primum nemora inter densa colonum.
Tu verò interea ne rebus deficе egenis:
Sed strue rupe casas, aut frondea tecta sub alta

Talibus Hetruscum consolabatur amicum
Franciscus. sol interea soluebat Ibero
Littore defessos biiuges, pronusq; lauabat
Hesperio sub fonte comas, vultumq; rubentem.
Dant mensæ, Cereris: nox intempesta, quietis
Munera: compositosq; sopor suus occupat artus.
Postera lux primo Franciscum excusserat ortu.
Impiger è stratis mox sese corripit ille,
Sopitumq; manu fidum de more Lyænon
Sollicitans; agè digressos, ait, haud breue nos hinc
Poscit iter: labor eximius compellit ad oras
Externas: tu rumpe moras: nos afflat anhelis
Phœbus equis, rutila perfundens lampade terras.
Sic memorans, fidi præclaras hospitis ædes,
Ipsum & mærentem, festinatósq; regressus
Orantem, & dextra acceptum sese vsq; tenentem
Linquebat, multamq; dabat læto ore salutem.
Ceu pater; Eoas longinqua per æquora ponti
Quæsiturus opes; extremo in littore natis
Nunc instat monitis, nunc oscula, nunc rapit arctos
Amplexus: ciet interea de puppe morantem
Nauita, iamq; sinus pandit, solutq; rudentes.
Ergo adeò egressi simul altis mœnibus ambo
Festinant Heroes iter, cursuq; citato,
Transiliuntq; cauas valles; montesq; supinos
Obnixi exuperant: cœpto non vlla labori
Interfusa quies: fulgentem præuia virtus
It simul obtendens vultum, sternitq; malignas
Emollitq; vias: olli pernicibus ingens

 Corripiunt

Corripiunt plantis spatium: Rubicone relicto,
Exigui donec libantes flumina Rheni
Prægelidis curent defeßi corpora lymphis.
Et tu Cecropia sacrata Bononia diua,
Heroas pacis cælestia dona ferentes
Agnoscas, vltroq; pios læto ore receptes.
Sol iubar oceano demerserat: atraq; fuscis
Nox terras complexa alis, lucemq;, coloremq;
Abstulerat rebus, somnusq; oppresserat altus
Greßigerum, volucrumq; genus, pictosq; colubres:
Flaminaq;. & sylua, colles, ager, arua quierant.
Tantùm indefesso currebant sidera lapsu.
At pater in morem Franciscus, tecta domorum
Suffugiens, mollisq; tori, dulcisq; quietis
Dona exhorrescens; herboso in litttore Rheni,
Sollicitis imo versabat pectore curis
Longum iter: & magni simul externiq; laboris
Euentum orabat facilem: cùm victa sopore
Duro membra solo strauit, tandemq; petiuit
Non importunos defesso corpore somnos.
Ecce autem sensus vix prima obliuia paßi:
Cùm Regina deum, qualis natóq; patriq;
Sese vltro spectanda infert, astare iacenti,
Et mulcere animi curas sic visa loquendo.
Quid tu longinquos ardes lustrare recessus?
Quid'ue acres tentare paras vetitósq; labores?
Non datur hoc, natus non his meus annuit orsis.
Non Rhodanus, non mitis Arar, non te excitus vndis
Fluctisonis Liger expectat: non magnus Iberus,

Non Tagus auricomis vocat inuidiosus arenis.
Gens externa tui sortitus inscia: sed quæ
Iam tibi Romano surgens è sanguine passim
Ostentat sese pubes, inopumq; sub armis
Effulget (scis ipse) olim tua ritè capessens
Iussa, neq; alpinas cautes, aditusq; niuosos
Horrescens; sponte hoc tanto sub fasce laborat.
Et nunc æquoreæ partim limosa Garumnæ,
Partim Atlantei flauentia littora Bethys
Peruadens; claræ festina propaginis vrget
Incrementa tuis castris: sociátq; Latinis
Barbaricas acies: longo haud post tempore ductor
Vnà omnes quas ipse, meo sub numine coges,
Concilium in magnum: tantis formosa Subasis
Hospitium dabit ora, ea seruiet vna cateruis.
Tum prolem ipse tuam aspicies, procerúmq;, ducúmq;
Et numerum optatum, & præclara insignia disces.
At modò surge, moras rumpe, arua reuise Subasi.
Sopitum sic Diua monet, monitúmq; relinquit.
Excutitur, gelidóq; solo se corripit Heros
Attonitus visis, supplexq; ad sidera palmis
Sublatis; tali fugientem voce precatur.
Diua potens cæli, genitrix pulcherrima Regis
Siderei, thalamiq; expers, sanctiq; pudoris
Haud vnquam immunis: quæ te modò tanta fatigat
Cura mei? duros'ne hodie mihi Diua labores
Solatura venis? o, me quocunq; vocaris,
Sponte sequar: tu parentem meme accipe iussis
Diua tuis, arcéq; malis, & numine dextro

Adsit,

Adsis, euentúq; pio tua dicta secundes.
Talibus orabat, Diuam sic ore ciebat.
Tum verò accersit fidum, ad seséq; Lyanon
Accipit: & monitúsq; Deæ, & visa ordine narrat.
Móxq; iter incœptum linquunt, retróq; citatum
Ad flauum vertunt cursum, celerántq; Subasum.
Interea Latiæ pacata per oppida gentes
Securæ martis fremitus, secura malorum
Otia, felicisq; agitant bona tempora vitæ.
Nanq; vt ab æthereo diuum pater altus Olympo
Despiciens terras iam tum placabilis imas,
Et cladem pestis tandem miseratus acerbam,
Finibus Eumenidas superis decedere iußit;
Haud mora, continuò, populi meliora sequentes
Consilia, in priscos reuocant liuentia mores
Pectora: rursus amant monitus, legésq; seueras.
Ex illo superis meriti instaurantur honores.
Intermissa diu, paßim sua liba reposta
Accipiunt aræ: atq; ignes pia dona cremantes
Aethera fumifico nidore, & templa vaporant.
Franciscus verò (neq; enim vsquam pectore virtus
Ardens absistit, non vsquam inserpere quicquam
Herois dat segne animo) non dura laborum,
Non trepidus perterrificos horrescere casus.
Quin mentem assueto sanctóq; accensus amore,
Et vitæ incœptæ curis ardentibus actus;
Attollit confestim animum, virésq; sub imo
Corde ciet, stimulátq;, hortatúq; arrigit acri.
Tunc stat Iapygios (sacri fortißimus ales

Gargani

Gargani custos id pridem suaserat, & iam
Ardore ingenti sæpe illum acciuerat antè,
Sæpe & nescio quis cupientem abduxerat error)
Perlustrare agros: populósq; per oppida magnos,
Pérq; arua incultos durósq; inuisere agrestes:
Nuntiáq; æthereæ pacis mandata frequenti
Eloquio vulgare: acriq; incessere sontes
Verborum increpita, & vitæ monstrare nocentis
Vltrices pœnas, durúmq; aperire quietas
Virtutum ad sedes, & clara palatia callem.
Pandit mox comiti fido præstabile mentis
Consilium: ille audit, votisq; vnà incitus ijsdem,
Vltro abitum celerare, morásq; abrumpere suadet.
Ac veluti hibernis torrens super imbribus auctus,
Iam cultum irrumpens agrum; si fortè colonus
Saxa, trabes, glebásq; putres, ramósq; virentes
Præcipiti opponat; raucùm sonat obyce fractus,
Nec mora, parte alia, stridenti spumeus vnda,
Aggere subsultat rupto, & latè obruit arua.
Sic pater æthereæ Franciscus numine vocis
Permonitus, sublapsa retro vestigia torquet:
Et cœptum abrumpens iter, ignotóq; sub axe
Linquens ignotas vrbes, populósq; repostos;
Fatales sectatur agros: seséq; laborésq;
Ipse suos vltro concessis deuouet oris.

Ergo Heros flaui iam tum alta è sede Subasi
Digressus, fido vestigia fida Lyæno
Vnà æquante, ibat: qui cum multa ore serebat:
Multa animo seruanda dabat mandata sub imo:

Multa

Multa itidem alterno miscent sermone, leuantes
Tædia longa viæ scrupose, acrisq; laboris.
Iam Marrucinos campos, fontisq; Velini
Rosea prætereunt arua, ac saxa aspera linquunt,
Prisca Sabinorum stabula, horrentésq; recessus.
Nec longùm, excepti hospitio Samnitidis oræ,
Demulcent cursum, & paulisper corpora curant;
At ne tanta quidem frustra aut impunè viarum
Emensi spatia: haudquicquam labor irritus auram
In tenuem prorsum effusus: quippe inclytus Heros
Eloquio exardens passim mandata salutis
Sparserat: & virtutis opes, vitæq; nocentis
Turpem ignominiam, & pœnas monstrauerat acres;
Scilicet audierant illum alta per oppida gentes
Præclare, audierat pagana per arua iuuentus
Agrestum, turbæq; nurum, matrumq; choreæ.
Et tunc perspicuus vitreisq; subalbidus vndis
Fucinus illum ipsum circum piscosa morari
Littora, multùm illum diuina oracula vulgò
Spargentem eloquijs audire, animisq; vereri.
Iam post ter denas, succedens nona, quadrigis
Purpureis subuecta, polos Aurora patentes
Lustrarat iubare auricomo: atq; ex ordine cœptum
Carpebant Heroes iter: simul improuisò
Gargani tandem cùm summa cacumina magni
Apparent longè: Garganum voce Lyanos
Mox prior ingeminat: supplex, ad sidera palmis
Sublatis, vnáq; hilaris Franciscus ouanti
Assultans comiti, læto sic ore sequutus.

Salue ingens, salue æthereum gratißima sedes
Alituum vertex, salue ò mihi sæpe cupitus.
Nec plura his. Cursum accelerant: amor acrius vrget,
Quò sese montis iam iam vicinius offert
Ardua siderei moles, crescitq; videndo.
At verò intento tandem vt conamine ad imas
Radices ventum: & sedis tetigere sacratæ
Lumina prima gradu; rorantia sidera noctis,
Et fractæ vires lentam suasere quietem.
Parent Heroes suasi: sternuntq; virenti
Membra solo defessa: altæ frondentia quercus
Brachia defendunt rores & sidera laßis.
Voluitur interea circùm polus, & rapit ignes
Astrorum ardentes, partim hinc sese æquore condunt:
Luce aduersa illinc partim noua lumina surgunt.
Et iam præcipiti nigrantes humida currus
Nox temone vrget: Heroas mitior angit
Cùm sopor, & tenui sensus obnubit amictu.
Ecce autem astrigeri leuis alto è vertice Olympi
Delapsus volucer, Francisci ante ora iacentis
Astitit: horrifica præfulgurat Aegide pectus
Olli diuinum: performidabilis hasta
It dextra: aurata sopitum cuspide patrem
Tunc vnà excutiens, his vltro affarier infit.
O' longùm optato; Reginæ numine fausto
Sidereæ, & fido meme ductore; potite
Tandem ritè solo: certam hic ne rere quietem
Inuentam, aut penitus te iam exhausisse labores.
Nanq; hinc digressum latis te maxima campis

Hæc

Hæc regio exposcit; te rura, Vrbésq; morantur.
Te iuuenum cœtus cupiunt, patrumq; senatus.
Quin & pastorum Vulgus rude; siue per altos
Secessus nemorum, seu prata per herbida, magnos
Collectum in cœtus, & te circum Vndiq; fusum;
Audiat effantem cælestia dicta, necesse est.
Nec tu adeò quondam latrantia saxa biformis
Horrescas Scyllæ, non æstibus ora Caribdis
Feruida; peruadas siculam quin protinus oram:
Et populis sanctos monitus, diuináq; iussa
Insinuans, iter ostendas Virtutis, & ædes.
Et nunc surge, agedum: rosa te luce suborta
En Aurora afflat, matutinisq; Volucrum
Cantibus assultant campi, ramiq; Virentes.
Surge, iter accliuum supera: obnixúsq; per altum
Montem agè carpe Viam; horrifici sacra limina donec
Contingens antri, nostras conspexeris aras.
Illic supplicibus Votis, manibúsq; supinis,
Cum precibus castis; diuum intemerata parenti
Corda feres: liba hæc bonus ille, hos poscit honores.
His Volucer dictis: leuibus se miscuit auris.
Somnum Heros, noctémq; oculis Vnà effugat atram:
Emicat inde solo, constánsq; ita Voce precatur.
Magne ales, magni decus ætheris, inclyte ductor
Cælicolum quò raptus abis? an non tibi sedes
Hic prisca, an non lecta animo domus Vna Volenti?
At tu; seu nunc astra poli, seu culmen amati
Montis habes; seu te stygis inuida monstra per æquor,
Pérq; altas nubes mox debellanda reposcunt;

Adsis

Adsis ò bonus, & fausto meme accipe lætus
Numine: dira mihi custos mala longius arce:
Et casus defende atros: tandémq; labores
Tu felix, mitisq; foue, placidósq; secunda.
Talibus orantem iam tum vigil aure Lyenos
Hauserat arrecta: cui mox pater: en bona iußis
Numina (quid tu hæres.) rursum cælestibus vrgent.
Tolle moras: lux alma vocat: via præmonet acris.
Sic memorans, velox iter arripit: impiger vnà
Insequitur comes, & gradibus se concitat æquis.
Non tam sollicito reditu, plausuq; canoro;
Cùm matutinis arguta volatibus errans,
Ieiunis primas iam tum captauerit escas
Fœtibus; ad nidos progne defertur amatos:
Pectore quàm gemini valido, nisuq; potenti
Heroes superant montis latera ardua sacri.
Et iam siderei prospectu limina templi,
Vestibulumq; patens, gradibusq; eductus ab imo
Ter trinis ingens suggestus liminis alti,
Apparent primo: accelerant vestigia læti.
Nec mora, continuò succedunt postibus aureis,
Fumosiq; antri & diuino horrore tremendi
Arcanum penetrale ineunt: adytisq; profundis,
Accurui affusiq; aræ; venerantur opacum
Saxum horrendum, ingens, fortunatumq; volucris
Aetherei affatu, atq; oraclo insigne vetusto.
Tum Franciscus ouans, diuinaq; ignibus auræ
Deflagrans liquidis; magnum flammantis Olympi
His Regem implorat dictis. O qui tua nutu

Sidera

Sidera perpetuo torques, & pondere figis
Tellurem ingenti: qui læta tumescere fluctu
Das freta, móxq; eadem fremitus compescere cogis;
Accipe nos, queq; vltro hodie damus, accipe corda
Puris iuncta animis: ades ò pater optime fausto
Numine, ades felix, & nostris annue votis.
Da (tuus vrget enim volucer, seriémq; laborum
Sopito mihi nocte canens, denuntiat acrem)
Nosse viam optatam: quà tandem limite certo,
Semita defessos magno nos sistat Olympo.
Tuq; adeò interea nos cedere casibus vllis
O' genitor prohibe: contrà sed fortibus ausis
Ire doce, aduersisq; caput grauibusq; periclis
Obiectare iube, & dare prodiga pectora vitæ.
En læti accipimus, da nunc sanctißime iussa
Da, sequimur quocunq; trahis, paremus & vltro:
Iuueris auxilio tantùm, & felicibus astris.
His postquam orauit patrem; sic ore volucrem
Compellat cælestem iterum, votisq; precatur.
Tu dehinc ò superum interpres fidißime, ne iam
Ne patere hæc discerpta notis, volitare per auras
Dicta leues: sed mox precor insinuanda parentis
Auribus ætherei, summo leuis infer Olympo.
Sic antrum hoc, pario nunc marmore diues, & auro
Barbarico effulgens, semper tibi laudis honores
Diuina resonet: semperq, horrentia luces
Saxa colant hæc ritè tuo de nomine sacras.
Conticuit tandem, preßóq; immobilis ore
Hærebat miranda tuens: simul ecce coruscans
Gemmis

Gemmis[?], auróq;, ac medijs interlita guttis
Sanguineis, labi cælo crux visa per auras,
Thuricremasq; ambire aras ter concita circùm.
Dumq; Heros animo stupet, obtutuq; rigescit;
Vocem insperatam mox insuper auribus hausit.
Ne visa ò flaui proles generosa Subasi
Hæc horresce: tuam sortem hinc agè percipe: signo
Fata sub hoc te dura manent: tu fortibus ausis
Tolle modò: insignem te quondam hoc ire, necesse est.
Vox siluit: crux alta polo se sustulit vnà.
Iamq; antrum attonitus, mentemq; exterritus Heros,
Præcipuè verò confusus imagine vocis
Obscuræ, egrediens ibat: cæcosq; sub imo
Multà animo oracli euentus secum ipse putabat.
Nec verò vlli vsquam, non ipsi visa Lyæno;
Arcanum ire palàm, in morem cui sueuerat omne;
Miranda effatur: sed tantùm his instituit olli.
Vidimus (ò lætam & felici sidere lucem,
Auspicibusq; deis exortam) vidimus antrum,
Antrum ingens fama, atq; ingenti nomine clarum.
Et nunc ignicrepis diuinæ afflatibus auræ,
Et volucrum plausu cælestum ingentius illud
Assiduo, quis non credat? quis numina saxis
His addicta neget? felix ò terq; quaterq;,
Alituum ductor cui prisca oracula pandens,
Dixit; ego huic meme, cæcis mortalibus, antro
Custodem addixi, seruatoremq; potentem.
Nunc ergo vnde animis hæc tanta ignauia nostris
Inserpit? quo gens hominum malè sana veterno

Torpet hebetq́; adeò; meliora vt sæpe relinquat
Consilia, & superum dona auertatur, & ades
Spernat sidereas? ah tandem agnoscite certas
Spes ò mortales, cæloq́; attollite mentes:
Ducitis vnde genus, delapsa vnde ignea vestris
Lumina pectoribus fulgent: huc huc modò gentes
Huc ægræ properate omnes: hic numina vestro
Et generi cognata, animisq́; addicta tuendis;
Dum fas, dumq́; sinit tempus, præsentia dum se
Ipsa vltro obijciunt, dumq́; exoranda patescunt
Corda; agite ò votis, donisq́; accersite opimis.

His pater exardens animo conclamat: & ò tu
Nunc agè fide comes, nos hinc, ait, auocat ingens
Iam tum opus, & duri superat quod deinde laboris
Poscit: iterq́; abitum monet acre, vrgetq́; morantes.
Perge modò: nec tu certusue, anceps ue doceri
Quære adeò, qui te callis, quo limite ducat;
Quod ue solum, pagi ne humiles, vrbes ne potentes
Hospitio accipiant: mitte hanc è pectore curam.
Astra viam ostendent certam: tecta hospita flagrans
Cælesti delapsa sinu mox aura parabit.

Sic monitis instat pater: ille vnà incitus acri
Mox prior ire gradu: linquunt sacra culmina, & antrũ
Sidereum auersi geminata voce salutant.
Festinant ergo: paßimq́; ingentia latis
Arua agris lustrant oculis: siqua oppida claris
Gentibus insessa, aut pagos de more iacentes
Flumina seu propter, seu vasta per æquora campi,
Prospiciant: aut iam collectos ordine detur

Saltibus

Saltibus in magnis pastorum offendere cœtus.
Interea rubet, & deuexo Phœbus Atlantis
Cœliferi temone iugis super imminet altis;
Et iam improuisò tectorum culmina Sypus
Celsa aperit: coràm apparent ignota repentè
Mœnia: prospectu subito, pater intonat ore
Mox lætùm, exultansq; animo gestiuit: & ò quam
Certa, inquit, nostris aspirant numina votis.
Quippe haud, ignarosq; viæ, ignarosq; locorum,
Nos hodie huc vacuo fortuna volubilis egit
Appulsu: aut regio desueta errore fefellit.
Vis maior, vis nimirum stellantis Olympi
E sede, ingenti cum numine lapsa subegit.
Hæc dabat ore, vnáq; gradum, comitemq; citabat.
Iamq; propinquabant portæ: maiorq; videri
Vrbs sensim, & celsæ paulatim assurgere turres.
Vir fuit hic (primùm nomen fecere parentes
Euphrosio) præstans animi, pietatis, & æqui
Seruator, iustiq; tenax, & clarus auitis
Stemmatibus, lateq; agris opulentus, & auro.
Ergo hic; nescio quo (nanq; haud ea ferre voluptas
Suerat eum) tum multà animum raptatus amore;
Liberiore gradu, porta se eduxerat alta;
Desueta cui mox in veste Subasius Heros,
Atq; insperato gressu simul obuius ibat.
Admirans primo aspectu vir constitit: atq; hæc
Secum vnà. O nunc si de gente Subaside fortè
Hi veniant: gentis sed quàm magis inclytus ipse
Dux Franciscus (eum vulgò sic nomine dicunt)

Afforet optarim! quàm mallem hîc nuntia pacis
Verba salutiferæ illum ipsum spectare canentem!
Ille hæc secum animo versat: simul ecce propinquat
Franciscus: iam iamq; astat, iam verba salutis
Edit, amicitiæq; haud aspernabile signum.
Cui Ciuis bonus arridens, qui vos genus, inquit?
Vnde domo? quo sacra duce hæc insignia fertis?
Signa (vides quæ fors nunc primùm, subdidit Heros)
Iam pridem sub flauicomo gens orta Subaso,
Tollimus alta deo: & vitæ discrimina egenæ
Tentantes; casus fortunæ euoluimus acres.
Est quoq; turba ingens comitum, atq; experta laborum,
Iuncta adeò, & lateri nostro subnixa, meoq;
(Dic agè tu pudor hoc) primùm de nomine surgens.
Nec verò ignotam iam pridem finibus istis
Hanc reor. Obstupuit Ciuis perculsus amati
Nominis auditu: nec plura inferre loquentem
Desinit: extemplò sedenim procuruus inhæret:
Et dextra acceptum, & geminis hinc, inde reuinctum,
Implexumq; vlnis; sic magno affatur amore.
Chare pater, quod numen agit? quis te deus, olim
Optatumq; mihi, & toties simul ore vocatum
Dirigit huc, atq; has sedes inuisere suadet?
Dij faciles, hodie quid vos felicius orem?
Aut quid amabilius poscam? nec numine duro
Nec parcò meme aspicitis: non irrita Coris
Vota dedi: non auersas pulsauimus aures.
Sed iam ad te redeo pater: eia agè limina ne tu
Nostra fuge, externis de more patescere sueta

Hospitibus: tu lætus ini: quando illa morantur
Læta ineuntem, vltroq; tibi arrisura recepto.
Talibus hærentem dictis bonus incitat hospes:
Tum simul ingreßi, subeunt vrbemq;, domumq;.
Defeßis mox optatam fecere quietem
In morem positæ sedes: dapibusq; paratis,
Instructi micuere tori: tunc ordine primi
Vnà Heros sociusq; alto accubuere sedili.
Vt primùm dapibus finis datus; occupat hospes
His prior Heroas dictis: nox humida cælum
Fuscis multa alis complectitur: astra quadrigis
Surrepunt tacitis, & scintillantia suadent
Corporibus requiem fesßis, oculisq; soporem.
Ergo & colloquijs iam tum mihi sæpe cupitis
Parcamus, noctiq; vltro cedamus opacæ.
Quò pariter mentes somno curemus, & artus.
Parent hortanti Heroes, penitusq; recepti
Sub sede arcana, se composuere cubili.
Interea humentes preßis addensat Iberis
Nox vmbras: contrà Eoas Tithonia coniux
Illustrat croceis surgens fulgoribus oras.
Iamq; ortus de more tuos lux annua signans,
O magni Regina poli, lux aurea, lux quæ
Diuino terras, & cælum lumine complet,
Expectata oritur: cùm sese corripit altis
Franciscus pater è stratis: geniumq; vocatum
In morem ipse suum, breuiter sic voce precatur.
Accipe me, infandisq; malis, sæuisq; periclis
Arce hodie vigil alme; ades, & me tramite recto

Tendere iter certum, & dextro da fine potiri.
Hæc tantùm ille: altis foribus gratißimus hospes
Iam iam aderat, iungitq; manum, & de more salutans
Infit. Ego haud volucrem tantummodo nominis auram
Audieram Francisce tui: sed clara per aures
Facta meas ierant: factorumq; incitus omnis
Rumor Iapygiæ, sonitu nunc verberat oras.
Quin & oliuiferi quæ gloria, quiq; Subasi
Iam tum honor exurgat, summisq; interserat astris
Iam caput; Ausoniam fama indefessa per omnem
Concinit, audituq; vrbes simul implet, & agros.
Nec minus & gentes; quas indiga ad arma coactas
Dux monitis formas bonus, & virtutibus amplis
Imbuis; attollitq;, & claris laudibus effert.
Cuncta hæc nimirum de te pater optime dudum
Audieram: sedenim ex illo mihi corde sub imo,
Interdum fandi tecum vnà, amor arsit iniquus.
Et nunc quid superest? video, potiorq; cupito
Te pater. Vnum adeò hoc par est, luxq; annua poscit;
Reginæ meritos diuum, da gratus honores;
Da, differre nefas tantæ præconia lucis:
Da monitus hodie populo, diuinaq; nostro,
Eloquio mandata cane, & plebem instrue dictis.
Sic hospes: læto hæc Franciscus rettulit ore.
Opportuna adeò, nec iam spernenda profectò
Exigis alme hospes: rerum nec me labor ipse
(Quandoquidem haud clara sine luce, sine omine fausto,
Aut sine mente deum hac nos sistimur vrbe) grauabit.
Te verò; qui nos (gratum ac memorabile factum)
Ignotos,

Ignotos, inopes; sed nil pietatis egentes,
Sponte domo socians das victibus ire refectos;
Non fœnus nullum, non gratia nulla sequetur:
Officij non te magni, non muneris ampli
Pœniteat: dignas grates persoluere nostræ
Non opis est, fateor, sed diuum: agè protinus hospes
Magnanime, aude olim his sperare ingentia factis
Munera: teq; hodie sedes agè rere beatas
Promeritum: spectare pias ita numina mentes
Ne dubita: fandi stant præmia, stantq; nefandi.
Dixit: & ad templum, multa cum luce diei,
Natorum Euphrosius turba florente, Lyano
Franciscus comite, approperant: iamq; alta subibant
Limina; summißi Reginæ numen adorant
Sidereæ, magnoq; vocant ex ordine diuos.
Interea rebus diuinis ritè peractis;
Conticuere chori; purusq; reliquerat aras
Thure vaporatas crepitantiq; igne sacerdos.
Hic Heros (fandi sese haud breuis obtulit vltro
Copia) suggestum stantem, ac de more paratum
Fortè operi, scandens; oculis vnde eminus omnes
Et legere aduersos cœtus, & noscere poßit;
Infit: eum extemplò populus circùm ambijt omnis.
Magnanimi proceres, genus altum, & clara propago,
Insignisq; atauis, grauiorum & sanguine fulgens:
Tuq; annis florens, & firmo robore pubes;
Annua qui magnæ vota instauratis Olympi
Reginæ, meritoq; diem signatis honore
Natalem, & ductas priscorum ex ordine pompas

Solennes agitis, struitisq; altaria donis;
Parcite vesano modò parcite quæso tumultus;
Néue animos pigeat nostris adhibere quietos
Paulisper dictis: pro vobis, réq; tuenda,
Vestræ vrbis dum pauca loquar, dum mœnibus altis
Instituam vigiles, & propugnacula circùm
Adyciam cum fossarum munimine longo.
Principiò sedenim ò patres agnoscite, rerum:
Cui ius vestrarum, totiusq; vrbis habenas,
Cuiue potestatem par sit committere legum.
Cui regere imperio populum, atq; ignobilis iras
Conueniat vulgi, & subitos mulcere furores.
Nimirum immanem, quondam illaudata voluptas
Det regem immani vobis de gente, cauendum est.
Verùm felices fortunatiq; profectò,
Sidereo delapsa polo sanctißima virtus
Si dux læta adsit vobis, si mœnibus istis
Præsideat custos, & portis excubet altis.
Ecce autem (auersam dedignantemq; superbo
More, homines socios diuam, ne credere fas est.)
Illa vltro vobis sese gerit obuia paßim:
Qualis bissenos Heroas ad astra vocabat;
Dum rata principibus coràm, sæuisq; tyrannis
Intrepidi responsa darent, atq; enthea Regis
Siderei, populis canerent mandata prophanis:
Spernentésq; minas tumidas, violentáq; regum
Iussa superborum; vibratis pectora telis
Obuia, suppliciýsq; darent immanibus vltro.
Quare agite, hanc delectam animis, & pectore toto
Complexam

Complexam accipite, atq; ingenti asciscite amore
Huic vestræ reginam vrbi: túq; inclyta pubes
Hanc, moneo, sectare ducem, ducis ardua signa
Tolle manu, cane sidereæ præconia diuæ.
Néue vltrà è fidis castris desciscere, nec vllo
Terrere incursu, hostilemue horresce tumultum.
Nec te adeò infringant duri insuetiq; labores:
Quos primùm ingressis obiectat, itérq; malignum,
Quà te præuia agit: neq; enim fastigia rerum
Ardua per molles nixus, per inertia vinces
Ocia: sublimes posuit sibi diua penates:
Mox, vbi, per præceps pérq; aspera saxa clientes
Raptos, læta suos tandem locat ipsa beatis
Sedibus. O tum felices quoscunq; manet sors
Tanta olim. Ergo illis virtus bona gaudia seruat.
Exemptíq; malis vitijs, & casibus; extra
Errores, extra spem turpem, extráq; timorem,
Securis lætisq; animis læta ocia ducent.
Contrà autem deflecte oculos, iámq; aspice turpis
Regna voluptatis: simul ipsam sceptra tenentem
Turpiæ cerne modò: atq; animo metire sagaci,
Quas struat insidias, quas cæco pectore fraudes
Verset: agat quò præcipites iuuenés senésq;.
Promissis viden' vt blandis fucata dolosi
Oris verba sonent? latet àh(ne crede) venenum
Sub donis lethale: manu lethalia miscet
Pocula Circæa, & sacro ter murmure adurit.
Excute quam primùm ò pubes generosa nefandæ
Turpia dona deæ: quibus (heu fax dira malorum)

Illa homines pulchra ex facie, sanctoq; decore,
Induit in vultus, & lurida terga ferarum.
Sed iam agedum, tum fortè iuuat, tum grādia defert
Munera, cùm bella accendit, cùm funera, luctus,
Excidia, & clades parit, atq; incendia miscet.
Hæc Priami tum seruat opes, tutatur & arces
Rhœteas, cùm Tyndaridem dedit ire sub vlnas
Pastoris molles, & semiuiros amplexus.
Quò verò iam me rapit intractabilis ardor?
Quidue Magæ noxas (nullius nescia culpæ)
Prodere conor? eam haud æquis incessere dictis;
Quamuis mille sonent ærato in gutture linguæ:
Perualeam, & diros euoluere pectoris astus.
Nunc tantùm ò libeat Ciues sedem illius altam
Nosse, vbi regnet ouans, sese quò celsa receptet:
Quaq; suas acies stipe dux tandem inclyta ditet.
Despicite ergo imi stagna exhorrentia, & æstus
Cocyti lachrymis tumidos, & luctibus atris:
Et phlegetontei fumantes gurgitis vndas.
Cerne illic ò plebs immanes ordine pœnas,
Quæ sontum exercent animas: quibus atra voluptas
Dilecta ad superos: illam ipsam cerne suorum
In medio affixam, & pœnas cum sanguine dantem.
Horresce hæc ergo tormenta, atq; effuge pubes:
His terrere malis: fucata auertere turpis
Dona voluptatis: summoq; attollere Olympo:
Vnde tibi genus, vnde salus, vnde aurea virtus
Te vocat, expectatq;, tibi immortalia nectit
Serta, vltroq; offert. agè tu festina capesse.

Finis

Finis erat: plebs omnis hians, immobilis hæret,
Et plura expectans fremit ore, silentiaq; amens
Improuisa adeò; & finem indignatur iniquum:
Tum verò exoritur, serpitq; per agmina murmur.
Fit globus extemplò gentis: confusaq; circum
Heroa addensat sese omnis turba, iuuatq;
Comminus vsqueadeò spectare & noscere patrem.
Ille autem auertens plausum, & rumoris honorem,
Exosusq; auram vulgi, & præconia laudum;
Vim fugit vndantis turbæ, incursumq; molestæ:
Et furtim elapsus, noto mox hospite tantum
Ritè salutato, populumq;, & mœnia linquit:

FRAN.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS. LIB. X.

FAma Subasæ gentis pridem ardua fines
Ausoniæ extremos linquens; peruaserat oram
Sicanam, & populos rumore exciuerat omnes.
Nanq; vt prima suæ Franciscus germina prolis
Cedere oliuifero pariter diducta Subaso
Iussit, & externas quam primùm inuisere gentes,
Et canere eloquio populis diuina magistri
Præcepta ætherei, morésq; ostendere sanctos,
Et durum virtutis iter, sedésq; beatas;
Haud mora, continuò, Tancredius exilit ardens
Bissenum è numero comitum, & primoribus vnus:
Hærentémq; sibi Moricum, sic vocibus instans,
Occupat; Vnus adhuc hæres Morice? eia agè mecum
Te labor idem vrget, nos sors vna accipit ambos.
Tantùm effatus: & in dictis vestigia vterq;,
Quò primùm ardor agit, quo vis dehinc enthea raptat;
Contorsere acres. nusquam mora: fronte Pelorus
Arduus aduersa donec sese obtulit illis.
Ergo hos iam pridem Sicana acceperat ora
Hospitio: cultúsq; nouos, habitúsq; rigentes,
Et curam vitæ angustam, insuetúmq; tenorem

Admirans;

Admirans; sacro iam dignabatur honore.
Tum verò cœtus iuuenum diuinitus acti,
Et cultus nouitate pij, melioris & vsu
Flagrantes vitæ; paßim per vota gemellos
Conueniunt vltro Heroas, seséq; volentes
Addicunt illis, gentisq; Subasidos orant
Castris asciscі, iuramentisq; ligari
Militiæ insuetæ, & sacrato fœdere iungi.
Ceu quondam; magnus cùm rex signa ardua tollens
Cogit ad arma acies, bello noua quærere regna,
Seu iam sceptra sibi, terrásq; reposcere abactas
Constituens; subitò excitæ circum vndiq; densis
Agminibus coeunt, stipántq; insignia fortes
Celsa manus, crebro complentur milite castra:
Sic acies vulgò innumeræ iuuenúmq; senúmq;
Agglomerant sese, circumq; Heroas inundant
Affusæ geminos, non cultus aspera, non iam
Angusta horrentes vitæ, non dura laborum:
Sed læta monitus, & toto pectore iussa
Ardua complexæ; signis fulgentibus hærent.
Iámq; adeò noua gens, pia, sancta, atq; inscia culpæ,
Crebra locis; humiles pagos, arua, oppida complet:
Nec non & lucos sacros, nemorumq; recessus
Vmbrosos tenet: & iam sicubi cæca per altos
Offendit montes; quæ relligionis honore
Horrescant, antra; extemplò subit, atque frequentat
Læta, cateruatimq; colit: Cererіq; Lyæіq;
Vsqueadeò parcit latici, mollisq; cubilis
Immunes ducit noctes: tantùm æthera cordi,

Diuinis pulsare modis, Regémq; deorum
Et canere est illis, & compellare precando.
Dúmq; ea Trinacrias noua gens monumenta per oras
Spargit ouans, vulgiq; animos accendit amore
Vitæ inopis, callémq; aperit virtutis ad ædes;
Parte alia; nequicquam animum conterritus, arua
Daunia percurrens; pagos Franciscus, & vrbes
Inuisit, monitisq; instat cælestibus acer:
Et paßim ignaros populos hortatibus implet
Diuinis: rudibúsq; animis inserpere mores
Dat castos, sensúsq; pios habitare pudicis
Pectoribus. gaudent turbæ, sanctúmq; verentur
Heroa. ille autem qua se cunq; aureus infert,
Aurea virtutis sua post vestigia linquit
Signa: micant gentes morum pietate refectæ.
Non secus ac si fortè polo decussa sereno
Sidera per noctem, longo transuersa meatu
Percurrant, signéntq; vias, & perpete sulco
Limitem agant flammis, & multa luce coruscum.
Et iam insopitis longè latéq; patentes
Per campos, vrbésq; altas, populósq; frequentes
Fama vagans pennis; sanctum ac memorabile nomen
Francisci ingenti sonitu, magnóq; fauore
Sparserat: illum Vfens, illum & flauentia Liris
Littora arenosi, Vulturniq; accola norant.
Nec vos Romanis ducibus, Latysq; triumphis
Cannæ olim infensæ, non audiuistis hiantes,
Heroa effantem cælestia dicta magistri
Aetherei: illum ipsum simul audiuere, supernum
Mille

Mille vrbes, quæ littus habent: mille, alluit vnda
Quas maris inferni: mille insuper oppida, latè
Quæ media ingenti pinguiq; alit hubere tellus.
Nec verò natorum expers Francisce tuorum
Tunc regio hæc: nempe occurrunt tibi gentis vbiq;
Agmina crebra tuæ: simul hic insignia fulgent
Clara Subasæi cultus: & milite egeno
Plena merent hic ære tuo castra indiga paßim.
Voluitur interea polus: & monstrosa suburgens
Signa per, altus equos Titan, afflare gemellos
Tyndaridas, iam iámq; minari incendia Cancro:
Intortisq; comis, flauisq; tumescere aristis
Pulchra Ceres: cùm sic Franciscus voce Lyænon
Compellat fidum, cunctantemq; incitat vltro.
Fama (etenim audisti) canit vt Tancredius, olim
Digressus flauo, Morico comitante, Subaso;
Scyllæosq; canes, aduersiq; arcta Pelori,
Intrepidusq; animo, tutusq; euaserit: & iam
Sicanis insedit agris, crebrásq; coegit
Indiga ad arma acies: nutuq; fauentis eunt res
Siderei patris: & successu gloria læto,
Alta Subasææ gentis se tollit vbique.
Quare agedum (curæ quando hic satis, atq; laboris
Exhaustum, iam iámq; vides conferta maniplis
Castra Subasæis) nos hinc absistere fas est.
At ne terra quidem veniat mihi gratior vlla,
Nec magis optanda est, quàm quò Tancredius ardens
Aduocat, atq; animo iam nos expectat anhelo.
Adde quòd ætherei monitus impensius vrgent

Per noctem volucris, latrantiáq; inguina Scyllæ,
Angustámq; vetant rabiem exhorrere. quid ergo
Distinet? aut quæ causa moræ? breuis hora profectò,
Extremo (tu perge modò) nos littore sistet:
Hæc ille: æquatisq; vnà mox passibus ibant.
Nec longùm, infernam contingunt limitis oram
Ausonij, subeuntq; antiqui mœnia Rhegi.
Affuit optatò leuis hîc subducta phaselus,
Immunisq; operis, vacuóq; sedente magistro.
Hanc simul Heroes conscendunt: protinus ille
Seruitio lætus subit: haud ignara vadorum
Enatat vncta ratis, notosq; assueta per æstus
Currit, & alternos fluctus secat ocyor aura.
Et iam Zanclei saxa eructantia monstri
Cautius euitans; sicula considit arena.
Vix dum Franciscus terra pede constitit: & iam
Fama viri accessum passim vulgarat: & ecce
(Lucus eum tum fortè mari vicinus habebat)
Primus sacrato descendens vertice collis,
Occurrit patri læto Tancredius ore.
Iunguntur dextris, mistáq; hinc, inde salute;
Itur in excelsum collem, lucumq; sacratum
Tum primùm insueti cultus statione verenda.
Interea ex vrbis Zancleæ mœnibus altis
Effusæ approperant turbæ, lucóq; frequentes
Conueniunt, magnum Heroem, lectosq; sodales
Compellare auidæ, corámq; audire loquentes:
Quas, vltro occurrens, vultuq; & pectore læto
Excipit, ingentiq; ardens affatur amore

Franciscus

Franciscus pater, & monitis cælestibus implet.
Illæ animis contrà intentæ sitientibus astant:
Attonitæq;, soloq; hærentia lumina fixæ,
Mirantur simul effantem, mirantur & oris
Non importuno depressa silentia more.
Nec tantùm spectasse viros, cultusq; virorum
Sat semel insuetos: sedenim vsq; hærere, nouæq;
Scitare iuuat, & primordia discere vitæ.
Liquerat amplexus iam terq; quaterq; seniles
Lutea purpureis subuecta Aurora quadrigis;
Accitos vltro medius cùm constitit inter
Franciscus comites, atq; his pater optimus infit.
Multum olim ò socij curæ, vigilisq; laboris
Per Salentinos agros, perq; Appula multum
Latè arua exhaustum nobis: populiq; frequentes,
Multùm littoreas nos distinuere per oras.
Nec verò frustra id, reor, aut sine mente deorum:
Liquimus alta etenim passim tyronibus aucta
Castra Subasais: nos audiuere loquentes,
(Sic rem sortiri diuum Rex, maximus ales
Gargani custos sic aspirare labori)
Perq; humiles pagos, per rura, per oppida, gentes.
At postquam Aetnæos nostram pubescere prolem
Per campos, auditum; animis amor ilicet ardens,
Non expectatos improuisoq; subortos,
Visendi incessit natos: hinc nec mora segnis,
Non longum terræ spatium, non monstra, nec æstus
Aduentum horrisoni nostrum vetuere profundi.
Et nunc; siue altos nemorum viridesq; recessus,

Siue casas, siue antra habitent, & frondea tecta;
Compellare altos comites, & visere cunctos,
Multa aueo: multa amplexus & iungere dextras
Iamdudum exopto: eia agè nunc mihi fide laboris
Tu comes ò Morice optati, monstrator & idem
Atq; virum; atq; viæ ignotæ, iam præuius ibis.
Hæc pater: vnà omnis turba infremit ore, recessusq;
Impatiens; causas parat innectitq; morarum.
Ille manu, in morem, tristes mox lustrat, iterq;
Ingreditur; dicta simul, acceptaq; salute.
Ergo ibant sociusq; recens, fidusq; Lyæneo
Assuetus nusquam curis absistere patris.
Ibant alternis diuos, diuumq; canentes
Sidereum Regem: vestigia ponè sequutus
Amborum; sese pater æquis passibus infert.
Qualis lucifero excitus, prædurus arator,
Terga grauis cerere exigua cum vomere adunco,
Mane agit abiunctos incurua ad aratra iuuencos.
Pronus Atlanteas rutilis iam comminus vndas
Sol afflabat equis. En ò pater aspice montem,
Cùm Moricus prior, excelsum: Lilybæia dicunt
Saxa illa indigenæ: non hos nulla agmina nostra
Gentis habent scopulos: sunt hic nemora ardua passim,
Antraq;, saxaq; hiatibus exhorrenda profundis:
Et circum abrupta montis latera aspera pendent
Frontibus exesis rupes: posuere sub illis
Partim iam comites angusta cubilia nostri,
Tecta super quernis texentes concaua ramis:
Partim speluncas subiere, & nocte frequentant.

At cultus simul idem omnes habet, omnibus idem
Ritus, idem studium placet, vnà corpora curant.
Talia commemorat Moricus, pariterq́; sequentem
(Iam iam etenim fuscis nox cælum amplectitur alis)
Festinare patrem hortatur, fidumq́; Lyanon:
Et tandem; stellante polo, multáq; sub vmbra
Noctis; ad excelsas rupes, atq; ardua saxa
Deueniunt fessi. Stabat tum fortè sub alta
Spelunca, somni immunis Gorradus, a mesto
Germano comite; vno olim quos Laria partu,
Acis arenoso flauentis littore mater
Ediderat, pariterq́; vouens addixerat aris
Ambos cælicolum, & capere indiga iusserat arma.
Hi lucum ingressos, per nigra silentia noctis,
Tum primi sensere viros: primiq́; sub antro
Exceptos, pariter duro statuere sedili.
Paulatim interea per tecta virentia murmur
Desuetum inserpit: comitum plebs cætera ad antrum
Mox excita coit; insperatumq́; cupiti
Vt patris aduentum norunt; simul ore manuq́;
Continuò plausere omnes. lætum ardua rupes,
Lætum antra assultu simul increpuere profundo.
At postquam vnà animos, & corpora lassa refecit,
Stramine præduro se composuere: siletur.
Postera iam nigris Aurora citabat ab Indis
Quadriiuges, croceis immensi gurgitis vndas
Illustrans radijs, terrasq́; coloribus ornans:
Excussus, duro Franciscus membra cubili
Corripit extemplò: ac primùm flammantis Olympi

Supplex voce vocat dominum, Geniumq́ subinde
Compellat de more suum, fatúrq́ precando;
Fide ales custosq́ vigil: cui creditus aura
Vescor inoffensa: primo iam semita ab ortu,
Quo monstrante, mihi summo patet ardua cælo;
Dexter ades, felixq́ veni; & meme accipe fausto
Numine: neue hodie patere vllos comminus hostes
Insultare mihi: quin tu mala longius arce,
Et casus defende atros: acresq́ labores
Tu tandem mitisq́ foue, placidusq́ secunda.
His pater implorat Franciscus amabile numen.
Nec minus arbuteis, comitum sanctißima pubes
Sub tectis, patrem æthereum cum plebe volucrum,
Reginam sed præcipuè diuumq́ poliq́
Supplex ore ciet, votisq́ precatur opimis.
Iamq́ adeò ipse suam exoptans cognoscere prolem,
Et coràm spectare auidus pater optimus; vltro
Accitu sistit totum sibi protinus agmen.
Conueniunt omnes, animisq́ volentibus adsunt.
Ille his, in medio postquam stetit, ore serenus
Infit. Ego vt tandem, longo post tempore vectus
Huc, vos cerno libens! vt me iuuat ora tueri
O socij dudum optata, & miscere vicißim
Sermones castos, vitæq́ euoluere egenæ
Principia, atq; acres sanctis mollire labores
Oraclis! eia ergo hodie spes discite vestras.
Atq; animis penitus memores mea figite dicta
Principiò nostræ ne vana exordia vitæ,
Ne prorsus deserta opibus, ne credite, nullis

Auxilijs suffulta: iacent immota sub alta
Fundamenta operis cœpti strue. Terreat asper
Fortè animos cultus, durisq́; horrentia setis
Tegmina. sed magnis num purpura regibus arcet
Acrem hyemem, sæuumq́; gelu, aut morte eripit atra?
Exortésq; mali facit, exortésq; dolorum?
Esto, agimur totum extorres, domuumq; per orbem
Ignari erramus, rerum premit arcta facultas.
O ubi, dicite, opes Crœsi: sceptra aurea regis
Laomedontei, monstrate, arcémq; superbam.
Scilicet hos aurum, regniq; immensa potestas,
Fortunæq; anceps manus, ac variabile numen
Donauere astris, & cæli sede beata?
Prô dolor, ignarósq; viæ virtutis, & altæ
Oblitos patriæ, simul hospitijq; supremi;
Sors instructa dolis, rerumq; infanda cupido
Abiunxere bono, & cæco mersere barathro.

Contrà, bisseni, iam tum spectate, clientes
Siderei, nempe electißima pectora, Regis;
Quo cultu, quo nam vitam excoluere paratu.
Discite quos monitus, quæ iussa, audite, magister
Olim errabundis dederit: quæ præmia subdat,
Percipite, vnà acres demulcens ritè labores.

Ite, ait, este humiles, animisq; ardentibus vltro
Temnite opes, aurúmq; nocens, contemnite honores.
Imò agite, extemplò ne dum deponite amictus
Conspicuos: sed bina fouens ne penula posthac;
Vel dum horrens Chiron neruo stridente sagittas
Dirigit æmonias; algentes ambiat artus.

Vna satis: superat quicquid, natura recusat.
Prosequitur Diuus Rex, atq; ita mandat alumnis.
Ite modo, & magnis occurrite regibus vltro:
Et simul audaci sic ore monete potentes.
Discite iustitiam, sanctos iam discite cultus,
O gens mentis inops: auctorem agnoscite rerum.
Semiferis ne templa deis, ne ponite monstris
Thuricremas aras: neq; enim saxa aspera: sed nec
Aera pios ignes cum thuris honore merentur.
Tum contra iratos, tormentaq; saeua minantes
Formidetis (adest quippe haud superabile numen,
Aethereo demissa polo leuis aura) cauete.
Ergo ite intrepidi, vibratis pectora telis
Obiectate vltro: cedent tela impia, cedet
Saeua acies ferri: nec demum praemia vestris
Digna ausis deerunt: magno solia aurea caelo
Stant: vbi certa quies vobis, laetiq; trimphi.
Haec canere aetherem Rex olim fuerat amicis
Bella suis: sic deinde acres mollire labores.
Ergo agite (ipsa eadem quando & certamina nobis
Instant, saeua iisdem Rex ipse incommoda mulcet
Promissis) ne dura animis horrescite victus:
Néue acer vitae cultus premat, arctaq; rerum
Conditio: breuis vrgentum faciliusq; malorum
Nos agitat series: vocat immortale per aeuum
Longa quies, longaeq; expectant gaudia vitae,
Nempe ignara metus, fortunaeq; inscia caecae.
Sic pater. At comites assultauere loquenti:
Et circùm vnà omnes addensauere coronam,

Assensu

Assensu vnanimi diuina exorsa probantes.
Ille autem populos sanctæ virtutis egenos,
Ignarosq́ boni; monitis cælestibus optans
Imbuere; excessum parat: affatusq́ Lyænon,
Tu Moricum nostrumq́ ducem, comitemq́ fidelem
Siste, ait, actutum huc: opera intermissa, viæq́,
Qui superest cœptæ iam nos labor ipse reposcit.
Dux aderat: breuibus quē mox pater occupat vltro.
Littoreo stant clara sinu (sic fama) Panhormi
Mœnia, tranquillo ratibus fidissima portu.
Huc; postquam pagiq́ breues, atq; oppida clara,
Nos monitus sanctos, diuinaq́ iussa canentes
Audierint, callemq́ arctum virtutis, & ædes
Monstrantes, populi cognorint; vltimus esto
Cursus: ad Hesperium vel nos breuis inde phaselus
Abductos reuehat littus: demumq́ Subasius,
Reginæq́ poli sedes veneranda receptet.
Hæc effatus, iter Moricum iam ritè tenentem
Subsequitur, multa arcano sub corde volutans
Secum vnà, multaq́ via taciturnus obibat.
Iam verò haud temerè protenta silentia sermo
Ruperat opportunus: & ingeminata vicissim
Verba ierant passim; cùm dux: pater optime, campos
Cerne Arethuseos, ait, excelsumq́ pachynum,
Cerne Syracusias turres, vrbisq́ vetustæ
Mœnia famosis apprimè insessa tyrannis.
Crastinus affulgens primo cum lumine vesper
Vmbrosa nos sede, reor, lucóq; Panhormi
Sistet littoreæ, & socijs coniunget amatis.

Talia dux, patri nequicquam audita, ferebat.
Nam neq; festinum cursum, sed lentius omnem
Destinat ire viam, & medias peruisere gentes.
Ergo animo exardens populosa per oppida Ciues
Alloquitur, monitisq; ciet: corda inscia recti,
Et mentes cæli expertes; pietatis amore,
Atq; æqui fouet, & diuinis ritibus implet.
Non humiles pagos, non dedignatur agrestum
Conuentus, non pastorum magalia linquit.
Omnes affatur, simul omnes instruit, omnes
Et virtutis iter docet, & calestia monstrat
Præmia: contrà aperit dictis; ignaua voluptas
Vna suos ignominijs queis turpet alumnos.
Tartareis demum ostendit quàm dira sub vmbris
Supplicia expectent sontum miserabile vulgus.
Hæc pater intentis passim diuinitus acto
Ore dabat populis; apparent celsa Panhormi
Cùm iam improuiso conspectu mœnia: & , ò , mox
Dux prior; extremúmq; viæ, extremúmq; laboris
Hæc, pater, hora dabit: nigri vidén' ardua luci
Culmina? turba loco nostrorum haud degener alto
Consedit comitum, feliciq; omine seruat.
Sic memorans, iter haud segnis breue corripit: & mox
Emicuit prior, vt iam iam nemus ille tenebat.
Conuentum in magnum comites de more sedebant
Instructi, Heroúmq; inter se facta vicissim,
Virtutúmq; recensebant insignia clara:
Cùm iam improuisò Moricus coram astitit: olli
Lætitia exciti, plausúq; & voce repentè

Turbant

Turbant concilium, venientémq; agmine cingunt.
Tum fesso, & longè vestigia lenta trahenti
Occurrunt patri; multaq; salute receptum
Mox breuibus tectis statuunt, & corpora curant.
Iam ter ab Eois Titan excesserat Indis,
Cùm patri sedit, Trinacrida linquere terram.
Ergo omnem aggrediens cœtum, sic protinus infit.
Vidi equidem (ò superum iam tū indulgentia votis
Non diuersa meis) quàm læti flaminis aura
Res nostras successus alat: quo numine gentis
Castra Subasææ vulgò tentoria pandant:
Et quàm felices fortunatiq; labores
Iam credi possint nostri, diciq; ; beatis
Sedibus, ætherei quos Rex dignatur Olympi.
En modò quis cœtus, nemorum per opaca, sequentes
Dura Subasæi ritus insignia tantos,
Finibus his vnquam se posse offendere credat?
Quis; quot Iapygys inuenimus agmina campis,
Commemoret dictis? turbæ quæ littora egenæ,
Illic ignota, & nostræ non hospita genti?
Horrores qui lucorum, nemorúmq; recessus
Immunes inopum cultus, ritúsq; Subasij?
Ergo agite ò socij tantos agnoscite honores.
At verò angustæ quòd vos incommoda vitæ,
Expertes & opum, simul expertésq; quieti
Hospitij, malè suada premant; iam muneris esse
Credite diuini: neq; enim solia aurea cæli,
Luxuries quos atra fouet, turpisq; voluptas;
Promeruisse queunt, nec sese tollere in auras

Altin

Altius æthereas, cuneisq́; inferre beatis.
Tartareos sed adire lacus, stygiaq́; necesse est
Nocte premi, æternoq́; vrgeri carcere, & igni.
Vos autem; quibus è cælo spectabile lumen
Affulsit, dudumq́; animis penetralibus hæsit;
Quo nunc exemptis, errorum ambagibus atris,
Et sperare polum fas est, & cernere verum;
Accipite hæc quæ dicam hodie, & date mentibus imis.
Durum iter, arcte, altum, præceps, immane, tremẽdũ;
Quà vocat, & magnis hortatibus aurea virtus,
Ire adeò nobis dux prudentissima suadet.
Sed iam contrà acies deflectite luminis ambas:
Et pariter spectate deam, spectate supremo,
Quam posuit celsi montis sibi vertice, sedem.
Nimirum æthereis illic splendoribus ædes
Extructæ effulgent: stat formosissima moles:
Aurea, vestibulo in magno, mox prima teruntur
Limina; compages laterum aurea surgit, & aureum
Tectum omne auratis incumbit ritè columnis.
At circùm ex altis vulgò numerosa trophæis
Dependent spolia, Heroum immortalia quondam
Et decora, & longum rerum monumenta per æuum.
Hic tandem (ò vestras spes discite) seruat alumnis
Diua suis, non mortalem, fatisq́; malignis
Mercedem addictam: at lætos sine labe triumphos,
Ociáq; occasus ignara, & gaudia: quæ, quis
Dixerit? haud fas hic bona tanta efferre loquendo.
Et nunc ergo animos certatim attollite, & altum
Arripite ò virtutis iter: neu terreat acer
Vos

Vos labor: ite vltro duris assuescite rebus:
Atq; animos durate malis, durate niuali
Membra gelu. ne magna quidem, ne clara putanda est
Gloria, per duros veniat nisi parta labores:
At quæ vim passa est validam, nisusq; per acres
Trita diu; extremos nequicquam sentiet ignes,
Nec cineres visura rogi est: sed læta per auras
Inserpens, claris sese mox implicat astris:
Iam verò o socij tempus monet, ipsáq; rerum
Conditio impendens meme hinc excedere cogit.
Vos autem vnanimi iam dudum pace iugati
Este pij, synceriq;, & date mutua amoris
Vincla hærere animis: fœda sit nescia culpæ
Vita, pijq; habitent syncero in pectore mores.
Hæc postquam: hærentem compellat voce Lyænon.
Atq; vna ad portum tendunt, sociósq; relinquunt.
Olli supplicibus votis comitantur euntes:
Et lætum pariter cursum properantibus orant.
Interea molles (sic numen agebat) ad vndas
Stabat subducta vacuus de more phaselo
Rector: hic Heroas venientes occupat vltro
Mox prior, inuitatq; rati: simul accipit ambos,
Ingentes paruæ vectores puppe ferendos.
Nec mora longa, notos vndantia vela secundos
Accipiunt: flatu ratis acta, & numine dextro,
Læta secat fluctus: validis Neptunus habenis
Instat aquis, currúq; premit sternitq; sonanti.
Subsidunt vndæ: Thetis, & chorus excitus omnis
Nereidum circumsiliunt, lustrántq; choreis,

Impelluntq; citam dextra, læuáq; carinam,
Haud nandi ignara. Velox fugit illa per vndas:
Donec Sebethi formoso in margine sidat,
Semiferæq; altam contingat virginis vrnam.
Franciscus verò cum primum littoris ora
Constitit Ausonij; sic fidum voce Lyænon
Affatur prior: en votis labor omnis abundè
Plenis noster yt: nec non expleta volucris
Aetherei mandata: vrget super vna laboris,
Quæ nos ad flauum reuehat iam, cura Subasum.
Hinc modo carpe viam, sequar ipse, agè præuius ito.
Nona (ego ni fallor) cùm se lux fessa sub vndas
Condet Atlanteas; prima cum nocte Subaso
Reddet, & ætheræ dominæ nos sistet ad aras.
Hæc effatus: & vna excitis paßibus ambo
Corripiunt iter. Extorrem; iam longa per oras
Ignotas terræ, & ventosa per æquora ponti,
Pérq; hominum immanes ritus, gentésq; feroces,
Vsque adeò expertum charæ discrimina vitæ;
Sic domus, & nati, coniuxq; pudica reposcunt.
Iámq; adeò vallésq; cauas, collésq; supinos
Transiliunt: iámq; Iliadæ superantia longè
Mœnia prospiciunt, septenáq; culmina Romæ.
Accelerant, auidi geminorum limina diuum
Visere (tantùm animis ea cura recursat) & alta
Iam porta excepti; mox sancta ad templa subibant.
Summißi diuos precibus venerantur, & vrnis
Suppliciter geminis geminata ter oscula figunt.
Dijs vbi factus honos, & casta mente litatum;

Nos iter abruptum reuocat (pater inquit) & vna
Corripiuntq; viam, templumq;, & mœnia linquunt.
Accipit egressos regio mox limite claro,
Flaminia qua strata manu saxa aspera fulgent.
Et iam piniferi dextra latera ardua radunt
Soractis: mox te saxoso in vertice linquunt
Narnia: teq; albo pingues Nar flumine campos
Scindentem euadunt: nec dehinc mora longa Subasum,
Reginæq; poli propius sacra culmina cernunt.
Interea socijs optatum nuntia patris
Fama canit reditum, Francisci & amabile nomen
Haud dubio præcone sonat: simul ipse propinquans,
Iam tum improuiso Reginæ templa subibat
Aetherea: sed enim longo haud post tempore, turbæ
Conueniunt auidæ Heroem de more loquentem
Audire, & sanctas virtutes rite doceri.
Quas ille & placidis monitis, vnáq; seueris
Prosequitur dictis: & hiantia risibus implet
Corda pijs, mentesq; docet seruare pudicas.
Quin etiam ipse vltro assueto de more frequentes
Inuisit populos: vicos, rura, oppida vulgo
Percurrens, diuina canit præcepta, minasq;
Commemorat diuum infensas, scelerumq; malorum
Vltrices pœnas instare nocentibus atras
Commonet: inde animos acuens; simul aurea contra
Præmia virtutum ostendit: clarósq; triumphos
Effulgere polo, & quondam expectare beatas
Felicesq; animas. Ille hæc canit: auribus astant
Arrectis populi, mentésq; ad sidera tollunt:

Hæc inter, magno circum labentibus astris
Orbe poli; auratam vergens puer aureus vrnam,
Aurato, auricomi perfuderat imbre iugales
Auricomos Phœbi; & iam mitior ire solutis
Alma dies nimbis: cùm iam pater ocia mentis
Tranquillæ Franciscus agens; lætabile magni
Oranda hospitium reminiscitur: altáq; sedis
Colloquia arcana, penetraliáq; intima tantùm
Conscia sermonum, simul & memorabile primæ
Fœdus amicitiæ, & nemorosa dona Lauernæ;
Cuncta animo subsunt: dextræ data dextra, fidésq;
Iam reditum exposcunt promissum & tempora suadent.
Sed quid agat? quo nam respondeat ordine rebus
Diuersis? nam parte alia, venerabile magnæ
Reginæ oraclum, & mandata impensius vrgent.
Ergo multa animum nunc huc, nunc diuidit illuc,
Ancipitémq; trahit: cùm tandem numina patris
Cælicolum implorat, suppléxq; ita voce precatur.
Tu pater; vnde genus nobis, arcessimus vnde
Aethereos sensus lux vnde, & spiritus astris;
Vnde ignis vegetúsq; calor, vnde aura caducis
Rebus inest; animi dubium bonus aspice meme:
Ignarúmq; viæ tu dux rege: limite, monstra,
Quo me ferre pedem iubeas: quid postulet vsus
Ostendas: propiúsq; adsis pater optime cœptis.
Tum vires animúmq; foue: tandémq; labores
Da mites simul ire, & certo fine potiri.
His ille orabat dictis: vnáq; repente
Affulget tonitrus læua de parte coruscans.

Prosequitur

Prosequitur subitò è media Vox reddita luce.
Tu; tibi quæ mandat diuum Regina; necesse est
Expedias: primus labor hic te agit: arduus Vltro
Ecce aditus rerum sese offert: eia agè mox te
Lætitia excipiet: cùm tu numerosa tuorum
Agmina natorum aspicies: ne defice rebus
Sub tantis animi Victus: nam præside magna
Diua, opus hoc geris: haud tanto sub numine fas est
Formidare tibi. mox Verò his ritè peractis;
Festinum Hetruscus te iure reposcit amicus.
Vox tantum: auditu primùm Vir constitit hærens,
Obtutuq; oculos defixus inhorruit: at mox;
Lætitia postquam exorta, Vis reddita menti est;
Accingit sese curis, animumq; Vigentem,
Rerum adeò Versat successum, agitatq; per omnem.
Tum Verò accersit fidum de more Lyænon,
Consiliumq; aperit, totisq; ex ordine rebus
Edictis; certumq; facit, mandatq; subinde
Certa ministerio quam primùm explenda fideli
Munia, sollicitiq; nempe exposcentia curam
Structoris: subit ille animo mandata Volenti,
Nec secus ac iussus (medij breuis hora) facessit.
Interea comitum simul omnis conscia rerum
Fit turba: læto paruas rumore per ædes
Vox resonat, tempus iam tum aduentare petitum,
Tota Subasææ quo mox simul agmina gentis
Conueniant certam ad sedem: numerumq; suorum,
Nominaq;, atq; acies, & sacra insignia discat
Franciscus pater ipse ducum: & præclara Subasi

Gloria,

Gloria, quáq; Indos, & quà sol spectat Iberos,
Fulgeat, ac sublime caput tandem inferat astris.
His inopum cœtus tum sic rumoribus actus,
Instaurat sacros cantus, atq; acrius instat
Ritibus æthereis; donisq; impensius aras
Instruit, ingeminans cultus, & laudis honores.
Scilicet imploratq; deos, summumq; deorum
Supplicibus votis genitorem, animisq; precatur.
Regina sedenim æthereæ spectabile numen
Multa vocat: tantiq; assuetam numinis auram,
Auxiliiq; exposcit opem: euentumq; negoci
Felicem exorat magni: tandemq; vocatu
Indigetes crebro, & precibus compellat amicos.
At pater (hîc primùm rebus fortuna gerendis
Nimirum oblata est par, atq; accommoda visa)
Centurias gentis mox ritè Subasidis omnes
Ad sese acciri sistiq; ex ordine curat.
Præcipuè verò iussis, ductoribus instat,
Conueniant multa edicens; iam tum ipse coactos
Quos adeò vnà omnes optat spectare: quibuscum
Opportuna queat magnis de rebus habere
Consilia, atq; acres iusto simul ordine curas
Quondam partiri, & duros æquare labores.
Nec non & leges, &, qui modò traditus, ordo
Vitaq; & cultus, quo iam venerentur honore,
Explorare optat: num liba, & munia diuis
Nosse cupit, num iugis honor præfulgeat aris.
Ergo adeò cursum simul accelerare iubentur,
Flauaq; conuentu celebri petere arua Subasi,

Et sacra aetherea delubra inuisere Diuae.

Nuntia fama volat, primùm vulgata per vrbes
Finitimas (nec dehinc mora) tollitur alta per auras:
Nubiláq; atra secans cursum rapit excita, & oras
Externas inuisit ouans: longéq; repostos
Sese agit in populos, vigil immunisq; quietis:
Donec sublimi, celeriq; impulsa volatu,
Limina cuncta manu gentis contingat egenae.
Atq; improuisò mandata vrgentia cursum
Concilium ad magnum, valuis affigat apertis.

Tum verò vna adeò cunctos idem ardor eundi
Vrget: amant omnes quàm primùm linquere sedes,
Quisq; suas: haud animos labor: haud perplexa viarũ
Territat ambages: Heroa audire loquentem
Tam magis exardent, quàm lux magis aurea gliscit
Vsq; viri, nomenq; ingens crebrescit vbiq;.

Nec mora, iam è cunctis egressae partibus ibant
Centuriae, flauiq; petebant arua Subasi.
Non tamen effusas paßim, ac sine lege ruentes
Ire datum: sed quaeq; suum de more caterua
Ductorem insequitur, certóq; iter ordine tendit.

At tu magne pater (tibi primùm haec agmina nosse,
Signa, duces, structásq; datum lustrare cohortes:
Nobis iam facti seriem longa occulit aetas)
Pande modò: quam, quasq; ducum, quibus egit ab oris,
Tunc aciem: flaua dic deinde è rupe Subasus
Arduus aspexit tentoria quanta per agros,
Tam multas, tam diuersas coijsse sub vno
Nomine demirans gentes: dic deniq; pubis

Tam spernacis opum, & iam tum simul omnium egenæ
Agmina, quod numen cælo respexit ab alto:
Quis deus auxilio victus, aduenerit illis,
Gramineosq; toros, positasq; sub arbore mensas
Struxerit, extemplóq; epulis onerarit abundè.
Prima; Lauernigenæ passim quæ Tybridis oras
Fœcundas abiuncta locis, quæq; arua Subasi
Flaua colit, quam sulphurea Nar albidus vnda
Alluit, & niueo Clitumnus gurgite creber
Perfundit; generosa cohors, duce lecta sub vno
Ingreditur: non hac è toto pulchior vlla
Succedit numero: nulla hac violentius atras
Eumenidas premit, & regnis insultat auernis
Acrius. omnis eam legio miratur euntem:
Attonitisq; inhians animis hanc suspicit vnam,
Ipsa caput populis, sceptróq; insignis eburno,
Incessu Regina grauis sacra arua pererrat,
Mente polos atq; astra tenens, animóq; furentes
Proculcans hostes, stygiæ fera monstra paludis.
Post hanc, Picenis è collibus exilit ardens
Signa improuiso attollens, pulchrisq; sub armis
Effulgens ductor: totum cui protinus agmen
A tergo subit: & longo micat ordine pubes,
Gens quippe haud virtutis egens, haud indiga laudis,
Nil armorum expers, molli haud assueta quieti,
Non ignara mali: qualis sub nocte minores
Astrorum currus intermicat aurea Phœbe,
Iam luce aduersa fraternæ lampados icta.
Nanq; vt flauicomo vicinior alta Subaso
Castra

Castra tenet; magnumq́ patrem vel prima vocantem
Audiuit, captaq; ducis stipe, fortibus ausis,
Addixit sese castris, patriq́ vocanti;
Viribus inuictis, ita clara, animuq́ superba,
Nequicquam trepidans, nequicquam bella perhorrens,
Ardua signa fouet: lætusq́ onerare triumphis
Festinat: tantos versat sub pectore honores!
Hinc & Tarpeij supremo in culmine saxi,
Assuetus lustrare suos, & cogere cœtus,
Et mulcere rudes, & fortibus addere sæua
Iura animis; cano præfulgens vertice ductor
Procedit: tota non hoc maturior æuo,
It turba: & Pylios cui iam non aspera soles
Fata negent, dignus: iuxta hunc Aeneia sese
Prima acies infert: cui mox bonus incola sacri
Soractis, comites nequicquam adiungit inertes.
Addunt se læti celso de colle Falisci.
Et qui Vestinos rastris & vomere curuo
Exercent colles; Marruciniq́ coloni
Accedunt, caniq́ ducis sub nomine fulgent:
Adsunt qui gelidos vrna potuq́ Velinos
Exagitant fontes, & Rosea vomeris vnco
Arua insectantur: mittunt Aniena magistro
Flumina longæuo, lectissima corda virorum.
Mittit opes Anxur niueum, crebrosq́ colonos
Delegat Pontina palus, delegat & Vfens.
Insuper herbosis Marsorum è montibus acres
Adsunt tyrones, tetricaq; è plebe Sabella:
Durum vtrunq; genus: quibus & pastorius omnem

Mos cultum victumq; dabat: sed prouidus illis
Demulcensq; animos dictis, & pectora lambens
Signifer ore pio; sæuos mansuescere sensus
Edocuit: legésq; pati monitúsq; coegit.
Centum aliæ, ex alijs vicis, insignibus altis
Romulidæ sese ducis, addixere cateruæ.
Nec mora, continuò, longo structa ordine latos
Linquit Iapygiæ campos, signa alta ferente
Sub duce, læta manus: patriā huic vnā, aut genus vnū
Nec mores, nec lingua sonant: quanquam omnibus idem
Cultus, idem studium: & cura raptantur eadem.
Nanq; hos dux, Solymi deduxit mœnibus: illos
Plebs Canusina dedit: gelidis dehinc Fucinus vndis
Mille alios misit, corda indefessa labore.
Tum variæ gentes; magnus quas vertice ab alto,
Per latos sparsas Garganus prospicit agros,
Garganus duce sidereo, temploq; superbus
Augusto, ingenti; atq; argento diuite, & auro:
Fumoso horrifici cui fornice mille sub antri,
Igne calent aræ vigili; redolentq; Sabæas;
Et Cilicum messes, sertisq; virentibus halant;
Agmina dant passim: mittuntq; ex ordine cœtus,
Quos Salentini, quos educat ipse Neætus,
Quos Sybaris, Samiæ quos mœnia docta Crotonis,
Quósq; Arpi, atq; Hydrus, Lacedæmoniúmq; Tarētū.
Accedunt acies, mittunt quas ritè coactas
Olim Romano spumantes sanguine Cannæ.
Tum, quæ Sebethi ripas, cinerésq; vetustos
Sirenis liquere, adsunt, atq; agmine denso

Signa ducis stipant hilares: quibus ordine Locri
Naricij dant se comites: tum deniq; iungit,
Littore ab extremo, postremum Rhegion agmen.
Cesserat Hesperia, Siculumq́; euaserat æquor
Fama Subasæ conuentus nuntia: iámq;
Sicaniæ tota ora fremit: móxq; indiga pubes
Feruet amore viæ, studióq; ardescit eundi.
Tum bonus exurgens dux, atq; insignia tollens
Læta manu; ciet ingenti clamore phalanges.
Nec mora, festinant: cœtus simul vndiq; lecti,
Quisq; suam, linquunt sedes. Zanclea vocanti
Ductori mox prima acies, non segnibus ausis,
Hæret: eam Arctoi linquens angusta Pelori
Littora subsequitur: tum quæ saxa alta Pachyni
Incolit imbriferi, subit: huic Lilybæia sese
Agglomerat pubes, ijsdemq́; insignibus hæret.
Cætera confuso varias gens ordine sedes
Linquit: adest Erycis cultor: properantq́; cateruæ,
Quas Agragas præcelsus alit: quæ mitis Elori
Stagna bibunt: & quæ circum Symethon aquantur:
Quæq́; Arethuseos permiscent ore liquores:
Et Cyanes haustu lachrymas vrnáq; frequentant.
Adsunt, quas Drepani littus, quasq́; alta Panhormi
Siue antris tectas, seu lucis, mœnia pascunt.
Iámq; instructa omnis legio vndas classe premebat,
Naufraga quà ponti rabies, visq́; effera, littus
Hinc Italum angusto, siculum illinc proluit æstu.
Iam vasto epotos reuomentem gurgite fluctus
Zancleam è summa spectabat puppe Charybdin:

Plenâq; circuitu flectebat carbasa læuum
In latus, æquoreis canibus resonantia Scyllæ
Sub rupe aduersa deuitans ora biformis.
Tum verò optatos velis à puppe sequentes
Dat Zephiros: rapit acta leui placida æquora cursu,
Et læta Euboico potitur mox littore claßis.
Emicat in siccum, primóq; in margine pubes
Constitit omnis; eam monitis, victúq; refectam,
Dux bonus, accingiq; viæ, longóq; labori
Hortatur: parent omnes hortatibus: at lux
Nona Subasæis parentes sistit in agris.
Interea parte ex alia, percurrit Hetruscos
Fama agros, scandit montes, cæca antra recludit,
Inuisit lucos, nemorumq; silentia rumpit.
Tum verò effulgens pulchris dux pulcher in armis,
Attollit signa, & cœtus vocat vndiq; egenos.
Haud mora, continuò primi; quos sufficit Arnus,
Arnus florentem pulchro qui diuidit vrbem
Amne, secatq; agros cursu formosus amœno;
Aßistunt vltro: sequitur dehinc mœnia linquens
Arretina acies: tum quæ Clusina frequentat
Arua; errore latent non extricabilis vrnæ
Quà cineres Porsenna tui; subit agmine læto.
Huic sese comites addunt qui littoris oram
Piscosam Thrasimene tui, tenuesq; phaselos,
Retiáq;, & remos, hudo cum fœnore linquunt.
Insuper Alpheæ Tyrrhena insignia Pisæ
Nequicquam exosæ; Tusca de gente petitis,
Ascitisq; sibi castra indiga cœtibus augent.

Ergo

Ergo ibat tum ductor ouans: iamq; arua Subasi
Læta tenens; acies Diuæ sistebat ad aras.
Hîc improuisò dux imperterritus oris
Astat ab Adriacis, longóq; agit ordine gentes
Tergeminas: ipse in medio, præstantibus ausis,
Vertitur ore canens, dextráq; arma indiga tollit,
Tam magis effulgens, & claro lætus honore,
Quàm magis innumeræ cælo se gloria gentis
Attollit. Primos huic; quam tu flumine mitis
Rhene secas paruo; Phœbea Bononia cœtus
Subycit: hos sequitur quæ linquit Ariminon, & quæ
Scindit arenosi Rubiconis littora, pubes.
Tum; quæ cœnosæ liquerunt arua Rauennæ;
Accedunt, hilaresq; ducem comitantur euntem
Ritè manus: mox centum aliæ: quas deinde per oras
Littoreas, passim obscuro sub nomine pagi,
Et claræ legere Vrbes, populiq; potentes.
Hæ simul vnanimes Heroem ad sidera tollunt
Voce Subasæum, lætæq; vnà illius omnes
Facta canunt: vt siderei iam diruta Regis
Instauret castra: vt magni regalia tecta
Præsulis attollat: sacram vt suffulciat ædem.
Ceu; dum Meandri, seu per vada nota Caystri,
Iam pastu saturi, iam tum raptoris obuncum
Nil formidantes rostrum, læto agmine cygni
Dant niuei cantus; stagna alta amnisq; canoris
Respondent modulis, & florida prata resultant.
Continuò his nec more adeò, nec sanguine distans,
Immiscet cœtus sese: huic genus Eridanus Rex,

Eridanus pater Hesperidum, ac generator aquarum:
Flumine qui centum pagos, centum alluit Vrbes:
Ingentiq; hominum centenis Vsibus, alueo,
Nec Vectare rates, campis nec fundere riuos
Desinit, auulsasq; trabes deuoluere: donec
Fluctibus Adriacis pronum caput altius abdat:
Et septemgeminis proscindat cornibus æquor.
Ergo hic ductori circum sua flumina gentes
Aduocat in cœtus: celeri mox Vndiq; cursu
Læta acies properant: Athesin prima agmina linquunt:
Exin Ticini ripis assueta Vadosi
Aduenîunt: & tu (melior nunc, aspera quondam
Damna ferens, spectare tuas dum sanguine ripas
Romano iuuat Vndantes, & læta triumphis
Gentis Agenoreæ cælo se gloria tollit)
Das cætum ò Trebia insignem fulgentibus armis.
Tu quoq; diues auis, lauróq; apprimà Virenti
Fulgida, Idumæisq; insignis Mantua palmis,
Vltro ades, agmen agens pulchræ pulcherrima gentis:
Et; qui te placido cursu, Vitreisq; fluentis
Alluit, & stagno pariter circundat inerti;
Lætus ab auricomo Benaci littore, cœtus
Expertos rerum comites tibi Mincius addit.
Abduáq; hinc, lambriq; tibi piscosa cateruas
Littora delegant crebras: struit Ollius inde
Transmittitq; acies: nec te Vicina Cremonæ
Mœnia deficiunt: ingentisq; accola Lari
Creber adest: cunctæ tibi enim tibi Mantua sese
Hæ comites iungunt acies, Vnáq; Volentes,
Tollunt

Tollunt Adriaci tecum pia signa magistri.
Tertius ecce virum, duce mox signisq; sub ijsdem,
Impiger exurgens, Venetis globus instat ab oris.
Huic se; prima manus, cineres antiquáq; magni
Busta Phrygis linquens, assuetáq; pinguia circum
Littora Medoaci latas suspendere glebas
Vomere, & aratis sudibus, de more, iuuencum
Terga fatigare, & duro fodere hispida ferro;
Admiscet: tum; qua non segnis Iapidis oram,
Et vada pracipitis linquit saxosa Timaui;
Plebs subit: & comiti mox sese interserit vltro.
Adsunt quos Aponus feruens excalfacit astu
Sulphureo: calidis hi tabida corpora lymphis
Mersare assueti; morbos, & cuspidis ictus
Mulcebant olim saeuos, atq; arte leuabant.
At nunc Phillyrides melior docet: altius illos
Numen agit, latos opera ad maiora relegat.
Hos super; Euganeos linquens denso agmine saltus,
Lanigerósq; greges spernens, hirtasq; capellas,
Spernens & mulctras dulci cum lacte capaces;
Aduenit coetus, syluestria pectora curis
Iam pridem exutus patrijs, iam sponte caducas
Dedignatus opes: ergo hi iam corpora duro
Exercent cultu: perq; acres ire labores,
Ignotisq; malis paulatim assuescere cogunt.
Puluere nuda premunt duro vestigia: lanis
Quasita externis, rigidóq; asperrima textu,
Tegmina habent membris: succingunt reste fluentes
Nodosa Endromidas; capiti tutamen ab armis

In morem pendet rigidum: quod sæpe reductum
Fronti; hyemem, nimbos, & solis temperat æstus.
Tot proceres dederant, tot lectos ordine cætus
Itala regna, patris Francisci signa ferentes:
Cùm procul apparet subitò gens extera, lingua
Tam diuersa sonans, latio quàm sanguine distans.
Ergo iter emensus longum, durósq; labores,
Alpinisq; iugis adeò post terga relictis;
Dux festinus adest: ingens quem Gallia mittit,
Gallia post Latias vrbes, quæ proxima subdit
Colla iugo monitisq; sacris, & ad ardua cogit
Signa Subasæi patris, non parca cohortes.
Ipse autem prior, & claris virtutibus ardens
Lætus init, læto sese fert ore priorem.
Ostentatq; animos: & viuida corda suorum
Accendit comitum; dictisq; hortatus amicis;
Ite, ait, hac nostris monitis tenus acta iuuentus,
Ite, viæ labor expletus: iam iamq; potiri
Francisco dabitur: iam fas erit ore propinquum
Compellare virum, paritérq; audire loquentem.
Vt vos diuini conspectus, & alta mangistri
Colloquia, vt patris monita intemerata iuuabunt!
Vt pulchrum nostra nomen de gente petitum
Iam iam dulce sonas! Latio vt iam sanguine gaudes
Ornari! mox tempus erit, cùm Caspia regna,
Quæq; ad hyperboreum penitus compulsa Booten,
Gens riget assiduis niuibus, canisq; pruinis;
Te simul audierint: te; quà niger auster arenas
Exiccat bibulas: quáq; occidit Hesperus, & quà

Exit ab oceani formosus lucifer vndis;
Ingentes populi numerosa per oppida norint.
Hæc ductor: peditum ductorem crebra sequuntur
Agmina, densanturq; manus, atq; ordine pompis
Solenni incedunt structis: sacra limina donec
Reginæ ingressæ diuum, vota anxia soluant.
Prima acies, vna ante alias; parnaßida quæ mox
Maßiliam linquens, dulcisq; feracia bacchi
Iugera; ductori se pridem adiunxerat vltro;
Ingreditur, comitumq; pio ciet agmina cantu:
Tum sequitur plebs læta, Araris quæ littora mitis
Curua tenet: quæq; ingentes vaga permeat oras,
Quà fœcunda pater Rhodanus secat incitus arua,
Et quà Tyrrheni turbat vada salsa bicorni
Fronte maris. sed præcipuè micat aurea pubes,
Glandiferos saltus, vmbrisq; nigerrima densis
Quæ nemora obseruat: gemmis vbi diues, & auro
Vrna tuos cineres Virgo Bethana recondit:
Virgo, quæ superum Regemq;, hominemq;, deumq;
Sæpe vna hospitio recipis, lautosq; paratu
Regali struis vna toros: manibusq; recentes
Hospitis vna tui das lymphas. pocula misces:
Sola penum tu ritè paras, tu sola penates
Messe adoles Arabum: tantóq; in munere segnem
Increpitas, querulâq; infestas voce sororem.
Quis te magna dei cultrix, atq; hospitis hospes
Siderei, quis facta pijs tua laudibus æquet?
Nam te squamigeri nequicquam Virgo draconis
Terruit os immane, ingens: frustra efferus altis
Attollens

Attollens cristis ardentia colla, veneno
Te petijt sæuo: quin tu imperterrita contrà,
Iam super ossa hominis, semesaq́; viscera fusum,
Mox aggressa; manu mulcens in vincla petisti.
Tu iuuenem rapidis elisum fluminis vndis;
Non ope phœbea, non vi non graminis vsu,
Sed prece mortali, diuum immortalia flectens
Corda potens; stygio reuocas, atq; eximis Orco:
Et rursum ætherei vesci das luminis aura.
Tu Gallum, Regem immanem, dominumq́; superbum,
Hospitis alma tui quondam venerabile numen,
Ore incessantem deridentemq́; prophano;
Aggrederis dictis audax, linguáq; magistra
Deijcis, exturbasq́, fugasq́; è corde furorem:
Iamq́; animi victum, iam tum meliora sonantem
Ore pio; immersum sacri tu fluminis vnda
Attollis: puroq́; auræ iam simplicis igne
Fulgentem, ætherëis tu prouida sedibus infers.
Salue Diua poli decus, & Cynosura profundi.
Adsis ò placidoq́; inuisas numine terras.
Interea gentis seriem, numerumq́; sequamur,
Æquemusq́; tuos cantu bona Gallia ciues,
Læta Subasæis quos vltro insignibus addis.
Accola deinde tuæ formose Druentia cœtus
Succedit ripæ, ripæ felicis: amores
Tyrrhenum de more suos, quæ sæpe canentem,
Mulcentemq́; lyra nemora alta, & mœnia Vatem,
Audijt, arrisitq́, assultauitq́; canenti.
Hunc sequitur delecta cohors: quæ cesserat agris

Vltro Santonicis: & quæ limosa Garumnæ
Alluuio, pridem rastris inuerterat arua.
Instant Bellouaci post has: dehinc Lingones acres,
Iam tum animis mites, naturaliq́ue furore
Iam corda exuti: tum; quos, per saxa fragosum
Præcipitans cursum, rapidis Liger excitat vndis.
Hos super accedunt; seu clara per oppida vulgó,
Siue per obscuros assueta ducere pagos
Esseda; mille manus: omnes quas Sequana præceps
Delegit, Latioq́ue patri transmisit ouantes.
Tanta hæc obtutu, celsa de rupe Subasus
Agmina deuexo spectarat: & ecce subortus
Alter ab Hesperio gentis globus emicat orbe.
Miratur legio omnis hians: stupet ipse Subasus
Externa de gente ducem, peditumq́ue sequentum
Instructas in morem acies longo ordine: quas tu
Vltro ad Romanos transmittis Iberia campos;
Franciscique volens castris addicis egenis:
Iam melior, diuumq́ue pijs iam nutibus acta:
Iam tristis; quòd in arma ruis, quodq́ue impia, ferro;
Velatos olea, & niueæ felicia quondam
Vltro oratores pacis tibi dona ferentes;
Excipis, innocuosq́ue obtruncas, nescia quantum
Molirere nefas, quanti rea criminis esses.
At verò, quos tu crudelis vulnere sæuo,
Heroas, vita spolias, Rex altus Olympi,
Casibus exemptos diris, interserit astris.
Ergo ibat ductor: quem mox prima agminis ala
Paßibus æquabat, rutilos turbare meatus
Quondam

Quondam assueta Tagi, & flauas subuoluere arenas,
Tam magis exardens, simul & virtute nitescens,
Quàm minus effulgens patrij iam fluminis auro.
Huic verò insignis flaua Tritonide Bethys,
Continuò socias præclara è gente petitas
Addiderat bonus ipse manus, corda inscia fraudum,
Et durata malis, assuetáq; parcere mensis.
Nec minus, ingentes fœcundans maximus agros
Iunxerat & comites certatim, haud parcus Iberus.
Et qui Pyrenen tenet altam accesserat, & qui
Herculeam Calpen, Tartaßiáq; arua frequentat
Talis init, tantis cuneis stipatus ab orbe
Ductor Atlanteo, tali ciet ordine pompas.
Interea occiduo sol aureus igne rubescit:
Fumiferasq; vrget deuexa Tethyos vndas.
Astrigerum toto sensim nox humida cælo
Attollit caput, & terras obnubit inertes,
Componitq; hominum curas, motusq; ferarum.
Tum proceres cogunt fessas, currantq; phalanges,
Quisq; suam, seræq; iubent dare membra quieti.
Fit strepitus primùm lenis: suus occupat artus
Mox sopor extructos, & iuncea tecta silescunt.

FRANCISCI MAVRI HISPELLATIS MINORIDAE FRANCISCIADOS, LIB. XI.

VT pompa ingentis seriem, procerumq; senatum,
Magnaminosq; Duces, totiusq; ordine gentis
Agmina lustrauit Franciscus: vt ire per oras
Longinquas Italum decus audijt: vtq; sonorem
Nominis ipse sui latè volitare per orbem,
Externasq; inter sua iam tum effulgere signa
Accepit gentes; stetit, obtutuq; reducto,
Ora solo defixa tenens, immobilis hæsit.
At postquam excussus stupor horridus: ac simul acer
Attonitæ excitus mentis vigor; ilicet vnà
Et moles rerum tantarum, atq; exitus anceps
Fortunæ, incubuere animo: tum fluctuat æstu
Curarum ingenti, nunc huc, nunc incitus illuc.
Mox verò (haud etenim, queat vnde exposcere egenis
Auxilium rebus, quicquam mortale repertum est)
Suspicit æthereos ignes: & mente beatas
Perlustrat sedes: tum compellare deorum
Quem prius ore queat, quem dehinc in vota vocare,
Multà animo versat: simul & cunctatur in omnes.
Ergo altè in castris dum ritè siletur: & omnem
Somnus habet turbam: mediumq; agit aurea Phœbe

Per

Per cælum niueos currus: noctisq; minores
Diffugiunt, totoq; ignes caput æthere condunt;
Protinus in morem templo bonus astitit Heros:
Affususq; aris dedit imo has pectore voces.
Magne hominum diuumq; opifex; cui lucidus æther
Seruit ouans, paret tellus: cui marmoris vndæ
Fluctisonæ sese sternunt: cui Tartarus horrens,
Et chaos, atq; vmbræ, vmbrarumq; inamabile regnum
Cum duce, cum solio, cum gente, a sedibus imis
Attremit infanda: cui mille, per atria cæli
Aligera de plebe micant, diuersaq; seruant
Castra, locis diuersæ acies: atq; aurea circum
Ter solia, & medium te, cingunt ordine trino;
Aspice fœturam nostræ, læta aspice gentis
Incrementa pater: placidus, vultuq; sereno
Adsis ò, faustóq; veni pede: numine dextro;
Axilióq; iuues nos ardua cœpta mouentes.
Quales bissenas acies, pater optime, quondam
Bissenum accipimus natas è sanguine fratrum,
Dum Pelusiaci latas prope fluminis vndas
Astant mœrentes opera ad seruilia regis,
Et iussa immanis, deuincti sæua facessunt:
Quas dehinc, vt multa, ærumnis, dominiq; superbi
Imperio ereptas, tu per vada sicca profundi
Ducis Erithrei, tutóq; in littore sistis,
Errantésq; diu per lustra horrenda ferarum,
Tu bonus æthereis epulis das ire refectas:
Talem hæc sese infert legio, atq; insignibus vltro
Subiecit nostris: nec prælia dura recusat.

Imò (ò nunc genitor tantos ne sperne labores)
Exutam iam cerne opibus: cerne omnium egenam,
Externas vltro, atq; ignotas ire per oras.
At tu magne parens, nutu qui sidera torques;
Si; quòd squamigerum pecudes, mutásq; natantes
Monstriferis tot marmor alit, conditq; sub vndis:
Greßigerum tellus aciet tot sustinet: aër
Tot volucrum pascit; diuini muneris vnum
Te pater auctorem facimus, meritasq; dicamus,
Instruimusq; aras, laudumq; sacramus honores;
Dexter ades, bonus affer opem, rogo suffice pastum
Alme hodie: res poscit inops: nec iam exigo lautum:
Frugis opus sat erit properatum: luxus abesto:
Stat sedare famem, non irritare profectò.
Sic orans, arásq; tenens; hæc audit ab aris.
Macte animo, macte eximiæ virtutis amore:
Parce metu; mitte ardentem de pectore curam.
Ò nimium dilecte deis: non hi tibi cœtus
Aere tuo Francisce merent: tu signifer illis,
Rege iubente alio, cui mox alere agmina cura,
Cuiq; auctoratas acies parere necesse est.
Hæc vox: dehinc nitida cæli de parte sereni,
Continuò pater omnipotens, ter fulgure claro
Intonuit læuum: ac prætentam excindere nubem
Igneus euardensq; globus radiante corona,
Visus, térq; aras flammis ambire coruscis.
Diriguit visu, mentemq; exterritus Heros
Cælesti fulgore; manus deuolit in ambas
Extemplò vultum, deiectáq; lumina condit.

Dum vero attonitus visa haec pater obstupet inter:
Castra per alta, suum in morem, iam strata relinquens
Omnis ad assuetas pubes sese excitat ultro
Excubias: sed non eadem cura omnibus instat,
Non idem exercet labor: hi, quae maxima turba est,
Iuncea tecta fouent soli, diuosq; precantur:
Libáq; dant magno diuum intemerata parenti:
Scilicet haud fibras pecudum, non thuris honores,
Non prosecta focis adolent: sed candida puro
Corda animo, veniam gemitu votisq; rogantes.
Hi coeunt simul, ad cantus de more parati
Alternos hinc, inde chori: Regisq; deorum
Egregias dicunt laudes, diuináq; facta
Voce ferunt: Vt crudelis post funera mortis,
Tartarei valida confregerit ostia Ditis
Alta manu: Vtq; elisum in vincla petiuerit ipsum,
Ore eructantem flammam, atq; immanè frementem:
Vtq; auras spolijs Orci remearit onustus
Ad superas: patrium tandem vt sublimis Olympum,
Nubiuagum molitus iter, voluciq; citatus
Ascensu intrarit: tonitrúq; vt deinde corusco,
Igne ruente polo, & magno quassante fragore,
Ipse suam pubem diuina incenderit aura.
Sunt, quibus & cordi est arcana volumina Vatum
Sollicita versare manu: penitusq; sub altis
Sacra animis monumenta virum mansura recondunt.
Qualis agit media vis acres nocte Molossos,
Dum pauidas sopor altus oues, ouiumq; magistros
Strauit, & obscuris nox imbribus aspera, caulae
Formidare

Formidare monet furem, incursusq́ luperum;
Talis sollicitas insopitasq́ cohortes
Cura vrget, longáq; premens sub nocte fatigat.
Interea croceos byuges Aurora citabat,
Purpureumq́ caput vastis tollebat ab vndis
Oceani, primumq́ nouis fulgoribus altos
Paulatim accendens montes; de more quietos
Rumpebat volucrum, pecudumq́, hominumq́ sopores;
Et motum, & duros referebat certa labores.
Et iam sacra dies claro fulgebat Olympo,
Scilicet æthereo quæ cantat ab axe ruentem,
Igne sonante, deum, cumulatq́ altaria donis,
Annua solennes recolens ex ordine pompas.
Tum verò insonuit totis vox incita castris,
Ad commissa vocans lætam comitia pubem.
Excitæ confestim acies, longo agmine, circum
Cunctæ ad gramineum tendunt; niger ilice densa,
Et sacer antiquæ cui relligionis honore,
Aestum adeò lucus, ramis frondentibus arcet.
Quas inter, medius dux ipse Subasius ibat.
Postquam consessu structo, se cætera pubes
Composuit, densisq́ manus micuere sedentes
Ordinibus; suggestum, operi de more paratum
Quod certo pridem stabat, pater impiger altum
Franciscus scandens superat: turbam eminus omnem
Vnde oculis legere aduersam, atq; agnoscere poßit.
Moxq́ infit: consessus, eo dicente, silescit.
O proceres, gens sacra deo, caligine cæca
Qui iam discissa rerum, excußisq́ tenebris

Errorum; aspicitis verum: iamq; æthera tantùm
Intrepidi, obnixiq; adeò perflatis anhelo
Pectore: quiq; animos fatis, dubiæq; malignis
Casibus exempti fortunæ; mentis ab arce
Tranquillæ excelsa fraudes ridetis inanes:
Vanaq; despicitis subter bacchantia vulgò
Castra voluptatis: qui gaudia cæca, metusq;
Calcatis trepidos, & falsas abnuitis spes;
Diuino en hodie (nec vos latet) annua ritu,
Expleto redit orbe dies: qua rector Olympi,
Idem opifex rerum, diuumq; repertor, ab alta
Sede poli labente deo, tonitruq; corusco
Scintillante; olim penitus labefacta virorum
Bissenum rutilis incendit pectora flammis.
Ignarasq; situ mentes animósq; vetusto
Exuit, excoluitq; manu: ac bonus arte magistra
Erudiens, magno simul inflammauit amore.
Nunc ergo (neq; enim reor huc sine numine diuum
Agmina diuersis tanta hæc è partibus orbis,
Conuenisse hodie) nequicquam mollibus orsis
Vos equidem aggrediar, leuibusue exordia dictis
Instituam nostri sermonis: at ordine vobis
Expediam; quis amor, quæ tanti causa vocatus
Me tenuit: cur tanta pati, cur aspera cogam
Vos spatia ire viæ, patriosq; relinquere fines.
Præterea monitus nostros, mandatáq;, vobis
Quæ dedimus, vos hîc audire, iterumq; doceri
Fas monet: edicit ratio: sacra tempora suadent:
Quò dehinc fixa animis, penitusq; reposta sub imis,
Non

Non vis ulla instans, non cæca oblivia mentis
Sedibus evaleant quondam exturbare quietis.
Ergo agite ò socij (neq; enim hoc ex agmine quenquã
Fas torpere animis, tantóue in munere segnem,
In sanctas cessare preces, aut parcere votis.)
Hunc mecum celebrate diem: instauremus honores
Cælicolis meritos, linguáq; animóq; fauentes.
Aethereo primùm poscamus ab axe ruentem,
Igne sonante, deum, & flagrantem numinis auram.
Sic fatus, palmas supplex mox tollit vtrasq;.
Et iam surgentis radiantem lampada solis
Suspiciens (eadem toto simul ore fremente
Agmine) dulcisonis modulis prior incipit orans.
Aura pios inuise animos, ades alma creatrix;
Et nos, & tibi sacra, tuóq; effecta labore
Corda subi: donisq; tui pia numinis exple.
Quippe hominum tu sola graues solare labores,
Dona ferens diuina, patris simul ipsa supremi
Donum ingens, augustum, altum, regale, beatum.
Tu liquidis ardens amor ignibus: agmine tu fons
Iugè fluentisono, manans flagrantibus vndis.
Tu præpinguæ, animis quo ritè nitescimus, vnguen.
Tu septemgeminis decoras nos prodiga donis.
Diuinæ tu vis, tu vasta potentia dextræ.
Tu delapsa polo, penitusq; infusa per ora
Muta virum; insuetis quamprimùm vocibus imples.
Ergo & siderea da luce effulgere sensus,
Effætasq; foue mentes simul igne corusco.
Tu requiem præbe fessis, ægrisq; salutem

Corporibus, validumq́ attritis suffice robur.
Hoste procul pulso, placidæ tu candida pacis
Adsis dona ferens, tu dux exire malorum
Da nos incursus: da, præmonstrante magistra
Te sola, æquæua magnum cum prole parentem
Noscere: te medium, simul amborumq́ ligamen
Da colere indomitum: tandemq́ infusa per omnes
Ignea lux sensus, cæli da prendere sedes.
His vbi diuinus Franciscus concijt auram
Vocibus æthaream, rursumq́ intenta senatus
Agmina totius se composuere; silendi,
Haud mora, præceptum auditur: tum lætus ab alto,
Ore iterum insonuit pater, atq; ita voce sequutus.
Audieram ò proceres, ò pubes inclyta dudum,
Audieram nostros ritus, præceptáq; sacra
Extra Romanos fines, extráq; potentem
Iam tum adeò Hesperiam, celeri effugisse volatu:
Externasq́ inter gentes, populósq; feroces,
Iam modulis resonare pijs: monitisq́ volentes
Ritè Subasæis magnas parere cateruas.
Conuentusq́ virum ingentes coijsse sub alis
Nominis Ausonij, & iam nostra edicta vereri.
Hinc tanti causa accitus, hinc me ardor habebat,
Vos simul ò proceres coràm spectare vocatos
Concilium in magnum: curas de more quibuscum
Partiri ingentes possem, durósq; labores.
Principiò (haud temerè id) quãtò magis ardua nobis
Res versanda hodie, nos tantò impensius illam,
Consilijs animisq́ bonis onerare necesse est.

Sunt alij cœtus hominum pia castra per orbem
Metantes latè: sunt & sacra agmina paßim:
Quæ domitor rerum bonus assertorq́; piarum,
Romulides genitor fouet, obnubitq́; capaci
Obtentu sacræ chlamydis, dextraq́; tuetur.
Sunt itidem leges sanctæ, ritusq́; verendi:
Quos alijs posuere viri, tenerisq́; dederunt
Ductores sese fidos conuentibus vltro,
Quæsitósq; pij natos aluere magistri
Seruitio: monitisq́; sacris, atq; ore venusto
Lambentes placidè simul effinxere recentes.
Quæ verò extemplò, breuibusq́; exaucta diebus,
Vt nostra hæc, legio, surrexerit, vlla profectò
Haud nobis spectanda venit: non cœtibus vlla
Ocyus hæc, expleta sacris Respublica constat.
Ductor adhuc nullus sacer alta insignia tollens,
Tam subitò expleuit cuneis noua castra vocatis.
Quare agite (haud animos res tanta exposcit inertes)
Nunc vos in curas acres, partemq́; laborum,
Accipiam, sinite ò proceres: date corda volentes
Communi versanda, atq; exercenda labore.
Priuata ne vos adeò sub pace quietos
Esse iuuet: vocat vtilitas en publica: ne vos
Dißimulate animis, néue exhorrescite munus.
Aspicitis nostro, longè latéq; per orbem,
Quæ gens, quàm magni lustrentur nomine cœtus,
Ductorumq; manus quàm crebra, Subasia tollens
Signa; nouis iam tum stipet densa agmina castris.
Vos autem, dederim quæ iussa ab origine vobis,

Et memores estis, reor, & meminisse necesse est.
Nanq; vnum esse ducem, summū plebs cuncta ministrū
Quem dicat, docilisq; animo veneretur, ametq;
Iußimus: huic fas omne olim, imperijq; futurum
Nascentis regimen, totiusq; ordine gentis;
Tradidimus: rursum plena trieteride, functo
Ritè gubernaclo, cedendum, ediximus illi:
Perpetuóq; alios, aliósq; inde ordine, tantæ
Molis obire vices, & mox succedere pulso.
Hac verò me summa tenus custodia cætus
Et labor exhausit, noctésq; diésq; fatigans.
Iam tum adeò effœtæ vires, feßiq; labore,
(Quanquam animus viget ipse, suóq; in robore perstat)
Deficiunt, crebrisq; cadunt languoribus artus.
Hinc me posse graues vltrà tolerare labores,
Credite ne, moneo, ne vos spes ducat inanis.
Quin potius numero ex omni, tantisq; necesse est
Exurgat vestrum quamprimùm è cœtibus vnus:
Qui rerum subeat molem, & ceruice subacta,
Fasce sub hoc sudet, & munia compleat ardens.
Atq; gubernaclo custos datus hæreat alto.
Interea sedenim vestrum se fingere multos
Auguror, exortésq; onerum, immunésq; laborum:
Ac prorsum indignos tanto se ducere honore.
Consilia hæc, animósq; probo: votisq; benignus
Parco verecundis. At si modò publica paßim
Res deserta gemat, nec iam communia curet
Quisquam; vbi fas, æuūq;? vbi iura vetēda? vbi leges?
Tandem vbi; quo premitus rerum leuis impetus, & quo

Cælestes animi diuumq; , hominumq; tenentur
Concordes; æternus amor ? quippe ire necesse est
Cuncta simul pessum, ciuilibus incita bellis.
Quare agite ò nostra hæc animis aduertite dicta
Pacatis: & iam quisquam contrarius obstet
Iudicijs ne quæso meis. Stat protinus vnum
Deligere è numero, & tota secernere gente,
(Nec reor inuito tantum mens numine votum
Versat) Iollian: legio hunc simul audiat omnis,
Hunc pariter summum patrem veneraminor vnum.
Contrà autem sacri sceptrum, ditione superba,
Polluat imperij, immaniq; tyrannide fœdet,
Aut tumidus, tantiq; exultabundus honore
Muneris, elatum sese ferat ille, caueto.
Quippe ministerium tenui cum nomine magnum
Traditur huic hodie, non imperiosa potestas.
Hinc agedum, auxilio legio ne tanta supremi
Cassa ducis, posthac gemat, atq; ignara pericli,
Et tutæ malè certa viæ; palantibus erret
Greßibus: & vitam sine more, sine ordine vulgò
Mollis agat: tu dux, præceptor, & arbiter esto,
Solus Iollia, totius prouide gentis.
Te premere imperio tumidos, attollere dextra
Deiectos, humilesq; docet: linguáq; potenti
Et mulcere simul corda, atq; effingere mentes
Ignaras, placidósq; animis committere mores.
Nec te adeò victum tantarum exterreat ingens
Rerum onus: aut acres curæ, duriq; labores
Deijciant: audendum animis: nam viuida duris
Vsque adeo

Vsqueadeo virtus gaudet: seséq; proteruis
Casibus vltro offert, obnixa haud cedere retro.
Hinc victrix, hinc illa micans, semperq; coronis
Vincta caput niueis: summi nusquam indiga honoris,
Nusquam laudis egens: olli sed gloria circum,
Et clara effulgent decora, immanesq; triumphi.
Præterea nostræ (nec vobis lucis egentem
Obscuramq; hodie proceres rem pandimus) vrbis
Mœnia iam pridem trinis innixa recumbunt
Principijs, equidem numero, reor, auspice iactis
Impare: quò tandem delapsus ab æthere credi,
Hic labor, hic ritus, nostra hæc vigilantia posset.
Iam verò aspicitis, quantis fundamina molis
Pulsibus hostis atrox quatiat, quibus ardua tundat
Mœnia tormentis, qua dehinc struat arte ruinam.
Semifer vnà Orci monstrorum exercitus omnis
Vndiq; collectus, fremitu circumstrepit atro:
Exquiritq; aditus nunc hos, nunc impetit illos:
Murorumq; arces, atq; alta cacumina molis;
Assurgensq; fremensq; premit: nunc ima suburgens
Limina, portarumq; ingentia robora quassat.
Ac veluti immanes, siquà stabula alta coacti
Inuasere lupi; auditis balatibus; atros
Infringunt dentes, & sæuos postibus vngues:
Mille obeunt morsus, pereunt mille oris hiatus:
Crudescit rabies, faucésq; irritat inanes.
Sic furibunda cohors, monstra infelicis Auerni,
Sulphureis ardens facibus, manibúsq; cruentis,
Terribiles implexa angues; assultibus instat

Mœnibus

Mœnibus his, tales parat insidiosa ruinas.
Nos ergo excubijs, animisq́; & fortibus ausis,
Contrastare opus est, hostésq; inhibere furentes,
Tutariq; nouum vallum, murósq; recentes.
Præcipuè verò multùm explorare necesse est
Fundamenta vrbis: vigiliq́; expendere cura,
Qui constent, qua vi sedeant, quo robore subsint
Molibus impositis: vtq́; illis hæreat ingens
Machina, num præceps sit formidanda ruina.
Præterea Regina potens, fidißimáq; vrbis
Paupertas sedeat qua maiestate, tuendum est:
Atq; olli num clarus honor, num gloria summi
Iuncta comes sceptri, solijs affulgeat altis.
Quippe Deæ (ò proceres mihi credite) protinus vni,
Si regere hos cœtus, si rerum flectere habenas
Huic olim detur; nullos, hæc mœnia circum,
Non frustra assultus quondam struet irritus hostis
Tartareus, nullas non caßis nisibus vrgens
Insidias tendet: cadet hac mox præside cuncta
Hostilis rabies: cedent bella horrida: cedent
Bellorum fremitúsq; graues, trepidiq; pauores.
Nec temerè id, tantis animi dux inclyta pollet
Viribus: is q́; ardor, virtus ea pectore regnat
Cælesti: magna tanta est prudentia Diuæ.
Quis verò illius digna quis laude triumphos
Egregios memoret, meritóq; attollat honore?
An non, ipsa sibi celsa quos arce locauit,
Exuuiæ immanes, atq; alta trophæa, penates
Ornant præclares? an non insignibus alti

Effulgent

Effulgent postes? raptæq; ex hoste coronæ
Deuicto innumeræ pendent? fastigiáq; armis
Summa domus celsæ mille insignita renident?
Ipsa inter decorum radiantia lumina, ridens
Degeneres hominum curas; sese ardua cælo
Attollit: nitidosq; astrorum intermicat ignes.
Imò agè, tolle acies geminas, atq; aspice pubes,
Nunc per nubiuagos tractus Diua excita, quales
Exagitet currus, quàm multos ardua secum
Sublimes vehat Heroas. Primùm ordine gentes
(Mitte hic Serranos, tacitósq; agè Musa relinque
Fabricios: quos tu feralibus eximis vrnis,
Subuectósq; effers viuacibus ardua pennis)
Cerne simul iunctas æternæ fœdere pacis.
Præcipuè verò ante omnes agnosce supremum
Heroa, insignem mentum, longæuáq; multa
Tempora canicie niueum: comitumq; sequentem
Vndenum tum cerne aciem: hi, quos altus Olympi
Rex olim mòrtalis adhuc, hominumq; magister;
Humida dum reparant subductis retia cymbis;
Euocat extemplò, atq; vndis abducit amatis.
Et prorsum ignaros, diuinas edocet artes.
Nec mora, diductos opera ad maiora relegat.
Interea premere Heroas mala cœpit egestas:
Retia iamq; animis subeunt, cymbæq; relictæ:
Iam subeunt artes hudæ: feßóq; laborum;
Iam piget incœptæ vitæ, tentatq; regressus.
Hic verò exurgit senior, corámq; magistro
Sidereo intrepidus constans, sic voce profatur.

O' bone Rex: quicquid fortunæ, quicquid auiti
Iuris erat nobis, vltro contempsimus olim.
Quin & deserta, deserto in littore, cymba,
Retiáq;, & remi, magnæ, Rex optime, nostræ
Sortis opes, modò cuncta iacent: téq; omnium egenum
Nos inopes sequimur, tua iussa facessimus: ergo
Dic quondam quæ digna manent nos præmia? nostros
Qua mercede leuas, qua spe solare labores?
O' felix vestra hæc (Rex excipit) ò bona rerum,
O' frugi iactura: hominum gens ægra, beatas
Qua sedes parat, & summum mercatur Olympum.
Hæc tantùm effatus: plausu strepit ilicet omnis
Cum sene turba virum, lucris gauisa repertis.
Hos ergo primos: alios dehinc mille sequentes
Euehit excelsos sublimibus aurea bigis
Paupertas: quos deinde bonis cælestibus explet.
Quare agite ò proceres (monitus ne temnite nostros)
Obseruate animis Diuam, sacrisq; volentes
Parete imperiis: ne prodite signa potentis
Reginæ: vincti quin vos stipe, fortibus ausis
Circumstate, ingens solium stipate frequentes.
Tendite iter durum pedibus duce tendite magna.
Aspera, difficilisq; via est, aditusq; maligni
Quà nos Diua rapit: sed inexuperabilis ardor
Virtutis, nil non penitus domat: addimus acres
Sollicitósq; olim consolatura labores
Præmia: quid, quòd nos superato in vertice montis,
Certa quies, tutaq; domus certissima sedes
Expectant fessos? & adhuc nos tristis inertes

Torpet

Torpor habet? nec tanta animis afflamus anhelis
Munera? promißis diuæ non fidimus almæ?
Eia agite insani ne vana horrescite vulgi
Ludibria: incœptæ ne quæso incommoda vitæ
Dura, aut angustos casus, acrésq; labores,
Formidate animis victis: nil vilis egestas
Tendere ad astra vetat: cæliq; capessere sedes
Nil prohibetur inops: sed non iam diues Olympum
Auro emit: insontes tantùm, ignarasq; prophanæ
Culpæ animas, læta accipiunt penetralia diuum.
O' me, quis superum tanto dignetur honore?
O' quis; vbi alma suos parco Regina clientes
Munere alit tenuis victus; iam sistat, vt altæ
Arboris exceptum foueat me Diua sub vmbra?
O' vos quæso ducem meme sectaminor vltro:
Monstrantémq; viam, & monitus legésq; ferentem
Accipite: ò posthac nostris ne absistite signis:
Turpia ne quisquam vestrum diuortia tentet:
Neu trepidis, quæ dicam, animis horrescite: quodq;
Nunc opus ipse agito mecum, intractabile nostris
Viribus, ò pubes ne rere: audacibus æther
Ipse fauet: cœptis diuum pater annuit altis.
Ergo agè tolle animos, aude mecum, arripe casus
Nunc primùm oblatos tibi; desuetiq; pericli
Tentamenta obeas: iam iam maioribus vrget
Res angusta malis: dura ac malè commoda rerum
Conditio viden' vt premat, ac circundet egenos
Vndiq; nos? iam tum (nam quæ satis excita rebus
Cura hominum veniat par tantis? aut labor æquet

Quis plenum innumera mensæ cum plebe paratum?)
Et rerum nouitas, & diuum certa voluntas,
Nos omnem victus longè depellere cogunt
Ex animis curam: & diuina sorte leuandos,
Quamprimùm ostendunt. Eia ergo insurgite mecum,
O socij, nunc nunc animis opus: alta vocat res.
Spernere opes, aurúmq; nocens mandauimus olim:
Mollia iussa quidem hæc: amor hîc violentior instat:
Altius ingredimur, iam nunc grauiora iubemus.
Ibimus, attriuere solum quà rarius olim
Maiorum plantæ: & quà mox labor excipit acer
Audaces, pérq; immanes asperrima casus
Semita agit captos, pérq; alta pericula versat.
Nos ergo, aut cultus, aut victus cura parandi,
Sollicitet posthac (ea summa) cauebimus vlla.
At vos; ni pigeat monitus audire salubres;
Obscœnamq; famem, & sæuos ridebitis æstus:
Necquicquam rigidas hyemes, fremitúsq; niuosi
Insanos boreæ, subitósq; horrebitis imbres.
Vrget fœdus amor stimulátq;, incendit, & vrit
Omne adeò pecudum genus, alituúmq;, hominúmq;.
Inde furor sensus ciet, inde insania mentes
Præcipitat: non dura gelu, non aspera ventis
Terret hyems animos; non effera mortis imago,
Non acies ferri mouet; altius oßibus hæsit
Cùm semel ignis edax: cæli iacet axe sub nudo,
Nocte puer media niuibus perfusus & imbri:
Munera nec cereris, nec sedula cura parentum,
Nec seræ reuocant vmbræ, trepidiq; timores.
At

At si hic tantus amor: quis tum diuinitus altis
Mentibus insidens ardor? qualisq; cupido
Securæ prorsus vitæ, & flammantis Olympi?
Nempe hæc vna mali contemptrix, vna dolorum
Victrix, vna expers ærumnæ, & turbinis omnis.
Hæc siquà; æthereæ conceptis ignibus auræ,
Sustulerit sese, & cælesti lumine fulgens
Constiterit, quà nulla polos premit inuida nubes,
Sed latè astrorum circùm micat aureus ordo;
Despicit insanos hominum pacata tumultus,
Spemq; , metumq; domat; casusq; , & gaudia ridet:
Fortunámq; premit, fatisq; insultat iniquis:
Nescit quid poscat natura, quid vtile vitæ
Quidue nocent nocens misere veniat, quid corpora curet.
Nos ergo ò socij non hunc optabimus ignem?
Non corda æthereæ labefacta cupidinis æstu
Feruere, diuinisq; animos ignescere flammis
Vsqueadèo iuuet, & magno tabescere amore?
Ite modò, eia alias quamprimùm è pectore curas
Mittite: solus amor, tantaq; cupidinis ardor
Insidens animis, vos cælo assuescere cogat.
Interea sedenim vestros non aura labores
Discerpit: memores dij sunt rectiq; , pijq; :
Est honor, est olim laus, sunt & præmia factis
Digna hominũ: aut quid non oculis bonus arbiter æquis,
Cælicolum, rerumq; sator, despectat ab alto?
Imò equidem dicam tandem (mihi credite, meme,
Credite, numen agit, versóq; in pectore numen)
Non prius Hesperijs hodie stabulabit in vndis

Defeßis sol pronus equis: nox humida latè
Haud antè obnubet terras, cælumq; tenebris;
Quàm pater è summo hæc bonus agmina lustret Olympo;
Et tantæ miserans extrema incommoda gentis;
Muneribus lætis, improuisiq; paratus
Nos leuet auxilio, & mensis soletur opimis.
At nos ò nimium felices, si bona; quæ iam
Paupertas nobis vrget dux optima; detur
Nosse modò: nanq; & si non fœcunda coloni
Fortes arua domant rastris & vomere nobis:
Nec læta ingentes distendunt horrea messes:
Nec constant parijs sublimia tecta columnis,
Barbaricóq; auro loquearia summa renident;
Si non & Tyrios sensit decocta colores
Nostra, sed horrificis vestis riget hispida setis;
At mores sancti nobis, at nescia fraudum
Pectora, diuinóq; afflata numine mentes.
At nitidi spes certa poli, sedisq; beatæ,
Lætitiæq; fides, hic nos per dura fatigans
Raptat inexhaustæ; nos auia per loca sacræ
Acer agit virtutis amor: quáq; alta petamus
Sidera, flammantiq; viam affectemus Olympo;
Sternit iter, monstrátq; aditus, atq; ostia pandit.
At tu paupertas vna huius muneris auctor:
Tu requiem nobis dux vna ostendis amatam.
Quippe vna ætherei tu coniunctißima Regis
Cunarum custos; primis vagitibus astas.
Prima foues ortum: teneris, prima, hubera labris
Insertas: Pelusiacas tu fida per oras

Extorrem sequeris: reducem tu reddis auitis
Sedibus: esurientem animam tu nectaris haustu
Diuite, læta reples: trino dum confodit anguem
Tartareum oraclo: summo tu deniq; malo,
Puluereo affixum liuentia brachia tabo,
Suspicis, atq; auidis nudatum amplecteris Vlnis.
Salue magna parens: cæli quæ sola colonis
Atria terrigenis gemmata recludis, & alta
Sede locas, opibusq; auges, regnisq; superbis.
Salue, nosq; tuos ne dedignare clientes.
En læti (nos læta foue) tua castra subimus:
Abnuimusq; bonis posthac seruire caducis.
Tu Verò ò mater, nos tandem intersere diuum
Concilijs: dáq; æthereis accumbere mensis.
Hæc postquam tantis edixit; Voce repressa
Conticuit, fandiq; modum dedit inclytus Heros.
Tum caueam linquit: procerum simul omnis euntem
Prosequitur numerus: longa dehinc cætera pubes
It pompa: & Diuæ sedem de more reuisunt.
Ventum Vbi non magnæ sacratum limen ad ædis;
Primorum cœtus mediam cinxere corona
Supplice mox aram: tum Verò ex agmine toto,
Ad cantus hinc, inde chori simul ordine lecti
Assistunt: superis meriti instaurantur honores,
Et Voce alterna templi sacra tecta resultant.
Interea diuum pater, ac Rex altus Olympi
Viderat innumeris feruere Subasida terram
Agminibus, pariterq; nouæ tot milia gentis
Tegminibus collecta ægrè stabulare sub arctis.

Tum

Tum verò arcano secum ille ita corde loquutus.
Ecquid magnus amor cælestia pectora liquit?
Nostráne iam primùm miseris addicta tuendis
Cura, auo defessa iacet? aut hæc noua tantùm
Gens fortè humanis nequicquam obnoxia fatis?
En dux hic, tandem longo pòst tempore, solus
Prouocat Hereas bissenos: primus & æquat
Bellando, duróq; inopis discrimine vitæ,
Iam curam omnino cultus victusq; perosus.
Ergo arctis quid nos rebus cunctamur adesse
Auxilio? casus quid dißimulamus egenum?
Dixit, & acciri toto iubet æthere diuos
Arcem ad sideream: resonat clamore vocantis
Præconis, mox astrigeri plaga lucida cæli.
Parendi mora nulla: audit quicunq; per ortus
Auroræ signis rutilat: simul excitus audit,
Occiduas quisquis sese ipse receptat ad ædes.
Regia continuò patet alta: adytisq; reclusis,
Accipiunt notos aurata sedilia ciues.
At pater omnipotens, solio spectabilis aureo;
Vnde orbem immensum, cælumq;, & sidera nutu
Torquet inexhausto, & mortales sustinet agros;
In medio residens; consessus ordine circùm
Ter trino in morem structos, latéq; patentes
Ter lustrat vultu: & magno cum numine sese
Cœtibus immiscens; vigor idem ipse igneus, altos
Ingreditur sensus, & mentes explet hiantes:
Tum sic ore infit læto: simul etheris alti
Atria, tecta, fores, aditus, sedesq; beatæ

Dicenti arrident: subtérq; meantia ludunt
Astra: horret tantùm Stygis implacabile numen:
Intremit, & lachrymas auget Cocytus amaras.
Cælicolæ nostri decora immortalia regni;
Quos hominum (auricomis sic, dum transcripsimus olim
Semideos primos lucis, campósq; beatos
Iussimus incolere, edictum accepistis ab ore
Affatum nostro (cura haud ingrata reposcit;
Quæ dicam accipite, atq; animis seruate sub imis.
Magnanimus ductor (quò prima exordia rerum
Altius euoluam) iam dudum rupe Subasi
Sub celsa exortus, vix vlli imitabile, nati
Tentat iter nostri: obnixusq; haud cedere retro,
Vsqueadeo contemptor opum, contemptor & auri;
Perstat in inceptis, animóq; interritus ardet.
Iámq; expers certæq; domus, certiq; receptus;
Siue antris, siue arboreis vitare sub vmbris,
Ventósq;, & sæuas hyemes assueuit, & imbres.
Nec non & duros sub dio carpere somnos
Sæpe solet: rorésq; leues perpessus, & astra
Huda, sub Aurora primos sese excitat ortus.
Insuper ecce (etenim pariter spectastis & ipsi
Sparsa Subasæos tentoria mille per agros)
Innumeras acies; varijs è partibus orbis
Quas dudum acciuit, castrisq; addixit egenis;
Nunc pariter vestra Regina ad templa coegit.
Iámq; aurum, iam mandat opes procul esse: nec vllam
(Sors ignota homini, ac semel olim agitata profectò)
Permittit curam victus, mensæq; paranda.
Paret

Paret turba volens, nec formidabilis horret
Callis iter durum, nec cœptum auertitur ingens.
Is vigor est animis, ita concitat agmina ductor.
An'ne igitur vestri post aurea tempora Regis,
Heroas tantos vsquam mortalibus agris
Nosse datum? an'ne vnquam tales sibi dura clientes
Quæsiuit virtus, & cœlo sustulit alto?
Hæc pater: & volucrũ è numero; quo sæpe ministro
Res hominum fractas leuat, atq; ope fata remulcet
Tristia, fortunæq; ictus, & vulnera placat;
Elicit, ad seseq; vnum vocat, atq; ita fatur.
I, modò fide celer, Zephiris agè pande vocatis
Stellantes alas: terræq; Subasidis omnes
Nuntius inuisens pagos, atq; oppida clara;
Mentem adeò certam populis immitte quietis,
Reginæ extemplò vestræ vt delubra petentes,
Dona laboratæ cereris, dulcemq; Lyæi
Lætitia, & mensæ totius ritè paratum
Comportent. ibi magna virum, gens omnium egena,
Iam confecta fame; victus ope, turba leuanda est.
Vix pater hæc: volucer ventis, & fulminis alis
Ocyor, explerat patris iussa oppidáq; vnà
Perlustrans, gentes desueto afflarat amore.
Ergo idem simul ardor habet, simul excitat omnes
Cura eadem populos: iuuenes labor occupat acer:
Obsequium tardis senibus maturius instat.
At pueros leuis vrget amor: studio acta frequenti
Matrum opera efferuent: flammis pars viscera torrent
Cæsa in frusta boum; pars dulcia liba, fabasq;

Vulcano in morem domitas, calidisq; fluentis,
Vectandas mox, expediunt: hæc pinguia farta,
Congestumq; penum simul omnem, omnisq; paratum
Plenius instructum mensæ aduocat: illa canistris
Confertam stipat cererem: testæq; lyæo,
Queis sub, iam validus desudet vector, inundant.
Iamq; adeò varijs collectæ ex vrbibus vnà
Crebræ aderant gentes; pariter delubra subibant
Iam magnæ sacrata Deæ, atq; in vota vocabant
Suppliciter lætæ diuos, dominamq; potentem.
Aspiciuntq; virum succensa altaria circum
Attonitas acies, mediumq; Heroa supinis
Aethera luminibus spectantem, animóq; tenentem,
Nec quicquam ingressu, magno aut clamore ruentum
Excitum, aut quid vile suo cum corde putantem.
His turbæ inspectis; animis stupuere: diuq;
Vt; tandem Heroum quo fine quiesceret ardor
Frustra expectarunt; rumore per agmina densa
Paulatim exorto; sacrato è limine templi
Effundunt sese vnanimes, nactæq; recessus
Haud longè herbosos, nemorumq; vmbrosa virentum
Tegmina; se confestim hilares cerealibus omnes
Ritè ministerijs accingunt: sternere pictis
Hi primùm de more solum mantilibus; illi
Mox lætam cererem expletis inferre canistris:
Liba alij, & pandis taurorum lancibus exta
Tosta subingerere, & lætis apponere mensis.
Tum passim inuerguntq; cados, & vina refundunt.
Spumant, & baccho ardenti crateres inundant.

Hic ergo Heroem, totiusq; agmina gentis
Accita, instructis vltro plebs sedula mensis
Inuitat, suadetq; animis discumbere lætis.
Continuò pater ante alios Franciscus opimas
Primus init mensas: sequitur dehinc cætera pubes,
Gramineisq; affusa toris, longo ordine sedit.
Iam verò compressa fames: cùm lene per omnem
Consessum inserpit murmur: tum prouidus Heros
Surgit Franciscus, spectansq; hinc, inde cateruas
Miratur simul altrices, miratur & ardens
Ignotæ obsequium plebis, diuersáq; tanti
Agmina conuentus: extemplóq; excitus acri
(Viuida quippe vrget desueti gratia facti)
Ardore effandi: O virtus ades, inquit, ab alto
Aethere nunc (si quando) mihi, atq; illabere menti.
Mox ergo exiguum tumulum capit: eminus vnde
Aduersos oculis legere, atq; agnoscere poßit.
Concurrunt confestim omnes iuuenumq;, senumq;
Vndantes turbæ: matrumq; sine ordine crebræ
Agglomerant sese circùm, addensantq; cateruæ.
Ille infit, medio has fundens ex aggere voces.
Quis deus ò gentes (neq; enim vos numinis actas
Nullius reor imperio) succurrere egenis
Præmonuit rebus? quæ vos pietatis imago
Impulit huc afferre dapes? quóue omine tantus
Diuersas aduexit amor, paritérq; coegit?
Vnde adeò vestras impleuit nuntius aures,
Huc tantas coysse acies? vestras'ne per oras
Vox hominum insonuit? famáq; exterruit ingens

Vos rerum nouitas? summo an mage lapsus Olympo,
Cælicolum è numero vobis leuis affuit ales,
Qui patris ætherei portans data iussa, moneret,
Vos opibus tantis incommoda nostra leuare?
At quicunq; hominum suasor, quicunq; deorum
Auctor, & obsequij monitor; non indigus vnquam
Laudis erit, nulloq; abolescet tempore facti
Fama loquax: memori non vnquam has eximet æuo
Vlla dies ventura dapes: non pocula siccis
Hauriet hæc labris vnquam sitibunda vetustas.
Viuet opus, sacra præfulgens ritè tiara,
Tarpeia de sede pater dum fulmina mittet
Terrifica, & sacro mentes aget igne rebelles.
Quin mihi turba olim siqua est ventura nepotum;
Perq; humiles pagos, perq; oppida clara, per ædes
Eloquio sacras, pia facta, excelsa tonabit.
At verò iam vos, ne dona hæc, néue laborem
Credite nubiuagas vestrum effudisse per auras:
Neu quondam obsequijs deberi præmia tantis
Nulla putate: extat primùm ingens gloria facti,
Ore canenda hominum, cælóq; æquanda sereno.
Sed nec dehinc meritis deerunt sua munera tantis:
Quippe olim vos certa manent: & maxima reddet
Actutum pater omnipotens hominumq;, deumq;.
Interea summo vos corda attollite cælo
Viuida, iamq; animis stellantia discite Olympi
Atria flammantis: quò vos hæc munera porrò
Tanta vocant: eia audentes insurgite magnis
Pectoribus: totasq; animorum intendite vires.

Sidereumq; obnixæ duro petite ardua gressu.
Néue metu trepidate: aut terrat asper euntes
Vos callis: neu spem tam certam amittite: sed iam
Hic vnum edicam, nec vos monuisse pigebit:
Dicta vltro accipite, & monitus date cordibus imis.
Nimirum; ac turpis, dira, atq; immunda voluptas;
Mentibus humanis haud res vlla officit æquè.
Mollibus hæc assueta choris, durosq; labores
Exosa omnino, dapibusq; addicta profusis;
Pellicit incautas confidentißima mentes:
Seq; ducem obiectat fidam mortalibus ægris,
Molle iter ostendens primùm, & florentibus herbis
Depictum: quà mille dolis, mille arte nefanda,
Mille & promißis captos, blandoq; fauore
Vafra agit; immani quò tandem è vertice, pulsu
Exturbans; miseros stygias detrudat ad vndas.
Hanc fugite ò gentes, eia auersaminor illam,
Dira propinantem, circæisq; oblita succis
Pocula: blanditijs, moneo, ne fidite cæcis:
Nèue date incautas Sirenis cantibus aures.
Imò ò contrà, acies agite, huc deflectite, quanto
Incessu virtus, quàm se ferat ore pudico,
Aspicite: haud mollis demissa licentia pallæ
Ambit eam, non fragranti nitet vnguine crinis:
Non ostro exardet; collo non tortilis auri
Ingens pendet onus: capiti suggesta rigescit
Canicies: frons hirta subest, cui masculus horror
Plurimus incumbit, circùm pudor emicat ardens.
Talem sese offert vobis annosa Virago.

Suspicite

Suspicite illam ò vos, vltro & sectaminor vnam.
Ecce etenim dux aßiduè præludit, & ore
Sidereo effulgens, diuináq; præmia monstrans;
Sedibus astrigeri vos paßim inuitat Olympi:
Ipsa eadem foribus residens, fidißima cæli
Portarum custos, venientes accipit vltro,
Felices Heroum animas; atq; inserit astris,
Transcribitq; pijs cuneis, magnæq; quieti.
Hæc postquam effatus; dextra pater optimus alta,
Agmina lustrauit, tandemq; hærentia liquit.
Tum procerum omnis eum numerus stipauit, & ædem
Ad sacram referunt pariter sese ordine longo:
Numina vbi Heroem multùm exoranda deorum
Sancta manent, crebrisq; oneranda altaria votis.
Et vigil in morem nox, excubiæq; reposcunt.
Fluctibus interea Titan deuexus Iberis
Mergitur, & roseos magno lauit æquore vultus.
Nox subit, & toto accendit sua lumina cælo.
Franciscus socijs, ite, aurea fulserit ortu
Crastina cùm primo lux, inquit, adeste frequenti
Conuentu huc omnes: rebus quò ritè peractis,
Dimißi patrias abitu remeetis ad oras,
Quisq; suam. paret plebs læta, ac iussa faceßit.
Ipse autem è sacro nequicquam absistere templo.
Obscurus sedenim, solusq; in nocte silenti,
Ante aram multa æterni patris auribus orans
Insonat eloquio, magnóq; affatur amore.
Mox verò placida correptus membra quiete,
Incubuit prono vultu, somnumq; petiuit.

Sic;

Sic; dum fortè puer spumoso reppulit ore
Iam satur exhaustas mammas; ceruice reflexa
Languet, & altricis gremio procumbit amatæ.
Ecce autem; quanta infertur spectanda tonanti,
Aethereos inter proceres, cuneosq; beatos;
Ante oculos visa est Regina astare deorum,
Affariq; vltro, monitisq; vrgere iacentem:
O noua progenies; eadem & gratißima nati
Cura mei; inuictæ dux ò fortißime gentis:
Ecquid rere tuos extremo fine labores
Defunctos? ecquid portus intrasse quietem
Tranquillam credis, fluctus maris vnde tumentes
Et decertantes siccis aquilonibus austros,
Securus ridere queas? ne finge quietem,
Ne pacem compone animo: labor improbus instat.
Et te pontus adhuc habet impacatus: & euris
Acta ratis; syrteisq; timet, Malcamq; fragosam.
Altera erunt tibi bella: tuo sudore madescent
Tyrrheni mox arua soli generosa Subasus
Busta dabit. leuibus non hæc tibi fingit inanis
Somnus imaginibus: sed ego ipsa (agnosce potentem
Reginam diuum: quam tu modò liminis huius
Custodem dominamq; vocas: cui thuris honores
Hîc dudum, festósq; dies, vigilémq; sacrasti
Ignem aris) tibi certa cano: lentos age somnos
Rumpe modò: precibusq; pijs, votisq; futuri
Supplicibus cumula iubar almum ritè diei:
Promißiq; memor reditus, festinus Hetrusci
Quamprimùm Orandæ tecta hospitis alta reuise.

Antra etenim te nigra vocant, te saxa Lauernæ
Prærupta expectant, nemorisq; silentia poscunt.
Illic magna tibi domus, illic fida tuorum
Tecta: per extrema fama quæ littora Calpes,
Nigrantesq; olim resonent delata per Indos.
Illic nocturnas tibi prælia dura per vmbras,
Eumenis atra parat: toruisq; armata colubris,
Terrores molitur atrox, fraudesq;, minasq;.
Tu ne cede retro: ne diram horresce furentem.
Ne sæuis terrere malis: tela ignea monstri
Tartarei sed contra, animis audacibus ito.
Hos simul alma dedit monitus; se miscuit vmbris.
Tunc Heros, nocte ex oculis, somnóq; fugatis,
Exurgens, tollensq; manus, sic ore precatur.
O dea siderei thalamo desponsa tonantis:
Connubij ò genitrix expers, & cassa pudore
Nunquam virgineo; nostros inuisere somnos,
Quæ te causa agit? an'ne meos Regina labores
Solatura venis? Sed quò te proripis alma?
Quò festina ruis uirgo? an mea lumina furtim
Suffugiens, ades, & meme specularis amictu
Cælesti obscura? At quo te Dea cunq; receptas,
Qui te cunq; locus, cæli quæcunq; sereni
Pars habet; hic merito semper cumulabere honore.
Hic semper precibus, plenisq; vocabere votis.
Tu verò, me sponte tuis, animoq; sequaci,
Accipe parentem monitis: arceq; periclis
Infandis me Diua potens: & numine dextro
Adsis, euentuq; pio tua dicta secundes.

Talibus

Talibus orabat, Diuam sic ore ciebat.
Et iam stelliferum toto condebat Olympo,
Diffugiens nox atra caput: croceosq; iugales
Aurora oceani surgens pellebat ab vndis.
Cùm legio omnis ouans pariter delubra reuisit.
Mox pater occurrens cui primo è limine fatur.
Magna, animoq; diu res exoptata volenti,
O' proceres effecta mihi: quippe ardua rerum
Tantarum moles haud æquo pondere nostris
Viribus instabat. quanquam ò nec parta labori
Certa quies: nec portus adhuc, tutiq; receptus,
Nec dum quassatæ statio bene fida carinæ
Sese offert: mihi bella canunt, pugnasq; feroces,
Numina sancta deum, fraudes mihi, Erinnyas atras,
Prædicunt struere, & pedicas aptare latentes.
Præcipuè Regina poli meme acrius vrget:
Nempe hinc digressum celerem canit ipsa, monetq;
Festinare abitum, certasq; inuisere terras
Cogit: vbi acre manet me bellum, acresq; labores.
Parendum est (sanctis quis enim parere deorum
Abneget imperijs, diuináq; iussa recuset?)
Audendumq; animis, dum res iubet alta labores
Ire per extremos: adsint modò numina certis
Auxilijs, & honos, & sint sua præmia factis.
Non ergo vlla in me mora, non me detinet vltrà
Segnicies: mox ibo, sequar, sanctißima Virgo,
Quo me cunq; vocant diuina oracula; quò tu
Ire iubes Regina: adsis tantùm ipsa, serena

Flammiferi

Flammiferi de parte poli, & meme accipe euntem.
At vos ò proceres, cunctiq; ex ordine cœtus,
Iam votis adeò plena cum mente potiti;
Ite modò: patriæ loca nota reuisite sedis,
Quisq; suæ: longáq; via simul ite remensa.

FRANCISCI MAVRI

HISPELLATIS

MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIB. XII.

POstquam flauicomi, iussu patris, indiga pubes
Deseruit lætos fines, atq; arua Subasi:
Diductæq; acies, paßim ducis arma sequutæ
Ardua quæq; sui, notos petiere recessus;
Nuntia fama noui conuentus, protinus arces
Iliadæ ad magnas cursum, rumore secundo,
Detorquet celerem: primumq; immurmurat inter
Vulgus iners depressa solo: mox alta sonorum
Attollit caput, & claras sermonibus ædes
Implet ouans, lætisq; secat caua nubila pennis.
Nec modus effandi, sacrata palatia donec
Ascendens; magni patris diuerberet aures.
Tum canit, innumeras diuerso è sanguine gentes;
Queis neq; opes vllas curæ, non quærere victum:
Relligione sacras, ritu cultuq; verendas:
Ore canens magno, quas flaua è rupe Subasi,
Franciscus ductor nouus, indiga ad arma vocarat;
Conuenisse simul: pulchrisq; Subasidis oræ
Insedisse agris: canit vt vicinia tota,
Cælicolum monitu, victum transmiserit illis:
Vtq; vrbes claræ, paßimq; sine ordine pagi,

Vndiq;

Vndiq; conuectis dapibus, ieiunia leuarint
Agmina: & ærumnas, & sæua incommoda egenæ
Lenierint gentis, curáq; opibusq; iuuantes.
Addit vociferans, vt iuncea tecta cateruæ
Structa improuiso, pastorum more, sub alto
Monte frequentarint: partimq́; sub ætheris axe,
Partim sub quernis stabularint agmina ramis.
Nam neque ibi vsus adhuc tectorum, non domus vlla,
Nec dum costilibus vacuas educta sub auras
Molibus hospitia extabant: sed limine paruo
Tantùm, atque exigua surgens testitudine templum:
In medio, igne calens, & meßibus ara Sabæis
Diues, inexhausto fumum exhalabat odore,
Perpetuum Regina poli tibi munus honoris.
Talia Romulidæ (fama gliscente) per aures
Sæpe ierant patris: penetraliáq; intima magni
Sæpe animi, rerum nouitas pulsauerat ingens.
Cùm tandem angustam gentis miseratus egenæ
Sortem ille, hæc secum tacitus sub corde loquutus.
O pudor, ò mors, ò tempora perdita, quò nos
Diuersi traxere dies, diuersa sequentes
Vota? quis heu mentes nostras amor incitat? aut quò
Error agit? vanis hominum labor vsibus ardens
Instat: inopsq́; animi gens, atq; ignara salubris
Consilij, infaustas, nequicquam exercita, curas
Vsqueadeo euoluit, nempe infelicia captans,
Noxiáq; vltro animis, sed mox dolitura paratis.
En paßim immanésq; domos, turrésq; superbas
Extruere, & vacuas educere tecta sub auras

Ardua,

Ardua, & ingentes solido de marmore postes
Ponere, cura hominum exardet: vidén' alta per vrbes,
Perq́; agros, vt prisca ætas monumenta locarit?
Et vulgò moles Circi, & spatia ampla prophanis
Ritibus, obscœnisq́; addixerit impia ludis?
At nostros nec templa deum, nec sancta recludunt
Numina thesauros: paßim auersamur egenas,
Et premimus turbas: inopum nec parcimus vlli.
Nec res infractas miserorum attollere cura est.
En nouus hic ductòr, noua, ad indiga castra vocauit
Agmina desueta gentis: iußitq́; vocata
Spernere opes, aurumq́; nocens, curamq́; parandi
Cultumq́; & victum: & tentare pericula vitæ
Extrema edocuit. Sed quis (bene quippe merendi
De miseris, iam tanta olim se copia nunquam
Obtulit) auxilijs, opibusq́; iuuare profusis
Deiectos parat? aut quis iam miserescere gentis
Vsqueadeò spernacis opum, spernacis honorum
Aggreditur? quiuè insuetos acresq́; labores,
Angustósq; pius rerum solabitur vsus?
Nempe animos haud fas torpere in munere tanto,
Aut segnes cessare manus, aut parcere magnis
Diuitijs: an'ne, auxilij quæ munera poscit,
Non pia res? non sancta hominum, non inscia culpæ
Gens ipsa? an non ductoris fama inclyta toto
Orbe sonat, cœlóq; micans se gloria tollit?
An'ne etiam crescens cùm iam orbis, origine prima,
Ornatu effulsit tenero, non insimul æquum
Imperij accepit sceptrum? rerumq́; nouarum

Z Numina

Numina primæuis statuerunt gentibus vsum
Communem, atq; aurum terra vetuere recondi?
Et nos ah miseris cælestia dona negamus?
Auxilium prohibemus opum? communibus vti
Externos tanta inuidia est? tantisq; citamur
Ardemusq; odijs? sic dedignamur egenos
Consortes rerum? sed quid? non omnibus idem
Ortus? idemq; hominum genus vna ab origine surgens?
Num proauos germen variat? num dispare primus
Sanguine progeniem humanam complectitur auctor?
Sed iam equidem nosco non euitabile diuum
Consilium: nos quippe manet, nosco, ardua moles:
Nostras poscit opes, nostróq; explenda labore
Res tanta est: agedum (longè mora segnis abesto)
I, manus artificum: pete nunc læta arua, subasi
Quà sacros aditus, patulóq; iacentia campo
Regina diuum spectat delubra potentis,
Limina parua modò, mox cælo æquanda supremo.
Nempe hic, sacrato vicina adiungere templo
Tecta, animo iam nunc sedet, opportuna futuris
Hospitibus: siquà posthac dux prouidus illuc
Agmina tanta virum cogat, pompásq; frequentes
Aduocet, & magni cœtus instauret honorem:
Neu gens fortè hyeme, aut æstu deprensa fatiscat.
Hæc pater increpitans secum digesserat: & iam
Artificum delecta manus (vox regia quando
Vrget) iter festina rapit: diuertit euntem
Nec mora, nec requies, tenet arua feracia donec:
Quà sacro lauit amne greges Clitumnus opimos.

Tum magis accelerat cursum: nec longius inter
Tempus obit medium; diuini limine templi
Sistitur: & summissa Deæ prece numen adorat.
Atq; hic è numero senior, gnarusq; negoci,
Gnarus & ipse operum; comitum quem cætera pubes
Ritè audit; medius stans, altæ accomoda molis
Metatur spatia, atq; animo secum ordine signat.
Quæritur extemplò tenuis de more tabella:
Archetypæ qua scripta domus formetur imago.
Nec mora, mille manus coeunt: pars cædere syluas,
Et teretes lauare trabes, ferriq; polire
Robora dura acie: pars fundamenta refosso
Alta locare solo, penitusq; immergere fundo.
Vuidus hic limus coquitur tutamen ad imbres.
Illic duricies silicis iunctura tenaci
Dente operis molem, curua fornace liquescit.
Præcipuus verò, longinqua è sede recisa
Saxa loco vectare, labor. montem ilicet ergo
Itur in excelsum: sonat ictibus ardua rupes:
Præcipitesq; ruunt scopuli, saltuq; patenti
Desiliunt campo; vicina fragoribus antra
Assultant vastis: credas aquilonibus atris
Aut Hæmum euerti, aut Rhodopes latera aspera scindi.
Nec minus interea silices deuoluere cura est,
Et plaustris vectare rudes: quippe acriter instat
Dura manus iuuenum, fortes sortita labores.
Et iam plena nouos ter luna ostenderat orbes:
Cùm pater ex alta despectans rupe Subasus,
Miratur subitam molem; miratur & vnde,

Cuius ope, an ne hominum manibus, iussuue deorum,
Improuisò astent tecta hospita: mox tamen omnis
(Quippe tuo Regina deum iam numine verti
Rem tantam agnouit) cessit stupor: excitus ille
Assultatq; animo, & turbis gratatur egenis,
Auxilijs opibusq; adeò iam ritè refectis.
Interea fidum) Tyrrhenus nanq; recursans
Vsq; animo pactum reditum exposcebat amicus)
Franciscus pater aggrediens sic voce Lyænon,
Compellansq;, age, tempus, ait, iam iam hospitis ædes
Præclaras nostri, Lydósq; reuisere campos.
Hoc promissa petunt, hoc dextra dextera primùm
Iuncta, fidésq; monent: & iam, reor, anxius ægro
Ille animo culpátq; moras, & tempora signat,
Enumerátq; dies, & votis æthera complet.
Talia fatus, iter longum simul arripit acer.
Tum verò affusos cœtus, atq; ordine circùm
Astantes comitum; manibus lustrabat & ore.
Accinctusq; dabat mœstis de more salutem.
Cui paribus figens animis vestigia fidus
Iungebat sese comitem, gressusq; Lyænos
Aequabat: celeri (medium breue temporis) omne
Emensi spatium cursu, iam mœnia cernunt
Eminus Arreti, supremáq; tecta domorum:
Atq; hic Franciscus socio prior institit ore.
En iter expletum: quæ tanti causa laboris,
Haud ignota tibi: neq; enim non prodiga nosti
Iampridem hospitia Orandæ: scis deinde Lauernæ,
Ex illo, vt me ardens amor vrgeat, vtq; cupido

Dudum animum raptet: lucósq; inuisere, & antra
Horrida, inacceßiq; optem saxa aspera montis.
Ergo agedum (Vnus enim socium delectus ab omni
Tu mihi gente venis) vnà mecum ardua solus
Nunc iuga conscendes: comes indefessus ibidem
Curarum, atq; omnis casus idem ipse leuamen
Mite aderis: per te labor omnis mollior ibit:
Siue æstus me ferre iuuet, seu frigida cæli
Sidera, nocturnisq; humescere roribus optem.

Hæc, & plura ardens socio dum præcinit Heros:
Hospitis Oranda non segnis nuntius aures
Implens, haud dubia Franciscum voce reportat,
Aduentare vltro, & iam limina nota subire.
Concitus ille gradu festino, occurrit amico,
Accepitq; manu, atq; humeris circuntulit vlnas:
Liminis alta dehinc subter fastigia duxit.
Tum solio acclinat molli, reficitq; quiete.
Ac prior excipiens, lætis sic vocibus infit.

Exiguum est meritisq; tuis, rebusq; gerendis
Quicquid ego impendiue olim, aut impendere posthac
Eualeant nostræ vires: nec me reor vnquam,
Nec quicquid gentis fert diues Hetruria, donis
Posse æquare tuas, meritóq; extollere honore
Virtutes: hinc parua damus: sed enim ipse profectò
Non magna affectas: nec te vnquam gloria fallax
Subuexit tumidum; aut popularis sustulit aura.

Sed iam agè chare hospes dudum expectate (reuersum
Te quando huc hodie aspicio: nec lusus inani
Spe queror: ò sed nec te vnquam pater optime quondam

Vos rerum nouitas? summo an mage lapsus Olympo,
Cælicolum è numero vobis leuis affuit ales,
Qui patris ætherei portans data iussa, moneret,
Vos opibus tantis incommoda nostra leuare?
At quicunq; hominum suasor, quicunq; deorum
Auctor, & obsequij monitor; non indigus vnquam
Laudis erit, nulloq; abolescet tempore facti
Fama loquax: memori non vnquam has eximet æuo
Vlla dies ventura dapes: non pocula siccis
Hauriet hæc labris vnquam sitibunda vetustas.
Viuet opus, sacra præfulgens ritè tiara,
Tarpeia de sede pater dum fulmina mittet
Terrifica, & sacro mentes aget igne rebelles.
Quin mihi turba olim siqua est ventura nepotum;
Perq; humiles pagos, perq; oppida clara, per ædes
Eloquio sacras, pia facta, excelsa tonabit.
At verò iam vos, ne dona hæc, néue laborem
Credite nubiuagas vestrum effudisse per auras:
Neu quondam obsequijs deberi præmia tantis
Nulla putate: extat primùm ingens gloria facti,
Ore canenda hominum, cælóq; æquanda sereno.
Sed nec dehinc meritis deerunt sua munera tantis:
Quippe olim vos certa manent: & maxima reddet
Actutum pater omnipotens hominumq;, deumq;.
Interea summo vos corda attollite cælo
Viuida, iamq; animis stellantia discite Olympi
Atria flammantis: quò vos hæc munera porrò
Tanta vocant: eia audentes insurgite magnis
Pectoribus: totasq; animorum intendite vires.

Sida

Sideraq; obnixa duro petite ardua gressu.
Néue metu trepidate: aut terrat asper euntes
Vos callus: neu spem tam certam amittite: sed iam
Hic vnum edicam, nec vos monuisse pigebit:
Dicta vltro accipite, & monitus date cordibus imis.
Nimirum; ac turpis, dira, atq; immunda voluptas
Mentibus humanis haud res vlla officit æquè.
Mollibus hæc assueta choris, durosq; labores
Exosa omnino, dapibusq; addicta profusis;
Pellicit incautas confidentißima mentes:
Seq; ducem obiectat fidam mortalibus ægris,
Molle iter ostendens primùm, & florentibus herbis
Depictum: quà mille dolis, mille arte nefanda,
Mille & promißis captos, blandoq; fauore
Vafra agit; immani quò tandem è vertice, pulsos
Exturbans; miseros stygias detrudat ad vndas.
Hanc fugite ò gentes, eia auersaminor illam,
Dira propinantem, circaisq; oblita succis
Pocula: blanditijs, moneo, ne fidite cæcis:
Nèue date incautas Sirenis cantibus aures.
Imò ò contrà, acies agite, huc deflectite, quanto
Incessu virtus, quàm se ferat ore pudico,
Aspicite: haud mollis demissa licentia pallæ
Ambit eam, non fragranti nitet vnguine crinis:
Non ostro exardet; collo non tortilis auri
Ingens pendet onus: capiti suggesta rigescit
Canicies: frons hirta subest, cui masculus horror
Plurimus incumbit, circum pudor emicat ardens.
Talem sese offert vobis annosa Virago.

Suspicite

Suspicite illam ò vos, vltro & sectaminor vnam.
Ecce etenim dux aßiduè præludit, & ore
Sidereo effulgens, diuináq; præmia monstrans;
Sedibus astrigeri vos paßim inuitat Olympi:
Ipsa eadem foribus residens, fidißima cæli
Portarum custos, venientes accipit vltro,
Felices Heroum animas; atq; inserit astris,
Transcribitq; pijs cuneis, magnaéq; quieti.
    Hæc postquam effatus; dextra pater optimus alta,
Agmina lustrauit, tandemq; hærentia liquit.
Tum procerum omnis eum numerus stipauit, & ædem
Ad sacram referunt pariter sese ordine longo:
Numina vbi Heroem multùm exoranda deorum
Sancta manent, crebrisq; oneranda altaria votis.
Et vigil in morem nox, excubiæq; reposcunt.
    Fluctibus interea Titan deuexus Iberis
Mergitur, & roseos magno lauit æquore vultus.
Nox subit, & toto accendit sua lumina cælo.
Franciscus socijs, ite, aurea fulserit ortu
Crastina cùm primo lux, inquit, adeste frequenti
Conuentu huc omnes: rebus quò ritè peractis,
Dimißi patrias abitu remeetis ad oras,
Quisq; suam. paret plebs læta, ac iussa faceßit.
Ipse autem è sacro nequicquam absistere templo.
Obscurus sedenim, solusq; in nocte silenti,
Ante aram multa æterni patris auribus orans
Insonat eloquio, magnóq; affatur amore.
Mox verò placida correptus membra quiete,
Incubuit prono vultu, somnumq; petiuit.

Sic;

Sic; dum fortè puer spumoso reppulit ore
Iam satur exhaustas mammas; ceruice reflexa
Languet, & altricis gremio procumbit amata.
Ecce autem; quanta infertur spectanda tonanti,
Aethereos inter proceres, cuneosq; beatos;
Ante oculos visa est Regina astare deorum,
Affariq; vltro, monitisq; vrgere iacentem:
O' noua progenies; eadem & gratissima nati
Cura mei; inuicta dux ò fortissime gentis:
Ecquid vere tuos extremo fine labores
Defunctos? ecquid portus intrasse quietem
Tranquillam credis, fluctus maris vnde tumentes
Et decertantes siccis aquilonibus austros,
Securus ridere queas? ne finge quietem,
Ne pacem compone animo: labor improbus instat.
Et te pontus adhuc habet impacatus: & euris
Acta ratis; syrteisq; timet, Malcamq; fragosam.
Altera erunt tibi bella: tuo sudore madescent
Tyrrheni mox arua soli generosa Subasus
Busta dabit. leuibus non hæc tibi fingit inanis
Somnus imaginibus: sed ego ipsa (agnosce potentem
Reginam diuum: quam tu modò liminis huius
Custodem dominamq; vocas: cui thuris honores
Hic dudum, festósq; dies, vigilémq; sacrasti
Ignem aris) tibi certa cano: lentos age somnos
Rumpe modò: precibusq; pys, votisq; futuri
Supplicibus cumula iubar almum rite diei:
Promissiq; memor reditus, festinus Hetrusci
Quamprimùm Orandæ tecta hospitis alta reuise.

Antra

Antra etenim te nigra vocant, te saxa Lauernæ
Prærupta expectant, nemorisq; silentia poscunt.
Illic magna tibi domus, illic fida tuorum
Tecta: per extrema fama quæ littora Calpes,
Nigrantesq; olim resonent delata per Indos.
Illic nocturnas tibi prælia dura per vmbras,
Eumenis atra parat: toruisq; armata colubris,
Terrores molitur atrox, fraudesq;, minasq;.
Tu ne cede retro: ne diram horresce furentem.
Ne sæuis terrere malis: tela ignea monstri
Tartarei sed contra, animis audacibus ito.
Hos simul alma dedit monitus; se miscuit vmbris.
Tunc Heros, nocte ex oculis, somnóq; fugatis,
Exurgens, tollensq; manus, sic ore precatur.
O dea siderei thalamo desponsa tonantis:
Connubij ò genitrix expers, & cassa pudore
Nunquam virgineo; nostros inuisere somnos,
Quæ te causa agit? an'ne meos Regina labores
Solatura venis? Sed quò te proripis alma?
Quò festina ruis uirgo? an mea lumina furtim
Suffugiens, ades, & meme specularis amictu
Cælesti obscura? At quo te Dea cunq; receptas,
Qui te cunq; locus, cæli quæcunq; sereni
Pars habet; hîc merito semper cumulabere honore.
Hic semper precibus, plenisq; vocabere votis.
Tu verò, me sponte tuis, animoq; sequaci,
Accipe parentem monitis: arceq; periclis
Infandis me Diua potens: & numine dextro
Adsis, euentuq; pio tua dicta secundes.

Talibus

Talibus orabat, Diuam sic ore ciebat.
Et iam stelliferum toto condebat Olympo,
Diffugiens nox atra caput: croceosq́ iugales
Aurora oceani surgens pellebat ab vndis.
Cùm legio omnis ouans pariter delubra reuisit.
Mox pater occurrens cui primo è limine fatur.
Magna, animoq; diu res exoptata volenti,
O proceres effecta mihi: quippe ardua rerum
Tantarum moles haud æquo pondere nostris
Viribus instabat. quanquam ò nec parta labori
Certa quies: nec portus adhuc, tutiq́ receptus,
Nec dum quassatæ statio bene fida carinæ
Sese offert: mihi bella canunt, pugnasq́ feroces,
Numina sancta deum, fraudes mihi, Erinnyas atras,
Prædicunt struere, & pedicas aptare latentes.
Præcipuè Regina poli meme acrius vrget:
Nempe hinc digressum celerem canit ipsa, monetq;
Festinare abitum, certasq́ inuisere terras
Cogit: vbi acre manet me bellum, acresq; labores.
Parendum est (sanctis quis enim parere deorum
Abneget imperijs, diuináq; iussa recuset?)
Audendumq; animis, dum res iubet alta labores
Ire per extremos: adsint modò numina certis
Auxilijs, & honos, & sint sua præmia factis.
Non ergo vlla in me mora, non me detinet vltrà
Segnicies: mox ibo, sequar, sanctißima Virgo,
Quo me cunq; vocant diuina oracula; quò tu
Ire iubes Regina: adsis tantùm ipsa, serena

Flammiferi

Flammiferi de parte poli, & meme accipe euntem.
At vos ò proceres, cunctiq; ex ordine cœtus,
Iam votis adeò plena cum mente potiti;
Ite modò: patriæ loca nota reuisite sedis,
Quisq; suæ: longáq; via simul ite remensa.

FRANCISCI MAVRI

HISPELLATIS

MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIB. XII.

POstquam flauicomi, iussu patris, indiga pubes
Deseruit lætos fines, atq; arua Subasi:
Diductæq; acies, paßim ducis arma sequutæ
Ardua quæq; sui, notos petiere recessus;
Nuntia fama noui conuentus, protinus arces
Iliadæ ad magnas cursum, rumore secundo,
Detorquet celerem: primumq; immurmurat inter
Vulgus iners depressa solo: mox alta sonorum
Attollit caput, & claras sermonibus ædes
Implet ouans, lætisq; secat caua nubila pennis.
Nec modus effandi, sacrata palatia donec
Ascendens; magni patris diuerberet aures.
Tum canit, innumeras diuerso è sanguine gentes;
Queis neq; opes vllas curæ, non quærere victum:
Relligione sacras, ritu cultuq; verendas:
Ore canens magno, quas flaua è rupe Subasi,
Franciscus ductor nouus, indiga ad arma vocarat;
Conuenisse simul: pulchrisq; Subasidis oræ
Insedisse agris: canit vt vicinia tota,
Cælicolum monitu, victum transmiserit illis:
Vtq; vrbes claræ, paßimq; sine ordine pagi,

Vndiq;

Vndiq; conuectis dapibus, ieiunia leuarint
Agmina: & ærumnas, & sæua incommoda egenæ
Lenierint gentis, curaq; opibusq; iuuantes.
Addit vociferans, vt iuncea tecta cateruæ
Structa improuiso, pastorum more, sub alto
Monte frequentarint: partimq; sub ætheris axe,
Partim sub quernis stabularint agmina ramis.
Nam neque ibi vsus adhuc tectorum, non domus vlla,
Nec dum costilibus vacuas educta sub auras
Molibus hospitia extabant: sed limine paruo
Tantùm, atque exigua surgens testitudine templum:
In medio, igne calens, & meßibus ara Sabæis
Diues, inexhausto fumum exhalabat odore,
Perpetuum Regina poli tibi munus honoris.
Talia Romulidæ (fama gliscente) per aures
Sæpe ierant patris: penetraliáq; intima magni
Sæpe animi, rerum nouitas pulsauerat ingens.
Cùm tandem angustam gentis miseratus egenæ
Sortem ille, hæc secum tacitus sub corde loquutus.
O pudor, ò mors, ò tempora perdita, quò nos
Diuersi traxere dies, diuersa sequentes
Vota? quis heu mentes nostras amor incitat? aut quis
Error agit? vanis hominum labor vsibus ardens
Instat: inopsq; animi gens, atq; ignara salubris
Consilij, infaustas, nequicquam exercita, curas
Vsqueadeo euoluit, nempe infelicia captans,
Noxiáq; vltro animis, sed mox dolitura paratis.
En paßim immanésq; domos, turrésq; superbas
Extruere, & vacuas educere tecta sub auras
Ardua,

Ardua, & ingentes solido de marmore postes
Ponere, cura hominum exardet: viden' alta per urbes,
Perq; agros, ut prisca ætas monumenta locarit?
Et vulgò moles Circi, & spatia ampla prophanis
Ritibus, obscœnisq; addixerit impia ludis?
At nostros nec templa deum, nec sancta recludunt
Numina thesauros: paßim auersamur egenas,
Et premimus turbas: inopum nec parcimus ulli.
Nec res infractas miserorum attollere cura est.
En nouus hic ductor, noua, ad indiga castra vocauit
Agmina desuetæ gentis: iußitq; vocata
Spernere opes, aurumq; nocens, curamq; parandi
Cultumq; & victum: & tentare pericula vitæ
Extrema edocuit. Sed quis (bene quippe merendi
De miseris, iam tanta olim se copia nunquam
Obtulit (auxilijs, opibusq; iuuare profusis
Deiectos parat? aut quis iam miserescere gentis
Usque adeò spernacis opum, spernacis honorum
Aggreditur? quiuie insuetos acresq; labores,
Angustósq; pius rerum solabitur usus?
Nempe animos haud fas torpere in munere tanto,
Aut segnes cessare manus, aut parcere magnis
Diuitijs: an'ne, auxilij quæ munera poscit,
Non pia res? non sancta hominum, non inscia culpæ
Gens ipsa? an non ductoris fama inclyta toto
Orbe sonat, cælóq; micans se gloria tollit?
An'ne etiam crescens cùm iam orbis, origine prima,
Ornatu effulsit tenero, non insimul æquum
Imperij accepit sceptrum? rerumq; nouarum

Z Numina

Numina primæuis ſtatuerunt gentibus vſum
Communem, atq; aurum terra vetuere recondi?
Et nos ab miſeris cæleſtia dona negamus?
Auxilium prohibemus opum? communibus vti
Externos tanta inuidia eſt? tantiſq; citamur
Ardemuſq; odijs? ſic dedignamur egenos
Conſortes rerum? ſed quid? non omnibus idem
Ortus? idemq; hominum genus vna ab origine ſurgens?
Num proauos germen variat? num diſpare primus
Sanguine progeniem humanam complectitur auctor?
  Sed iam equidem noſco non euitabile diuum
Conſilium: nos quippe manet, noſco, ardua moles:
Noſtras poſcit opes, noſtróq; explenda labore
Res tanta eſt: agedum (longè mora ſegnis abeſto)
I, manus artificum: pete nunc læta arua, ſubaſis
Quà ſacros aditus, patulóq; iacentia campo
Regina diuum ſpectat delubra potentis,
Limina parua modò, mox cælo æquanda ſupremo.
Nempe hic, ſacrato vicina adiungere templo
Tecta, animo iam nunc ſedet, opportuna futuris
Hoſpitibus: ſiquà poſthac dux prouidus illuc
Agmina tanta virum cogat, pompáſq; frequentes
Aduocet, & magni cœtus inſtauret honorem:
Neu gens fortè hyeme, aut æſtu deprenſa fatiſcat.
  Hæc pater increpitans ſecum digeſſerat: & iam
Artificum delecta manus (vox regia quando
Vrget) iter feſtina rapit: diuertit euntem
Nec mora, nec requies, tenet arua feracia donec
Quà ſacro lauit amne greges Clitumnus opimos.

Tum magis accelerat cursum: nec longius inter
Tempus obit medium; diuini limine templi
Sistitur: & summissa Deæ prece numen adorat.
Atq; hic è numero senior, gnarusq; negoci,
Gnarus & ipse operum; comitum quem cætera pubes
Ritè audit; medius stans, altæ accomoda moli
Metatur spatia, atq; animo secum ordine signat.
Quæritur extemplò tenuis de more tabella:
Archetypæ qua scripta domus formetur imago.
Nec mora, mille manus coeunt: pars cædere syluas,
Et teretes læuare trabes, ferriq; polire
Robora dura acie: pars fundamenta refosso
Alta locare solo, penitusq; immergere fundo.
Vuidus hic limus coquitur tutamen ad imbres.
Illic duricies silicis iunctura tenaci
Dente operis molem, curua fornace liquescit.
Præcipuus verò, longinqua è sede recisa
Saxa loco vectare, labor. montem ilicet ergo
Itur in excelsum: sonat ictibus ardua rupes:
Præcipitesq; ruunt scopuli, saltuq; patenti
Desiliunt campo; vicina fragoribus antra
Assultant vastis: credas aquilonibus atris
Aut Hæmum euerti, aut Rhodopes latera aspera scindi.
Nec minus interea silices deuoluere cura est,
Et plaustris vectare rudes: quippe acriter instat
Dura manus iuuenum, fortes sortita labores.

Et iam plena nouos ter luna ostenderat orbes;
Cùm pater ex alta despectans rupe Subasus,
Miratur subitam molem; miratur & vnde,

Cuius ope, an'ne hominum manibus, iussuue deorum,
Improuisò aslent tecta hospita: mox tamen omnis
(Quippe tuo Regina deum iam numine verti
Rem tantam agnouit) cessit stupor: excitus ille
Assultatq; animo, & turbis gratatur egenis,
Auxilijs opibusq; adeò iam ritè refectis.
Interea fidum) Tyrrhenus nanq; recursans
Vsq; animo pactum reditum exposcebat amicus)
Franciscus pater aggrediens sic voce Lyænon,
Compellansq;, age, tempus, ait, iam iam hospitis ædes
Præclaras nostri, Lydósq; reuisere campos.
Hoc promissa petunt, hoc dextræ dextera primùm
Iuncta, fidésq; monent: & iam, reor, anxius ægre
Ille animo culpátq; moras, & tempora signat,
Enumerátq; dies, & votis æthera complet.
Talia fatus, iter longum simul arripit acer.
Tum verò affusos cœtus, atq; ordine circùm
Astantes comitum; manibus lustrabat & ore.
Accinctusq; dabat mœstis de more salutem.
Cui paribus figens animis vestigia fidus
Iungebat sese comitem, gressusq; Lyænos
Aequabat: celeri (medium breue temporis) omne
Emensi spatium cursu, iam mœnia cernunt
Eminus Arreti, supremáq; tecta domorum:
Atq; hic Franciscus socio prior instituit ore.
En iter expletum: quæ tanti causa laboris,
Haud ignota tibi: neq; enim non prodiga nosti
Iampridem hospitia Orandæ: scis deinde Lauernæ,
Ex illo, vt me ardens amor vrgeat, vtq; cupido
Dudum

Dudum animum raptet: lucósq; inuisere, & antra
Horrida, inaccessíq; optem saxa aspera montis.
Ergo agedum (Vnus enim socium delectus ab omni
Tu mihi gente venis) vnà mecum ardua solus
Nunc iuga conscendes: comes indefessus ibidem
Curarum, atq; omnis casus idem ipse leuamen
Mi te aderis: per te labor omnis mollior ibit:
Siue æstus me ferre iuuet, seu frigida cæli
Sidera, nocturnisq; humescere roribus optem.
Hæc, & plura ardens socio dum præcinit Heros:
Hospitis Orandæ non segnis nuntius aures
Implens, haud dubia Franciscum voce reportat,
Aduentare vltro, & iam limina nota subire.
Concitus ille gradu festino, occurrit amico,
Accepitq; manu, atq; humeris circuntulit vlnas:
Liminis alta dehinc subter fastigia duxit.
Tum solio acclinat molli, reficitq; quiete.
Ac prior excipiens, lætis sic vocibus infit.
Exiguum est meritisq; tuis, rebusq; gerendis
Quicquid ego impendiue olim, aut impendere posthac
Eualeant nostræ vires: nec me reor vnquam,
Nec quicquid gentis fert diues Hetruria, donis
Posse æquare tuas, meritóq; extollere honore
Virtutes: hinc parua damus: sed enim ipse profectò
Non magna affectas: nec te vnquam gloria fallax
Subuexit tumidum; aut popularis sustulit aura.
Sed iam agè chare hospes dudum expectate (reuersum
Te quando huc hodie aspicio: nec lusus inani
Spe queror; ò sed nec te vnquam pater optime quondam

Immemorem nostri rebar: nec prima superbum
Spreuisse hospitia, & lætos temerasse receptus:
Nec reditus culpare moras, nec fingere dextram
Infidam, aut vana mendacisue irrita linguæ
Promissa audebam) nunc tandem celsa Lauernæ,
Crastina cùm primùm sese lux aurea ponto
Extulerit, nemora vmbrosa (modò tanta voluptas,
Sitq; animo modò tantus amor) visurus abibis.
Ipse autem, ne nostra putes dona irrita; nullis
Deficiam in rebus: sed quò simul omnia certis
Perlustres oculis, scopulos, deserta, latebras,
Antra, nemus, rupes, lucos, præruptáq; saxa;
Vnà adero comes ingrediens: & singula pandens,
Non dubius monstrator ero, aut narrator inanis.
Præterea (nam prima fides data, iuráq; primi
Hospitij me sacra monent) extructa repentè,
Partim fagineo textu, partim acta cauatæ
Fornice sub rupis procuruo, bina videbis
Tecta, haud eximiæ surgentia culmina molis,
Non ditata auro, paryisq; effulta columnis:
Qualia sed metuens boreamq; imbresq; niuosos,
Durus in alpinis subitò locat incola saxis.
His gelidos vinces nimbos, hyemisq; fragores:
Propter & hæc rapidis exardens Sirius astris
Mitior adueniet: si verò plurima tecum
Turba dehinc comitum subeat victura; domorum
Ipse modum, numerumq; mihi mox præcipe tantùm:
Nec mora: quot socij valeant complere reperti,
Tot sub rupe domos, nigráue sub abiete cernes.

Interea

Interea dum tu nouus aduena celsa iugosi
Culmina montis habes; hos ne desuesce penates
Visere: neu quaeso pigeat discumbere nostris
Quondam saepe toris: quin tu, pariterq; tuorum
(Quanta erit) has nunquam gens exhorrescite sedes.
Non cassi accessus, non vota procacibus euris
Effundetis: habent placidos haec limina diuos.
Has sibi diuitias iam numina certa sacrarunt.
Imò agedum (sedet hoc animo) fortuna beato
Indulgens vultu, quicquid mihi reddit opimo
Vndiq; prouentu, domino tibi seruiat vni.
Haec bonus Orandes: cui non indigna vicissim
Ore Subasaeus sic orsus, reddidit Heros.
Magne hospes, praestans animi, seruator & aequi,
Assertórq; acer pietatis: limina postquam
Haec ego digrediens liqui (quanquam vsq; labores
Instabant, animumq; graues, noctesq; diesq;,
Vrgebant curae (tua nunquam pectore imago
Excidit: vna mihi sedenim altius acta resedit
Vsq; animo: me nulla dies non ore sonantem
Audijt Orandae nomen: rorantibus vmbris,
Humida nox quoties terras spargebat inertes;
Continuò in somnis, mihi tristis adesse iacenti,
Ante ora, & pactum iam voce reposcere clara
Ipse videbaris reditum, neglecta Lauernae
Obijciens saxa ingemere, & querula antra vocare
Iamdudum accessus nostros, cultusq; recentes.
Hinc me ardens reditus cura, atq; amor acer habebat.
At quò, diuersas (quando hinc data dextera dextrae,

Ad te adeò remeare hoſpes me ſæpe monebat:
Parte alia incœpti conuentus plurimus ordo,
Et grauium moles rerum angere, & arcta facultas)
Diuiſum in partes, animum conuertere poſſem?
Quid'ue agerem? neq; enim tantos abrumpere quiui,
Aut prorſum, infectis rebus, dimittere cœtus.
Sed iam agedum, quid parua mihi tua munera fingis,
Quid meriti exigui pendis: quæ turbida vultum
Liuentémq; animum, Cocytiq; ebria luctu
Proſpicit inuidia, & felicia cœpta prophanat
Ore atro, atq; vſum diuini muneris odit?
At me non vnquam (neq; enim fas) arguet ætas
Immemorem facti quondam ventura: diésq;;
Quò primum hoſpitio domus hæc me læta recepit;
Semper honoratus, ſemper mihi candidus ibit,
Et rediens aderit ſolenni luce quotannis:
Dum ſuperi liceat veſci mihi luminis aura.
Quin etiam, nobis ſiqui poſt fata nepotes;
Qui non degeneres turpi formidine noſtros
Horreſcant monitus, auerſenturq; labores;
Succedent, tua facta canent, tua munera dicent.
Nunc ego poſthabitis lucis, antriſq; Subaſi,
Ad ſcopulos (hinc diſce hoſpes tua maxima dona.
Diſce modò gentis Tyrrhenæ gloria fulgens,
Obſequijs fatear quantis, ſempérq; fatebor,
De me, déq; meis meritum te rebus) amatos
Accedo Hetruſci montis nouus incola, primus
Prima audens duri tentare cubilia ſaxi.
Hic; diuerſa meis ni ſancta oracula diuum

Omnino obstarent votis; componere vitam
Extremo cuperem fato, & ; quos ordine paucos
Auguror esse; dies placida lenire quiete.
Sed iam nunc, mora nulla, sequor venerabile numen,
Quo me cunq; vocat: quo me cunq; orbe caducum
Nuda premat tellus, minimum est; at deinde negari
Iam mihi finge vrnam: quid tum? méne insuper aureis
Sideribus pictus cæli tegere abnuet orbis?
At nos (ò cæcas mentes, ò vana furentum
Consilia) obliti famæ melioris, inanem
Rumorem excipimus, tenuesq; paramus honores?
Dum vecta externo sinuosa per æquora ab orbe,
Artibus excolimus miris, titulisq; superbis
Ornamus saxa, & rutilo succendimus auro,
Nimirum pictis tecta opportuna colubris,
Squalentiq; situ demum, & pædore replenda.
At verò longæq; viæ, duriq; laboris
Quòd iam te comitem, monstratoremq; nouarum
Certum habeam rerum; votis ardentibus opto.
Quòd mihi diuitias tot dehinc, natisq; futuris
E largire meis; horresco, ac fixa refutat
Mens: tuq; vnà horresce hospes: sed prodigus illas
Parce alijs, quos ista dabunt tibi mœnia vulgò,
Quos vicina ferent, quos tota Hetruria mittet.
Me verò, ipse olim scis, & te scire necesse est,
Vtq; amor omnis opum, vtq; omnis defecerit ardor,
Atq; auri vesana fames: nunc mollibus ergo
Ne donis adeò indulge: ne tu modò votis
Hanc pestem, aut crudele meis compone venenum.

Talibus

Talibus Heroes sese hinc, atq; inde vicißim
Compellant. rubet interea sol pronus, & vndis
Auricomum Hesperij iam iam caput æquoris abdit:
Hudaq; paulatim fuscas nox explicat alas.
Olli composito tandem sermone, silescunt.
Tum mensæ, cereris: nox intempesta, quietis
Dona ferunt, lassosq; sopor suus occupat artus.

Postera iam referens ortus, lucemq;, coloremq;
Astra polo, & terris Aurora fugauerat vmbras:
Cùm bonus Orandes thalami penetralia linquens,
Infert se lætum: pactiq; haud immemor, vltro
Francisci sedem magni petit hospitis altam.
Ille autem in morem, primo exposcebat Eoo
Tum veniam superos, onerabatq; æthera votis.
Affuit ergo Heros: breuiterq; affatur amicum.

En vocat alma dies: nostros iam distinet vltrà
Quæ mora tanta abitus pater optime? præuius omnis
It famulum cœtus: curæ quibus alta Lauernæ
Instruere hospitia, & tectis aptare paratus:
Auxiliumq; viæ, & tenuis præmissa supellex.

Tantum effatus, iterq; extemplò corripit acer.
Progressu excitus celeri pater æquat euntem:
Cui sese fidus comitem de more Lyanos
Iungit, non animo, non curis degener altis.
Sicut; vbi in magna spectandos nuntiat vrbe
Fama canens ludos; properat visurus agrestis,
Multa cauens sibi, multa animo contraria versans:
Et modò commissos fingit, modò ritè solutos:
Nunc timet excludi circo, spatiumq; negari

Omne

Omne sibi: tum se lentè castigat euntem.
Sic pater ire viam: montem capita ardua donec
Altè attollentem, & nigrantia culmina cernat.
Quò postquam ventum est: aspectuq́; obuia primo,
Seu fortuna tulit, seu parui semita callis
Angusta, immani prærupta obiecit hiatu
Saxa; pater stetit actutum: ac simul omnia, ductis
Huc, illuc oculis, lustrans, demum ore soluto,
Incipit: & tales effundit pectore voces.
O tandem ingenti tellus mihi parta labore,
Digna sed ò grauiore peti; salue optima nostri
O cœtus altrix, simul & fidißima quondam
Seruatrix, salue oraclis mihi debita sanctis.
Nanq; olim (iam nunc repeto) pulcherrima diuum,
Per noctem ante oculos astans Regina soporam,
Te mihi præcinuit: cæcis quin insuper atræ
Artibus Eumenidos, laruas mihi mille parari,
Mille hîc insidias, pugnandaq́; prælia mille
Noctibus, ipsa canens, monitum me Diua reliquit.
At tu; prædones malè quondam assueta sub antris
Occulere immanes: diraq́; è cæde regressos
Sæpe vltro excipiens, cura hospitioq́; tueri;
Nunc me læta foue, & gremio simul accipe duro.
Hospitibusq́; pijs tutum da fida receptum.
Da certam (ò felix, quondam ad meliora vocaris,
Haud vltrà infamis, probrisúe obnoxia) sedem.
Fors & tempus erit: cùm te, tuaq́; antra, latebrasq́;,
Hoc nemus, hos scopulos tanti meminisse iuuabit
Hospitij; astrigero cùm iam nitidißima cælo

Peruolitans

Peruolitans clari attollet se gloria facti.
Quin etiam miranda adeò nunc accipe: quæ iam
Non linguæ volucrum, non præpetis omina pennæ
Vana mihi, sed certa canunt oracula diuum;
Hæc iuga, Tyrrhenis non tantùm ex vrbibus olim,
Finibus aut Italis, vulgi crebra agmina visent:
Sed quæ prona tenent deuexæ littora Calpes:
Quæque tuos primæ spectant Aurora rubores;
Festinæ has sedes, hæc dura cubilia, gentes
Accedent: atque his altaria parua sub antris,
Certatim externo cumulabunt munere, & alta
Thure vaporabunt summi fastigia templi.
Ille hæc oranti diuum pater æthere ab alto
Annuit: & rata dicta volens; saxa ardua nutu
Concussit: terque aurata cum luce coruscos
Dat tonitrus, cæli læua de parte serens.
At bonus Orandes (magno quanquam optat amico
Commonstrare locos coràm, & monumenta locorum
Pandere cuncta ardet) visis mox territus hæsit:
Obstupuitque animo, gelida formidine quassus.
Ceu quis; fortè graui compressus membra sopore,
Velle loqui sibi visus; hiat: nec verba sequuntur,
Nec vox vlla sonat: frustra ciet ille latebras,
Obnixusque vrget sicci pulmonis anhelas.
At demum vt uires, solitusque per ima refluxit
Ossa calor, suaque excita lux reddita menti est;
Incipit. O terris decus addite: gentibus ægris
O columen cælo lapsum, ac spes certa salutis;
Hic specus, hæc rupis disiecta cæca vorago,

Atq; immanè patens: tunc; cùm sol aureus orbi
Subduxit lucem, lethum indignatus acerbum
Auctoris rerum: & latè sola vasta patentis
Telluris gemuere cauis decussa sub antris:
Mœniaq; horrisono mundi conuulsa tremore,
Implerunt trepidas gentes mugitibus atris;
Apparens primùm, vicinos vndiq; pagos,
Spectatum acciuit magnæ noua monstra ruinæ.
Nanq; ferunt, vasto tremeret dum pondere tellus;
Hæc saxa immanis penitus vi quassa tremoris
Dissiluisse: atq; ingenti diducta fragore,
Qua modò laxa patent, traxisse voraginis ora.
Ex illo (quando antra, nemus, latebræq; profundæ
Rupis inaccessæ, loca tuta nocentibus esse.)
Sæpe hîc conuentum diræ fecere cateruæ
Raptorum: prædasq; loco assueuere recentes
Partiri secum, & læta conuiuere rapto.
Hæc memorans simul antè ferens vestigia; primo
Ascensu superat cliuum, tumuliq; cacumen.
Tum montis dorsum; quà læua hinc despicit altum
Præruptumq; latus: dextra hinc nemora horrida linquit;
Progrediens monstrat. Tunc, ò pater aspice, dixit,
Hunc silicem. (tendensq; manum, simul indice mõstrat.)
Cernis vt insurgat præcisis vndiq; saxis,
Supremo aëreas imitante cacumine metas,
Iunctus erat quondam rupi: nunc distat hiatu:
Quantum non longi committat machina pontis.
Hunc nostris fama notum fecere diebus,
Impia semihominis monumenta, innataq; cordi

Dira

Dira Lopi feritas, & cædum sæua cupido.
Sarmaticis (ea fama canens) hic debita factis
Supplicia infandis fugiens, excesserat oris:
Informis visu, atq; immanis corpore, & ore
Terrificus: caput assurgit cui turbinis instar,
Incultisq; riget setis: frons turget acuto
Tubere: subter hiant orbes, oculiq; reposti
Interius sedere truces, atq; igne micantes:
Talis erat, talemq; feri genuere parentes.
Hanc igitur sedem monstrum illatabile nuper
Cœperat: his dumis, cæcisq; latebat in antris
Per lucem: at postquam nox intempesta silebat,
Et latè obtentas densabat fusca tenebras;
Horrificas sedes, & fœda cubilia linquens;
Præcipitabat atrox descensum montis ab alto
Vertice: & immani rabie turgentia quassans
Pectora; mox agros ferus irrumpebat apertos.
Væ pecorum stabulis, væ tunc agrestibus illis,
Quos nec firma domus, portæ non vectibus areis
Effultæ poterant, non robora sæua tueri.
Quippe manu claustra effringens, postesq; reuellens;
Fortia nunc iuuenum, nunc tarda senilibus annis
Corpora, nunc haustu siccantes ubera natos,
Imbellésq; nurus raptat, timidasq; puellas.
Accipe nunc maiora pater, nec mollia fatu,
Nec voce incerta, dubioue auctore relata.
Lanigeros si fortè greges, armentaq; raptor
Impeteret (stabulis heu mitior ira leonis,
Hyrcanæue tigris rabies impasta veniret)

Mollior)

Mollior) infanda nimirum cæde magistros
Posternit primùm: tum vi septa alta refringens;
Molle pecus ferroq; necat, manibusq; cruentis,
Dentibus infrendens, spargit, laniátq;, trahitq;.
Neu grauia effugiant taurorum corpora cædem;
Mox ille insurgens nodosi roboris ictu
Fulmineo, magnis inculcat strata ruinis.
At postquam non sponte animi, sed fessa quierat
Immanis rabies, redituḿq; parabat ad alta
Limina fœda domus, oneratus stragibus armos
Lanigeris, pedibusq; trahens post terga iuuencos
Sæpe etiam geminos forma præstante, subibat.
Quàm facile errantemúe agnam, errantemúe capellam,
Ore lupus rabido trahit, ac vorat inter eundum.
Núnc captos quæ mulcta viros, quod deinde manebat
Supplicium, cape: mente hauri miserabile factum.
Huc nempe attractos non iam spirabilis auræ
Quam primùm dulci spoliabat munere: sed mox
Obscœnámq; famem, ieiuniáq; atra parabat.
Roboreo nanq; iniecto per dissita ponte;
Summo infelices sistebat vertice saxi,
Præcipiti aut saltu, longa aut ibi morte necandos:
Imò ò (gentis enim vis effera credere suadet
Et morem, & faciem sceleris) vaga fama canebat,
Visceribus solitum humanis, & sanguine vesci.
Tale diu monstrum pridem has exterruit oras,
Et miseros dira vastauit cæde colonos:
Cælicolis donec tandem miserantibus, vltor
Affuit, & stygio sua munera reddidit orbi.

Heroum Hetruſciq; ſoli, Latyq; ſuperbi,
Nulli animo inferior, nulli virtute ſecundus;
Guidus ab antiquo Pheretraea ſanguine gentis
Tum fuit: hic de more gelu duratus, & aeſtu,
Primaeuos forti venatu aſſueuerat annos
Excolere: & curſu celeres praeuertere damas,
Aut iaculo petere: & ſpumantes comminus audax
Figere apros: ſolidis at poſtquam firmior aetas
Acceßit membris; non illum cura paterni
Implicuit numeroſa laris, cultaeue nouales:
Non Venus, aut dulces animum flexere Hymenaei.
Sed mox arma placent, ſaeuusq; in pectore magno
Gradiuus ſedet: horrenda iuuat oppida bello
Iam quatere, & latis acies ſtruere ordine campis.
Ergo optata dies aderat; qua tempora parcae
Tandem Sarmatici complerent debita monſtri.
Hetruſciq; Lupus timor, atq; infamia ſaxi,
Ederet eliſam, & ſcelerato in ſanguine merſam,
Sontem animam, & poenas factis expenderet aequas.
Nanq; Heros ſenio iam tum defeſſus & annis,
Poſt victas acies, pugnatáq; bella, trophaeis
Mille actis; mille exuuijs ex hoſte relatis;
Ad patrias ſeſe demum reuocauerat oras.
Inuitus tamen ocia amans, deſuetáq; triſti
Bella animo repetens; indignabatur inertis
Corporis effoetas vires, hebetémq; ſenectam.
Tunc ergo (ex illo quando hoc ſolamine tantum
Saepe excire animum reſidem, & turbare quietem)
Venatum ire parat (mora nulla) ad limina coetus

Conueniunt

Conueniunt vltro iuuenum: mediumq; veredo
Frenato Heroem subuectum, humerosq; grauatum
Deuexos pharetra insigni, cornuq; retento
Accipiunt: portáq; effusum it protinus agmen.
Hic iaculo leuis, huic nitido venabula ferro
Terga premunt, pars lina ferunt, flexusq; plagarum
Expediunt: sine more canum ruit ardor odorus.
Stat nostris haud longè oculis (en aspice) collis
Conspectu apparens: rapido qui plurimus Arno
Incubat, & flauas amnis despectat arenas.
Horrificus vertex, vmbraq; nigerrimus olli
Surgit: nec nostro huic, Appenninoq; iugoso
Inuidet intactos peropacæ frondis honores,
Non veteres fagos, non robora sæua, nec ornos.
Quò postquam ventum est; gnaris mox retia circùm
Tendere nodosa, & densos indagine saltus,
Cingere cura fuit: tacito succincta labori
Turba silens primò; at demum clamoribus instat.
Ecce autem sylua è media (accepere sonantes
Venantum subitò fremitus) simul agmine denso
Excitam ceruorum aciem, per deuia voluit,
Præcipitemq; rapit fuga cæca, metusq; suburget.
It clamor cælo: luctantes vincula rumpunt
Arcta canes; rapidis vacès dant cursibus alas:
Cornigeriq; fugam glomerant, & retia saltu
Tenta leui superant: magnos ramosa fragores
Cornua dant, flictúq; sonant collisa frequenti.
Iamq; adeò exierant, iam tota armenta per æquor
Sparsa ruunt volucri cursu: nec fulminis ignes,

Nec Gortiniacas velocius ire sagittas
Credideris: non sic tumidis aquilonibus Arctos
Vertice ab excelso laxas immittit habenas.
Vnus erat toto ferus agmine, corpore vasto,
Altius ingrediens cunctis: cui cætera vulgi
Turba subit; quanta lepus iret mole sub illis
Hic verò (seu iam cursum fortuna regebat,
Pectore seu credas partem insedisse ferino
Diuinæ mentis, sensusq; agitasse retusos.)
Vt nemore excessit denso, liberq; patentis
Arua soli pedibus tetigit; mox separe cursu,
Præcipitiq; fuga, diuersa per auia certum
Huc tenuit pauitans iter, hac se condidit vmbra.
Longa canum dimissa cohors, pecus omne fugacis
Armenti indignans simul, atq; ignobile vulgus
Vltro despiciens; rapidis hunc cursibus vnum
Insequitur: tantùm huic latratibus incita crebris
Instat, hiansq; ciet morsus, atq; increpat ore.
Sarmaticus raptor miseris pastoribus, illo
Fortè die, armenti partem subtraxerat: & iam
Sub fago abductos tauros numerabat opaca.
Ecce autem, aduersum in latus vt fera lumina torsit;
Cornigerum videt: & telum mox turbidus ingens
Corripit, atq; altè suprema librat ab aure;
Inq; feri tergum fugientis destinat ictum.
Librantem videre canes, quæ maxima ceruum
Turba sequebatur: primusq; Lycaos acutis
Insuetisq; ciens latratus vocibus; agmen
Incendit totum, monstrumq; immane, relicto

Cornigero, incursu rostrisq; inuadere suadet.
Protinus vna omnis, rapida velocius aura,
Condenso assultu, turba ingruit: Harpalos vnus;
Quem pridem elisi sub saltibus Appennini,
Gloria tollit ouans, lætusq; honor incitat apri,
Accenditq; animos, & sæuas aggerat iras;
Prosilit, atq; alios fugit ante elapsus: Amintor
Subsequitur velox: quem trux premit Hippasos: illum
Pheocome nato Lycida comitata rapaci.
Tum Lycabas, Dictysq; sagax, & nare Lycetus
Vtilis, Hylonomesq; ferox, & fidus Araus.
Et villosus Helops, & nigro pectore Tigris.
Alba Nape, at fuscis maculis interlita dorsum.
Tum, quos longa mora est numerare, sine ordine cursum
Immiscentq; ruuntq; alij: ac simul agmine facto,
Tum primum horrifica pectus formidine quassum,
Turbatumq; animo, & certæ rationis egentem
Raptorem densa cingunt, rabidaq; corona.
Ille fugam trepido frustra pede tentat: inanis
Tum labor omnis: hebent vires, animusq; fatiscit.
Vastificæq; manus defectæ robore languent.
Nulla mali superest fuga, vis haud vlla periclo
Eximit: vltores adsunt: vltricia morsu
Stant circum ora canum: & iam læuo primus ab armo,
Eurynomus dependet atrox, & dentibus vncis
Nunc fera terga fodit, nunc ilia laxa reuellit.
Inde lycus dextrum femur, Osborus inguina rictu
Dilacerant: subitoq; omnis coit vndiq; turba:
Hic trahit, hic mandit, fodit hic, euiscerat ille.

Sic obit ingentem nigrans concursus aceruum
Frumenti: duro formicæ longius ore
Cùm cererem asportant, & subterranea victu
Tecta replent, recoluntq; hyemem, parcuntq; reposto.
Iámq; immane, ferox, turpe, atq; inamabile monstrũ,
Morsibus horrificis lacerum iacet: effera gliscit
Tam magis ira canum, quàm sanguinis vnda cadauer
Trux magis atra lauit: certatim rostra cruentis
Visceribus condunt, & fibras dente lacessunt.
Interea iuuenum manus ardens, puluere in atro
Signata alipedum paßim vestigia seruans;
Numine agente deum, gressus huc vertit anhelos.
Vt venit, viditq; horrens, vastumq; cadauer;
Aspectu obriguit primo, atq; immobilis hæsit.
At postquam informis diri prædonis imago
Cognita: truxq; horror, feritasq; apparuit oris;
Exiliunt, vnáq; exclamant, vicimus, omnes,
Vicimus: insperatus honos, insigne trophæum
Stant hodie nobis: præda sat nostra, supérq;
Lina tenent: Hetruscam hodie defendimus oram,
Mille animas vlti, mille oppida, mille rapinas.
Hæc, & plura canunt: nemus assonat, antra resultãt
Vocibus. at nequeunt expleri corda, tuendo
Informes artus, immaniáq; ossa, trucésq;
Infossosq; oculos, & semiferos aspectus.
Tum demum arrecta, caput à ceruice reuulsum
Affigunt hasta, & magni solaminis instar,
Ferre parant, præcone (Lopi) clamante per vrbes.
Hæc memorans subit vnis Heros, ingáq; ardua mõtis
Monstrat

Monstrat inaccessi: tum subsidentis opaco
Vallis, ait, nemori, modicam pater hanc viden' oram?
Hic domus alitibus cæli, si credere dictis
Agrestum fas est: qui; postquam semifer atro
Occubuit fato Lopus; inter frondea luci
Culmina, cælicolum voces, & læta frequenter
Carmina, se dicunt, celeresq; audisse volatus.
Iamq; loci horrorem, nemorisq; silentia nigra
Relligione sacri sese expauisse fatentur.
Hactenus antiqui monumenta ostendimus æui.
Huc modò flecte aciem, geminasq; addisce sub alta
Rube casas, tecta ornatu haud extructa superbo.
Qualia sed dudum promisimus: hæc tibi sæuas
Defendent hyemes: spumantis brachia Cancri
Ibunt hic tepida: & miti canis ingruet astro.
Ingredere ò quæcunque vides: & vilia magnis
Aude hospes conferre opibus, Gazisq; superbus
His, contemne Hermi rutilas flauentis arenas.
Orandes multis, tam multa: Subasius Heros
Contrà pauca refert. O' quis tibi digna vicissim
Præmia mortalis reddat? certare merendo
Quis valeat tecum? nihil ò, nihil hospitis ampli
Officio deest: nec quicquam tibi prorsus omissum est.
Francisco Orandes fidei memor, omnia soluit.
Quid verò hic repetam, quantis tu laudibus olim
Hunc lucum extuleris? quàm nostris commoda votis
Hæc antra, has vmbras, hæc aspera saxa probaris?
Et tamen haud fictor fandi, haud narrator inanis:
Quin hodie rerum parcus laudator haberis.

At sperare; tuis meme persoluere grates
Posse vnquam meritis dignas; modo desine: tantum
Hæc oculis diuum atq; hominum sator aspicit æquis.
Præmiaq́; & meritos quondam tibi seruat honores.
Hæc pater. Orandes famulis tum ritè vocatis
Discessum edicit: parent dicto ocyus illi.
Iamq́; adeò multa dicta, acceptaq́; salute;
Tyrrhenus carpebat iter lætissimus Heros.
Franciscus verò subter frondentibus vmbris,
Fagineaq́; domo, & saxi sub rupe cauata
Se locat, vnáq; accersit sub tecta Lyænon.
Tum prior. ecquid erit nostro iam parta labori
Hîc requies? an nos iterum dominator Olympi
Impulerit gentes petere, atq; errare per vrbes,
Perq́; humiles pagos, hominumq́; inuisere mores?
Atq; equidem, ni iam diuina oracla vetarent,
Rupe sub hac (adeò quondam hic me concitat ardor)
Supremo optarem vitam componere fato.
Interea diuum genitorem flectere nobis
Sit precibus cura, & votis placare potentem:
Oremus pacem, & palmas tendamus vtrasq;.
Præcipuè ætherei genitrix pulcherrima Regis
Exoranda pijs donis, animisq́; cienda est
Supplicibus: quippe ante alios hæc vna seueris
Me monitis agitat, iußisq́; haud mollibus urget.
Hæc me, posthabita dilecti rupe Subasi,
Cogit Tyrrhenas sedes, locaq́; horrida dumis
Incolere: atra canunt bella hîc mihi, certa soporam
Somnia per noctem, fraudesq́;, minásq; parari,

Terroresq; graues: quos sæua innectit Erinnys.
Ergo animis contra, rerum in discrimine tanto,
Perualidis standum est nobis: ac fortibus ausis,
Obtentis ultro capita obiectanda periclis.
Quo nos cunq; uocant superi, reuocantq;, sequamur.
Primùm autem; stygij nequà hostis tela uenenis
Illita gorgoneis, sensus illapsa per imos,
Officiant animis: neue oßibus implicet ignem
Dira lues, facibúsq; exurat pectora cæcis;
Tutemur lucum excubijs: procul omnis abesto
Segnicies castris: nobis hic ira furentis
Expectanda hostis: neq; enim dare terga prementi
Tutum: equidem uidi magnas (ubi uiuida uirtus
Insurgit, proq; excelsis stat mœnibus audax)
Sæpe acies modico fusas cecidisse sub hoste.
Nil adeò non ui dura, labor edomat ardens.
Verùm agedum, tempus iam spe præsumere bellum.
Nam furere immanes reor hostes: arma paremus,
Seruemusq; uices, & propugnacula castris
Densemus positis, firmemusq; aggere uallum.
His animum exacuit pater, accenditq; Lyæni.
Annuus interea rediens, iam mensibus actis,
Orbe dies pleno, præfulserat ordine mundo:
Quo gentes de more piæ, crucis aurea cælo
Attollunt signa, & sollennibus altius aris
Affigunt: Regemq; uocant diuum, atq; potentem
Seruatorem hominum: tum ipsius carmine sacro,
Facta canunt, laudesq; ferunt: ut prima colubri
Prælia tartarei uictor pugnarit: & ipsum

Oraclo esuriens trino confoderit hostem.
Vt latè errantes sub tecta reduxerit agnos,
Pastorq́; & custos vigil: vt rapida ora luporum
Vsq; premens, cohibensq́; vltro se mille periclis
Obtulerit. Tu noctiuagam imperterrite turbam
Armatamq́; cies: tu mactatoribus vltro
Te prodis, seruasq́; tuos à cæde clientes:
(Ah magnæ insontisq́; animæ tua prodiga virtus)
Tu præcelsum onerans suspenso corpore malum,
Transuersum passis robur metire lacertis.
Te stygis atra palus tremuit: mundiq́; nocentis
Dux horrens tua signa; imis se condidit vmbris.
Nec te ærei vectes, nec te alta repagula valli,
Portarumq́; mora, ambiguum, aut rationis egentem
Detinuere illic: quin tu prædator Auerni,
Ingruis, atq; atro centena in vincla petito
Deripis exuuias, & tergora detrahis angui.
Inde pias animas sub luminis euehis oram.
Salue ò progenies magno salue æqua parenti.
Et tua sacra hodie, deuictáq; bella canentes
Aspice nos, felixq́; veni, & rege numine fausto.
Hæc terris latè resonat dum carmine sacro
Gens pia; supremi per magnas ætheris aulas,
Quà pater omnipotens diuum, spectabilis aurea
Luce, sedet medius, subtérq; meantia circùm
Sidera prospectu fouet, ac discordia magni
Fœdere perpetuo componit semina mundi;
Cælicolas noua pompa ciet: noua gaudia tentant
Aligeros cœtus: & iam puer arduus ibat,

Totas collucens, laceróq; in veste sub ostro
Aurata increpitans, radÿsq; micantibus ardens.
Aurea cui roseam stellis implexa corona
Nectit cæsariem, & sacra tempora tænia cingit.
Purpuream in nodum chlamydem collegerat auro.
Hic crucis auricomum, & flammantem sanguine malũ,
Aetheraq; immensum radÿs simul illustrantem,
Attollens; pompæ, totiusq; ordine gentis
Ductor ouans vltro subit, ac se præuius infert.
Tum verò alituum pariter gens tota, choreis
Extemplò in morem structis, signa alta ferentem
Subsequitur, Regémq; canit, Regisq; triumphos
Aeternos: sed præcipuè præconia sacræ
Vocibus attollit crucis: aurea tecta resultant,
Et latè ingentis reboat plaga feruida cæli.
Vt verò ante patris conspectum, atq; ora canentes
Euasere acies; thiasos circum agmine fuso,
Plauserunt de more hilares: tum ritè sedentes
Ter trinis cinxere choris solia aurea: Regiq;
Ostendere crucis robur spectabile sacræ.
At genitrix nato coram, pulcherrima uirgo
Astat: eam pepli mirus uelabat amictus.
Fulgore irradians orbis, caua tempora circum,
Aureus, & uario flammantes ordine gemmæ;
Suggestum æterni diadematis attollebant,
Regni insigne sacrum, & capitis uenerabile tegmen.
Obtulerant Diuæ quæ cuncta Subasides olim.
Et mentem auersam, atq; irati pectoris æstus
Supremi tanto placarant munere patris.

Virginea

Virginea tum sic nato Dea voce loquuta est.
Nate, dies, ostentum ingens, quod mente recondis,
Hæc ritè expectat: nanq; hac magis apta nouandis
Vulneribus quæ Nate tuis? agè tu bonus altas
Cerne hodie terras; sanctæ vidén' agmina gentis,
Quàm latis tua facta canant, tua prælia dicant
Vocibus? vtq; tui latè micet alta trophæi
Gloria, & astrigero tollat sese inclyta cælo?
Tuq; adeò victor, debellatorq; vocaris
Eumenidum: meritiq; tibi instaurantur honores.
Quin etiam (& tamen his nil maius nate creatum
Per te vsquam est) cœtus simul & tota agmina nostræ
Gentis, ad hæc hodie solennius vndiq; tecta
Conueniunt: lætóq; ferunt victricia cantu
Signa: vides circùm intentis vt vultibus omnes
Mandata expectent: quid tantis deficit orsis?
Nempe Subasæus monitis non aspera nostris
Heros corda gerens, iam tum capita ardua saxi
Hetrusci mœrens tenet: antráq; vocibus implet:
Et gemitu nemora alta ciet, veniamq; precatur.
Tu modò flecte oculos (pepli velamina pandit,
Fata viri monstrans) simul hæc Nate aspice: Vates
Num frustra hæc rubro cecinit monumenta sub antro?
Da tandem rata sint: da viuo in corpore gentes
Monstra piæ hæc spectent: iam deniq; perfode quinis
Nate Subasæum telis Heroa, notasq;
Membris, signa tuæ stellantia mortis inure.
Mater ab his tacuit; placido mox ore tacenti
Filius hæc. Non me (nec tu id rere) effugit, olim

O genitrix, nostrum quàm multis nocte petisti
Heroem monitis: vidi quibus ipsa fatigas
Sopitum imperijs: vidi illum deniq; montis
Hetrusci sub rupe caua, suspiria tristi
Eructantem anima, & gemitu nemora alta cientem.
Nec mihi fata viri, rubriq; oracula saxi
Excessere animo: mea nec sententia quicquam
Versa retro ò mater: ne tempora longa morarum
Finge: hac fata tenus, fatorumq; vltimus ordo;
Ostentumq; ingens, ostentiferiq; diei
Occuluere ortum: magniq; hæc ritè parentis
Nutui, ad extremos spectacula distulit annos.
Nunc; quoniam monet alma dies, iamq; ipsa vocat res;
Haud mora longa, feret mea signa Subasius Heros.
Sic natus: facili dehinc numine dicta sequutus
Annuit: attremuere ingentis mœnia cæli:
Atq; vnà excußis micuerunt agmina pennis
Alituum, circumq; assultauere choreis.
Qualis; vbi in magno pubes numerosa theatro,
Quondam adeò opperiens spectacula læta, resedit:
Instructo tandem venientibus ordine nimis;
Fit subitò clamor: perq; alta sedilia voces,
Et plausus volitant: consessusq; instrepit omnis;
Talibus, hic votis plena iam mente potiti,
Mox animis, cœtus simul infremuere volucres.
At Rex illustrem radijs circuntulit aureis
Ter faciem: nouies solio circunflua latè
Gens, Regis lustrata pio ter lumine, gaudet.
Inde vnus famulum numero delectus ab omni,

Mox

Mox aſtat ſolio: diuiniq́ impiger oris
Expectat nutum, & facilis mandata capeßit.
Rex infit. Ne prima quidem iuuat ire per orſa.
Hæc tantùm cape dicta, animóq; aduerte tenaci.
Stant prærupta, iugis ſub nubiferi Apppennini
Saxa: Arnus primùm quà ſeſe attollit in auras:
Irriguóq; ſecat florentes agmine campos.
Gens Tyrrhena loco vetus, aſſuetudine priſca,
Et turbæ agreſtes, nomen fecere Lauernæ.
Hic modò (nec tu adeò neſcis) antra horrida noſter
Franciſcus; flaui lucis ſcopulusq́ Subaſi
Poſthabitis; colit, & gemitu nemora ardua complet,
Primæuæ incuſans commiſſa piacula vitæ.
Quid memorem, victum dent vt radicibus herbæ
Anguſtum euulſis? potum vt caua ſaxa propinent?
Hunc equidem mihi iam ſimilem hæc mea ſigna futurũ
Delegi, oſtendi, atq; ipſi accepiſtis ab ore
Sæpe meo iam vos exultaſtisq́ reperto.
Ergo age pelle moras, celeres molire per auras
Fide viam, & pronus terras inuiſe iacentes.
At ſimul vmbroſæ attigeris iuga celſa Lauernæ;
Exutus pennis humeros, ſub fornice rupis
Contemplare virum meriti nullius egentem.
Tum faciem tibi ſume nouam, caua nubila circum
Induere, aëreósq; artus: hominisq́ loquelam
Adde ori, geminóq; gradus pede finge decoros:
Quò capere ipſe acie, & certo comprendere viſu
Te queat: extemplóq; his vltro affare ſedentem.
Non fruſtra acceſſus olli mea, nocte ſub alta,

Etruſcam

Hetruscam ad sedem, genitrix pulcherrima suasit.
Non vana in somnis fallax oracla loquuta est.
Cuncta rata expectet: sciat irreuocabile fatum,
Virgineo quodcunq; potens Dea præcinit ore.
Tum magnos bonus adde animos: hortare, paret se,
Venturis (quoscunq; feret sors) casibus vltro
Intrepidum caput obiectans. is nuntius ito.
Rex ita: nec cornu velocius exit arundo,
Parthe tua propulsa manu: non tela Cydones
Acrius excutiunt neruo: quàm regius ales
Viderit Hetrusci nemorosa cacumina saxi.
Quò postquam ventum: & iussi caua corporis vmbra
Constitit; improuisa viro sese ilicet offert.
Obstupuit subito aspectu pater: oráq; fixus
Obtutúq; hærens stetit: vltro cui bonus ales.
Exue corde metus, vultumq; attolle: supremi
Interpres Regis venio, non tristia portans
Visa, neq; horrificis turbata assultibus vrgens
Pectora: lætitiam veniens gero: læta subinde
Omnia discedens nimirum ego linquere sueui.
At tu, quicquid erit, quanta aut res (nempe tibi ingens,
Diuinum, insuetum monstrũ, ac memorabile partũ est)
Ne fuge, néue animo trepidans horresce: sed vltro
Contrà tende ferox; congressus fortibus ausis
Insuetos, pugnamq; subi certaminis acrem.
Haud noua iussa cano: scis vt te nocte sopora,
Magna olim oraclis moneat Regina deorum.
Tu fata expecta rata, quæ canit aurea virgo.
Res dura est, durósq; eadem factura labores,

Quæ te vrget: sed certus honor mox deinde subibit,
Mulcebitq; graues casus: cui gloria sese
Blanda dabit comitem: quæ te demum inferat astris
Sublimem: & nitidi summa locet ætheris arce.
Hæc quondam tecum sors rerum, is vertitur ordo.
Dixerat, exutusq; vmbra, se miscuit auræ.
Hic Heros (ne vana quidem monita alta putarat
Alitis) excutiens sese, quid pectore in imo
Eualeant animi vires, quo robore constent,
Quamprimùm explorat: secumq;, haud mollibus ausis
Nunc opus est, inquit: quæ me premit, enthea vox est.
Vidi equidem ardentes oculos, vultusq; decorem.
Méq; adeò afflauit diuini spiritus oris.
Et cunctabor ego? & tam certa oracla refellam?
Imò age, seu dextrum, læuum siue intonet æther,
Seu res læta cadat, duris seu casibus inclet;
Aequus vterq; animo euentus: iam compare voto
Vtrumq; expecto, pariterq; vtrumq; iuuabit.
Hæc secum: atq; vnà has effundit ad æthera voces.
Ò pater, ò diuum, rerumq; hominumq; repertor;
Quæ modò tanta animis, vnde hæc cælestibus ardens
Cura hodie? quis amor nouus hic? quæ nuntius ales
Monstra canit ventura mihi? quæ præmia, quas spes
Rebus in angustis, aut quæ solamina tandem
Affore promittit? sed me quid tanta necesse est
Nosse modò? tu dexter ades pater optime tantùm:
Et sors nulla mihi non cedet victa ferendo.
Talibus oranti saxum respondet opacum.
Interea pater omnipotens, è sede suprema,

Hærentem

Hærentem his prolem iam compellauerat orsis.
Te vocat alma dies: longas molire quid vltrà
Nate moras? præmissa tui bonus audijt Heros
Dicta oratoris: quid dehinc cælestia poscant
Mandata expectat, variósq; in corde volutat
Secum vnà rerum euentus: i, confice nate
Cœpta: virumq; tuis agè tandem insignibus orna.
Audierat magni patris hæc hortamina natus:
Et simul æthereas deuexus liquerat arces.
Iámq; adeò Hetrusci super horrida culmina saxi,
Arduus, auricoma circunfulgente corona,
Heroem speculans, cælesti nube sedebat.
Tum verò eximiæ telum crucis extruit altum:
Cui mox affixus passos hinc inde lacertos,
Supplicio vt quondam diro, sub gente prophana
Mulctatum accipimus, distenta mole pependit.
Continuóq; alas bis ternas ordine fingit
Diuersorum operum, atq; humeris committit habendas
Ipse sibi: arrectas capiti dat tegmina binas:
Demittit totidem, circumq; his induit artus
Sidereos: motum extremis per inane duabus
Exercens volucrem; frondosa cacumina luci
Auricomis radit pennis (mirabile visu)
Donec Francisci supra caput astitit altus.
Ad quem improuisò aduersus sic deinde loquutus.
O lux, ò gentis fortißime ductor egenæ,
Quæ te nunc imo sub pectore cura remordet?
Quidue animo versas? noctri'ne arcana ministri
(Meme agnosce deum Regem, dominumq; potentem

Aetheris,

Aetheris, & latas torquentem numine terras)
Sollicitant dicta? an'ne iterum iam inuisere gentes,
Et canere ignaris solito cælestia turbis
Eloquio mandata paras? rursumq; labores
(Te neq; enim ignauis fas est mollescere curis)
Ire per assuetos iuuat? At tu nunc agè quicquid
Corde agitas, mitte actutum, ac simul exue magno
Iam tum cuncta animo: solumq; (impensius olim
Quando ipse optasti sæpe id, precibusq; petisti)
Morte obita, quantum ipse tuli (si te is rapit ardor,
Si potes, atq; ea vis animo est) arcesse dolorem:
Obnixusq; auido mecum vnà plenius hauri
Pectore: dehinc totos vndantem infunde per artus.
Verùm agè disce viam, qua res modò certa sequatur.
Nam labor hic mecum: tu solùm hæc iussa capesse.
Aspice nunc (ne vana quidem te ludit imago)
Et quinis meme diuinos ictibus artus
Perfossum, lethiq; immanis signa ferentem,
Aurea nunc, fœdata olim perfusaq; tabo
Puluereo, cognosce: dabunt hæc nanq; dolorem:
Quem tu adeò exoptas, quem tota mente requiris.
Imò agè, finge tuis eadem hæc modò prorsus inuri
Artubus: & certum tanti conanimis ardens
Iam finge euentum, dubia nec mente refelle,
Aut anceps animo dicta auersare prophano;
Nec mora inusta tuis membris eadem ipsa nitescent.
Rex tantùm hæc. Mæret, stupet, horret, cōticet Heros,
Obtutuq; hæret, ceruixq; rigescit, & omnis
Excidit ore decor: iam viuum tristis imago

Nil

Nil prorsum ostendit: quales assueta figuras,
Aut ex ære cauo, pallenti aut marmore fingit
Artificis manus, & templis affigit honoris.
Tali vir specie: sic sese corpore præfert.
Tum simul introrsus circum præcordia magnus
Cogitur, atq; ardens dolor oßibus æstuat imis.
Principio affixi penitus tota intrat imago
Regis eum: mentiq; hærent diuina profundæ
Alloquia: æthereus dehinc iußis nuntius instat.
Tum subit atq; animo telum crucis ingruit horrens.
Primæ autem, ante alia, interius sub pectore quinæ
Insedere notæ, & sæuum fecere dolorem.
Ingemit ergo Heros: clausumq; cor æstuat intus,
Euripi more: & venis erumpit apertis
Restagnans dolor, ac primum latus haurit hiatu.
Vulnus agens: plantásq; fodit: palmásq; terebrat:
Transfixaq; manus, simul & vestigia acutis
Vectibus apparent, transutáq; vulnera ferro.
Mox quinæ effulgent plagæ, radijsq; coruscant.
Quales mane rosæ primo sub sole rubescunt.
Purpureiue inter ceu Narcissos Hyacinthi.
Siue coma rutilant quali modò Pleiades ortæ.

FRANCISCI MAVRI

HISPELLATIS

MINORIDAE

FRANCISCIADOS. LIB. XIII.

Liquerat interea diuum Rex alta Lauernæ
Culmina: iámq; adeò tractus; quà lucidus æther
Purpureos ignes, & scintillantia noctis
Lumina contorquet; superans, flammantis Olympi
Aurea sidereis repetebat tecta quadrigis.
Magnus vbi æterno genitor complexus amore
Illum animo dulci, & solio circunfouet æquo.
Pacato cùm iam sæuo mœrore, sub alto
Pectore, ceu somno leni modicóq; solutus,
Ora tenet defixa pater Franciscus: & auro
Stellantes rutilo, & rorantes sanguine plagas
Spectat inexpletùm, longumq; immobilis hæret.
Postquam autē rediere animi: atq; in pristina sāguis
Robora tabentes artus, sensusq; reduxit;
Ille, vt erat saxis affusus poplite curuo,
Sic orans, cum voce manus ad sidera tendit.
Omnipotens diuum pater, ac sator optime rerum,
Seruatoórq; hominum: cælum qui numine torques:
Sternis & vndisoni maris æquora: comprimis iras
Ventorum effrenas, atq; impia tartara quassas;
Méne hodie tantis vltrò fulgoribus ornas?

Tantón

Tantôn' me genitor dux isti munere dignum?
His'ne meos radiare iubes insignibus artus?
At quibus hæc meritis, quibus hæc me gloria factis
Prosequitur? quæ bella mihi deuicta? quis ardor,
Quæ vis tanta animi decus hoc, sertúq; coruscis
Insignem, augustum, atq; altum peperere triumphum?
Quem agè tandem ausis, quoue hæc præclara labore
Signa mihi, ætheree decora immortalia Regis?
Ergo honor; Heroum (seu quos noua sustinet ætas,
Seu memorare libet quos secula prisca tulerunt)
Hactenus haud vlli addictus; mihi creditur vni?
Vni fas tantum? his vnus, sub nomine claro,
Prodigijs deposcor ego? & quò iam vocor vltrà?
Quæ decora his maiora mihi, quæ gloria detur
Amplior? At tu magne pater, bonus aspice, felix
Adsis: tuq; hæc signa foue, & data munera serua.
Ignarumq; via rege me, & miseresce labantis.
Sic orat, primum, ante omnes, his ritè supremum
Compellat dictis patrem: dehinc ætheris alti
Reginam implorat; totiusq; agmina gentis
Mox ciet aligeræ: & bissenos ordine supplex
Heroas vocat: at multo sermone fatigat
Ductorem hastiferum, diuinumq; Aegide pectus
Insignem; stygij qui terga horrenda draconis,
Et premit infesto mucrone, & calcibus angit.
Hunc verò excelso Gargani è vertice Daunij
Aduocat, & luco saxóq; inuitat Hetrusco.
Huic & præruptæ paruo sub fornice rupis,
Extructam in morem breuibus suggestibus aram

Semper odore nouo, semperq́; recentibus auget
Floribus: hic parcens epulis, & sera recusans
Pocula; belligerum numen ieiunus adorat.
Et iam tum è nitidi genitor bonus ætheris arce
Suprema, audierat voces, & casta precantis
Vota viri: audierat, celeres nec passus in auras
Irrita diffundi, confestim clarus Olympum
Concußit magnum, & tonitru de parte serena
Increpuit læuo: térq; aureus ipse corusca
Luce micans; nubem æthereo demisit ab axe
Fulgentem, auricomam, & radiorum ardente corona
Præcinctam: quæ mox circùm nemus ambijt, omnemq́;
Obtexit montem. qualem niger auster arenis
Pastus Atlanteis, madidóq; repentè volatu
Altius assurgens; ponto seu præpete cursu
Dum latè incumbit; seu dum conualle coactus
Perfurit angusta, & flatu suspirat anhelo;
Fert nimbum, & cælum simul eripit omnem, diemq́;.
Talis erat nubis species: sic candidus orbis
Amplexu auratæ circùm caliginis omnem
Cingebat lucum; & longè latéq; coruscus
Lustrabat radijs colles, lustrabat & imas
Conualles: stupet interea vicinia tota
Fulgorem insuetum, & lucem mirantur agrestes.
Hæc mira, hos rerum motus; dum rupe geruntur
Sub tusca; vigil arrectis, quibus omnia captat,
Auribus accepit fama: & vix ordine cuncta
Norat adhuc: cùm mille locos, mille oppida factis,
Et populos latè rumore impleràt ouants.

Tum verò alta leuem per nubila densa volatum
Corripiens; iter ad pulchrum mox læta Subasum
Molitur: laxis nec iam modus vllus habenis:
Donec oliuifero tandem pernicibus alis
Vertice consedit fixis: tunc ære canoro
Intendens vocem; Francisci insignia magno
Portentosa canit sonitu, edicitq́; Lauerna
Rupibus insedisse sacros, noua monstra, supremo
Aethere delapsos ignes; canit, omne repentè
Vt lux visa nemus, totumq́; ambire cacumen
Montis; & vmbrosos vt flamma innoxia lucos
Depasci visa est, & circum lambere syluam.
Fama canit: longè in populis, latéq; per agros
Ardua vox resonat, clamoribus omnia complet.
Iam verò interea nemorosa ad culmina montis
Turba Orandæi socium conuenerat ingens:
Ingenium hi, tractumq; loci cognoscere, sedes
Hi prædonum auidi antiquas, atq; antra prophana
Olim sacra deæ, ritu modò culta verendo.
Hos nemorum cupidos, solósq; habitare recessus
Assuetos; deserta vocant, saxa horrida pascunt:
Vmbrosæq; animos mulcent scenæ: allicit vnus
Sed pater vnà omnes: certatimq; vnius omnes
Inspiciunt facta: ipsum vnum mirantur, amantq;.
Quin sæpe occultum; seu dum cælestia secum
Signa aperit, seu dum nemora inter densa, silenti
Nocte gemit, vallemq; imam, præruptáq; saxa
Immugire docet, & respondere gementi;
Eminus obseruant taciti, aspectantq; latentes.

Sæpe illum ſub rupe caua, ſiue abiete nigra;
Agmine circumſtant denſo, ſtipantq́ frequentes.
Poſcentesq́ graues monitus; diuináq; verba;
Pendent ſuauiſono intenti narrantis ab ore.
Sic; Pandionia ad nidos vbi mane loquaces,
Pabula parua ferens, remeat feſtina volucris;
Implumes tollunt capita, & ceruicibus altis
Mox crepitant fœtus, & colla voracia tendunt,
Certatim roſtro ſimul inſidiantia matris.
Et iam Libra aſtris ſoles æquarat eundo.
Garganiq́ iugo, ſacris, & honoribus amplis
Haſtifer æthereus de more citatus ad aras;
Purpureis vectus pennis, remearat Olympi
Stellatam ad ſedem: cùm ritè Subaſius Heros,
Soluerat Hetruſco ieiunia longa ſub antro.
Mox ergo è luco (quippe id ſibi numina certis
Oraclis canere audierat, duróſq; labores
Expleri iam iam norat) decedere amato
Deſtinat: & flaui tandem iuga celſa Subaſi,
Et ſacra intacta delubra reuiſere matris.
Hinc omnem ad ſeſe cœtum, ſub fornice rupis
Scrupoſæ, accerſit comitum de more ſuorum.
Quos inter, læto vultúq; animóq;, ſedili
Compoſuit duro, & medium ſe ritè locauit.
Tum verò ſic infit (hiant, atq; auribus omnes
Arrectis monita alta bibunt) ò candida pubes,
O ſocij; quos noſtrarum ſors aſpera rerum
Nequicquam terret: nequicquam iuſſa fatigant,
Quæ dedimus: non arma grauant, quæ ferre iubemus:

Nil vitæ pertæsum acris: nil ardua cœpti
Ingentis moles quatit, aut desueta refringit:
Vidi etenim dudum, cùm prima pericula mecum
Tentastis, vos audaces, cupidosq́ laborum:
Ardentésq; animos, & viuida corda notaui.
Ecquid vos igitur ventura redarguet ætas?
Ecquid degeneres fortè, aut spectabit inertes
Sera dies? ah fœda animos ne pollue sanctos
O pubes, ignominia: ne tu modò cœptis
Absimilem egregijs finem, & tam fortibus ausis
Turpe aliquid iunge, aut super indue dedecus vllum.
Aspice nunc (libet hoc iterumq́, iterumq́ monere)
Aspice quàm rapidis eat irreparabile tempus
Cursibus: instet equis quàm mors infesta citatis.
Dissimulare caue: monitus ne temne salubres.
Imò agite, (extremùm me me exaudite loquentem
O socij) melior quoniam pars acta dierum,
Effugitq́ suo cum robore firmior ætas;
Quod superest vitæ, quæ parcæ ex ordine pensis
Immotis seruant, bene gestis tempora rebus
Exornate: animis torporem pellite inertem.
Iamq́ adeò sit cura breues virtutibus annos,
Angustosq́ dies claris extendere factis.
Sit curæ, vnde animus nobis, cognoscere, sit quò
Exoptet reditum: quantos modò deuius erret
Per casus: quàm degeneres, quàm vertat inanes
Hîc curas: mortale genus cùm tollere in altum
Dissimulet sese, & cælum auersetur & astra.
Prô dolor humanas quæ tanta insania mentes

Vertit? quò pollens adeò, & tam scita nocendi
Circe agit? vnde rapit? quarum in mala terga ferarum
Induit? æthereos quo tandem murmure sensus
Vrit, & exturbat diuini luminis haustus?
Et iuuat ergo oras blandas, littúsq; canorum
Sirenum colere? immanis iuuat atria Circes,
Monstrificumq; habitare solum? patria, altus Olympus,
Non tellus homini est: pudeat spelæa ferarum
Sidereo præferre polo: pudeatq; caducis
Deseruire bonis, & noxia quærere semper:
Semper & irati pelagi versare procellas.
Vós autem ò socij, rerum caligine, qui nunc,
Discussa, aspicitis verum, & iam puppibus altis
Intrastis portus, & littora fida tenetis,
Errantesq; salo, tumidisq; aquilonibus actos
Despicitis procul è celsa, & miserescitis arce;
Accipite hæc mea dicta hodie, & date mentibus æquis.
Si vacet, & prima memorare ab origine pergam,
Quanta, hominum gens vna polo deducat ab alto
Munera, quis fandi modus? aut quo fine quiescam?
Principiò (neq; enim vobis incognita rerum,
Nascentisq; recèns genitalia semina mundi:
Hinc intacta meis dictis primæua relinquo)
Eumenidum inuidia, & squamosi fraudibus anguis,
Æthereis procul exilio depulsus ab oris,
Infelix lugebat homo: nec iam vlla regressus
Spes erat, aut iterum visendi limina cæli
Amissi: ni certa dei, atq; æquæua parenti
Progenies delapsa polo, moribunda subisset
Membra

Membra hominis, fatoq; vltro occubuisset acerbo.
Tum cæli patuere aditus: & ad æthera primum
Facta via est: tum gens hominum cæleste reuisit
Hospitium. sed enim interea labentibus annis,
Nequicquam secura quies, tutiq; recessus
Hic nobis: furit aßiduè succincta colubris
Eumenis, iratumq; & inexaturabile vulgus
Gentis tartareæ ciet, inuidiæq; cruentis
Exacuit stimulis animos, odysq; nefandis.
Hinc hominum sator ille pius, diuumq; supremus
Rex mortalis adhuc, nec dum per nubila currus
Sidereo molitus iter, victorq; potitus
Sede poli: dum bissenos Heroas ab omni
Seligeret numero, lectißima corda virorum:
Arma inuicta dedit, numinaq; alta reliquit:
Eumenidum vires quibus incursusq; furentum
Frangere, suppressos astus, fraudesq; latentes
Detegere, atq; acres iras contemnere possent.
Tum quis bellandi modus, armorumq; quis vsus,
Edocuit: quamq; iratum foret æquor arandum,
Quàm vastæ assiduo tentandæ remige Syrtes,
Præmonuit: cautosq; horrenda ad prælia misit:
Et tenues magnis iussit dare fluctibus alnos.
His vltro ecce viris (adeò hoc vos scire necesse est.)
Me comitem addixit, simul horum insignia dextra
Attollens alta; vos dura ad castra vocaui.
Nec molles thiasos, genialiq; ordine vobis
Extruxi mensas, vario aut conuiuia luxu.
Nec posui ingentesq; domos, pariosq; superbas

Marmore

Marmore: quin astu abductos à mœnibus altis,
Mox intentatos solosq; habitare recessus
Edocui, exiguas sedes, & frondea tecta
Ponere, & horrificis suadens stabulare sub antris.
Quæ cuncta ò socij simul hæc lectissima tellus,
Ingenioq; soli, & tractabilis hubere cæli,
Sufficit, apprimeq; animis dat munera nostris.
Nanq; antra vt pateant, vt densa cacumina nigrum
Attollat nemus, excisiq; immanè minentur
In cælum scopuli, & præcelso vertice nubes
Exuperent; notum vobis iam cernere suetis.
Nunc ergo, ne tanta animis rogo munera cæcis
Despicite, oblatas vobis, ne spernite sedes.
Sit cordi hic iam parta quies: eia, ite frequentes,
Ite per vmbrosum lucum, simul ite per altas
Speluncas: Regem assuetis concentibus almum
Dicite cælicolum, Regis quoq; dicite matrem
Intactam, & votis precibusq; vocate supremum
Ductorem alituum, totasq; ciete choreas.

At vos ò cautes duræ, tuq; hospita tellus
Saluete, & nostros longùm seruate nepotes.
Este illis generosa domus: natisq; futuris
Præbete hospitium, fidos præbete receptus.
Tu nemus intactumq; comas, expersq; securis,
Viue diu, lassisq; acres defende calores.
Vnum adeò semel atq; iterum monuisse iuuabit:
Flauicomi ne te lucis præferre Subasi
Vsquam aude: neu te Reginæ æquare potentis
Posse ædem spera, neu parua cacumina tenta.

Sed magnam venerare deam, pia semper adora
Limina supplicibus votis: age prima subinde
Tu mox regna tene: tibi proximus ordine post hæc
Surgat honos: iam nostrarum (quæcunq; erit olim)
Præcipuè attollet cælo te gloria rerum.
Vos contrà ô socij memores este hospitis olim:
Orandæq; animis longum seruate per æuum
Nomen: magnanimiq; abolescant dona, cauete
Tanta viri: neu vos antra hæc, rupesq; fragosas,
Regna olim nostra, & nostris transcripta maniplis;
Obduciue situ sinite, aut torpere veterno.
Imò agite; haud segnes, non rarus saxa colonus
Hæc teneat, sed turba frequens: sint optima morum
Qui populis monumenta ferant, virtutis & ædes
Præmonstrent, quiq; edicant oracula vatum.
Exoriare aliquis nostris e cœtibus olim,
Orandæ qui facta canas, qui regia vulgo
Dona per ora virum portes: qui carmine dicas;
Vt primùm exceptos nos ille penatibus altis,
Fouerit hospitio: & longis sermonibus actis,
Ingentes vt opes, partim largitus egenis,
Partim cælicolis; prouentum effuderit omnem.
Tum cantes; nobis, venturorumq; nepotum,
Qui mox cunq; forent, nostrorum vt cœtibus vltro
Has dederit dono sedes, nostrisq; dicarit
Vsibus hunc lucum: nos vt perduxerit ipse
Huc, iter ingressus placidus comes: vtq; per altos
Deducens scopulos; veterum monumenta locorum
Singula monstrarit passim: vtq; edixerit, olim

Has

Hæc antra immanes fœdosq; habitasse colones.
Iam verò hic meme tempus monet; acribus vltro
Vos onerem iussis: transcribi agite ordine quondam
Hæc date perpetuo vestrorum dicta futuris
Natorum natis, & qui nascentur ab illis.
Quis vestrum ignorat (neque enim facta inclyta clara
Lucis egent) nobis dudum quàm larga pararit
Hospitia Orandes: quantisq; profusus egenos
Iuuerit auxilijs? genti quæ spondent olim
Dona Subasieæ? Verùm quantò amplius ille
Muneribus certat; nos tantò impensius æquum est,
Consulere angustis rebus, totius & vsum
Deuitare penus: tum multà expendere fas est,
Quid cultus vitæ insuetus, moresq; recentet,
Quid superis promissa fides, quid deniq; poscat
Aurea paupertas; ne quondam; prodigus Heres
Dum nimium indulget vobis; insana cupido
Oris inexpleti, semperq; rapacis, hiatus
Præpandens auidos; nostri vi limine regni
Prodat eam, & longè depulsam absistere cogat.
Quare agite oblatis omnino parcite rebus:
Parcite opes tanti magnas petere hospitis vsu:
Néue animis sedeat tam dira licentia vestris.
Me verò (quondam sic nanq; oracula diuum
Sancta canunt, reditumq; mihi prænuntiat ore
Virgineo Regina poli) læta arua Subasi
Hunc reducem accipient: fato hæc me terra reposcit.
Hic tandem facto iam tantis fine; Lyenon
Sic breuibus monet: Vnus ades mihi fide, laborem

Tu longæ solare viæ, ne desere, lasso
Tu columen, membris custos tu sedulus ægris.
Hæc memorat: lachrymis suffusos, vndiq; pubes
Circumstat defixa oculos: tristiq; tumultu
Abscessum patris delamentatur acerbumq;.
Quam bonus ipse manu sacra lustrabat, & ore
Accinctúsq; dabat mastis de more salutem.
Sic; vbi pastor agens alta ad dumeta capellas,
Matribus abiungit, septisq; intercipit hædos
Inualidos, & quos iam cultris destinat atris;
Depulsum gemit, & balatus obijce clausum
Dat longos imbelle pecus, frustráq; petulco
Ore vocat matrem, frustra hubera nota requirit.
Ergo iter ingressi, paulatim culmina montis
Suffugiunt, comitumq; oculos magis usq; fatigant.
Est inter tetricos modico locus æquore colles
Protentus, saxisq; horrens: quà gurgite Tybris
Paruus adhuc, fluuióq; breuis, perq; aspera pronum
Saxa ciens cursum; stringit non grandia lapsu
Mœnia præcipiti: plebes quam dicitur urbem
Tusca sibi, nomenq; suum sacrasse coronæ
Aetheræ, & longos positam coluisse per annos.
Quò postquam uentum est, ueteris pater hospes amici
Aedibus excipitur notis: tum corpora curant
Vnà Heros sociusq; epulis, placidaq; quiete.
Vir fuit hic: cui tota (horrens ac flebile monstrum)
Viscera fluminco suffusa liquore tumebant,
Flammeáq; ardebant, largis nec potibus ardor
Cedebat: tam quippe vocant mage pocula fauces

Flagrantes,

Flagrantes, quàm plena illi magis ora redundant.
Et tumor increſcit miſeris, humore refuſo
Artubus, ergo atros luctus, ſæuasq; querelas
Tantùm ille ingeminat, crudelia numina dicens,
Crudelesq; moras lethi, crudeliaq; aſtra.
Pæonias fruſtra tentatas deuouet artes:
Et fruſtra expertum toties, fruſtraq; vocatum
Odit Philiryden, medicasq; auertitur herbas.
Audierat tamen hic clari memorabile nomen
Franciſci, nec non pridem facta inclyta norat.
Mox ergo (hic primùm ſpes quando oblata ſalutis)
Vltro animi fidens, arrectusq; omine tanto,
Poſcit opem patris: inuitis nec iam irrita vota
Numinibus verſat: nanq; vt bonus affuit Heros,
Vt tetigit, ſimul vtq; ſonos demurmurat ore
Cæleſtes, luſtratq; manu (mirabile dictu)
Continuò ceſsitq; dolor, ceſsitq; refuſa
Alluuies: vna omnis abit tumor: & decor artus
Mox æqualis obit, redeuntq; in priſtina vires.
Mirum, inſuetum, ingens, diuinúmq;, vndiq; turba
Attonitæ circumſpiciunt opus: ille vbi firmo,
Nequicquam titubans greſſu ſtetit; hæc mihi forma
Verane? ait, viuóne ipſe? an ſuprema dolores
Fortè meos lux exhauſit? viuo ipſe profectò.
Nec ludunt vmbræ: deus hæc agit: hæc ope diuum
Proueniunt, noſco, humanæ non talia vires
Dona ferunt: tua, ſidereæ, pater optime, lucis
Quæ radijs micat, & præclaris fulgurat aſtris,
Fudit opus magnum, nullos maiora per annos

Non fusura manus: virtus latet enthea palmis.
Hæc vir fatidicis memorabat vocibus: Heros
Discessum interea molitus, rite tenebat
Certus iter: fidus curis animoq; Lyanos
Olli non impar ibat comes, illius ore
Multa legens monita, atq; imo sub pectore condens.
Et iam deuexo rutilans temone, rubentes
Phœbus Atlanteas currus vrgebat in vndas:
Cùm medio ecce viæ (venturum nuntia paßim
Fama Heroa canit) sese fert obuia patri
Turba virum: hi miseram stipantes vndiq; matrem,
Vsqueadeò cingunt mediam denso agmine: iamq;
Multà recusantem, & contrà simul obnitentemq;
Vi raptant iuuens: & ni fera brachia vinclis
Arctassent duris, manibusq; in terga retortis
Astu prædomitam cæpissent; protinus illa
Emicet effugiens, pubemq; elapsa relinquat
Delusam, repetatq; cauas de more latebras.
Hanc iuueni inuiso iam pridem (ea fama) iugarat
Primæuam durus genitor: vesana subinde
Illa atros sine luce dies, noctesq; soporis
Immunes; lachrymis luctuq; incestat amaro.
Hinc pater, hinc genitrix, & quæ fuit una sorori
Chara soror, blandos monitus, solantiaq; ultro
Verba ferunt. auersa modum, finémq; gemendi
Abnuit illa, patriq; deum conuicia magno
Dira facit: iámq; è stygijs furialia regnis
Monstra ciere parat, seséq; immanibus hydris
Destinat Eumenidum: nec dehinc mora, nocte silenti

Exurgens

Exurgens furibunda; domo se proripit, altasq;
Euolat in syluas obscuráq; lustra ferarum.
Dúmq; amens, animiq; furens cæca antra requirit;
Terricrepis ardens facibus crudelis Erinnys
Improuisò astat, corámq; insultat, & atris
Anguibus hirsutum quassat caput, & fera iactat
Vipereis circùm spiris data brachia: moti
Ceruices altè subitò erexere Cerastæ,
Et linguis sonuere atrùm, & micuere trisulcis.
Constitit infelix visu perterrita virgo
Immani: obriguere oculi, ceruixq́; repentè.
Perq́; artus, perq́; ossa tremor subit, intima quassans.
Frigidus it toto proruptus corpore sudor.
Tum verò incœpti piget, & furialibus ausis
Pœnitet addixisse animum: iam vocibus altis
Multa hominum ciet auxilium, veniámq; precatur
Numina: rebus inops at serò consulit ægris.
Quod superest, trepidat: trepidantem corripit vltrix
Eumenis: extemplóq; ciet phlegetontis ab vndis
Monstrorum omne genus: legio aduolat ilicet atra.
Inuaditq́, trahitq́ ægram, furiatq́ venenis
Vipereis mentem, pœnisq; exercet amaris.
Non tam immanè Athamas, non sic vlulauit Agaue,
Penthea discerpens hæc, ille ad saxa Learchi
Dura ferox caput effringens, iam cæde furores
Mitius Orphea Ciconum exarsisse putares.
Persurit ergo amens, pœnisq́ afflicta cruentis,
Bacchatur; siquà stimulos, acresq́ furores
Excutere infelix lymphato è pectore possit.

Ex illo turbas hominum, sacrataq; diuum
Templa cauet: veteres iam tum exhorrescit amicas
Horrescit sedes, & limina nota parentum.
Caeca latens fouet antra die, solosq; recessus.
Nocte insopitam, subter rorantibus vmbris,
Excipiunt arua, aut horrentia lustra ferarum.
Interea agrestum coetus si forte repertam,
Aut consanguinei deprensam in vincla petissent,
Assuetaq; domus statuissent sede reuinctam;
Continuò horrificis vlulatibus omnia complet,
Congeminat fletus, lamentisq; instrepit atris.
Nunc verò lugubrè canit, nunc voce fragores
Terricrepos caeli, pelagiq; imitante procellas;
Tecta domus quatit, & tonitru simul aethera pulsat.
Hanc ergo implicitam loris, atrumq; frementem,
Spumantemq; oris rictum, atq; ardentia flammis
Lumina torquentem; pubes collecta trahebat:
Sistebatq; patris pedibus venientis, & orans
Auxilium miserae poscebat: quippe salutem;
Fama canens opera alta viri, dextramq; potentem,
Et matutini praecurrens nuntia facti;
Nequicquam ambiguam quondam sperare monebat.
Constitit, obtutuq; Heros hic prouidus haesit.
Moxq; infelicis sortem miseratus iniquam
Matris: (ea haud homini vis est, haud tanta potestas,
Haud res ipsa ingens aequa est mortalibus ausis)
Attollens caelo palmas sic voce precatur.
Magne opifex rerum, domitorq; ingentis Olympi:
Alituum quem mille obeunt famulantia circùm

Agmina: cui vastos sternunt maris æquora fluctus:
Cui paret tellus: metuit quem tartarus ingens:
Quem furiæ, quem rex erebi implacabilis horret;
Aspice nunc ut monstra tuis acherontia regnis
Insultent: vidén'; æthereo quas semine fictas,
Tu solus genitor terreno obnubis amictu;
Vt cælo auertant animas, paßimq; sub vndas
Detrudant stygias? quin heu modò corpora pœnis
Afflictant diris miserorum, & verbere quassant:
Vipereisq; hebetant mentes, furiantq; venenis.
Heu quianam fœdis tam sæua licentia monstris?
Quidne tuam luere atra sinis pater optime gentem
Supplicia? At merita est rea culpæ & criminis: esto,
Sed tu non'ne olim veniam bonus obijcis vltro
Sontibus? indulgesq; reis, & grandia vulgò
Dona super, tantùm pacem exposcentibus, addis?
Ergo animis si cura hominum cælestibus vlla est,
Siquà hodie pietas antiqua tuetur ab alto
Aethere mortales ægros; hanc aspice matrem
Nunc oro: & miseræ da tandem euadere pestem
Crudelem ò genitor, monstrosoq; eripe fato.
Sic erat. furit illa, gemit, stridoribus altis
Exululat: tum mole ingens, atq; ardua præcepsq;
Heroem petit: vt quondam Tirynthius ardens
Irruit in Cacum, aut quantus Polyphemus in Acin.
At pater intrepidus furias deridet inanes.
Ingeminatq; preces, supplexq; in vota vocatos
Sollicitat diuos, atq; acrius instat, Erinnyn
Increpitans: & iam legio tremit effera: iamq;

Mitius intus agit, ceditq́, ruitq́, fugamq́
Præcipitans; acri ui tandem exterrita matrem
Deserit, & vasto tonitru simul æthera quassat.
Illa hîc summissoq́ gradu, excussoq́ furore,
Corruit, extemploq́ artus labefacta resoluit
Exangues: iacet haud ullo sub pectore motu
Spiramenta ciens: quondam ceu fessus arator;
Seu sub glandiferæ frondoso tegmine quercus,
Siue sub incuruo scrupose fornice rupis;
Deprensus nimbo, cadit atro fulmine quassus.
Insequitur vulgi confestim clamor ouantis.
It cælo plausus: Francisci nomen Olympo
Assonat, & vallet circùm montesq́ resultant.
Tum consanguinei collapsam in tecta reportant:
Et lymphis reuocant animam, atq; aspergine bacchi
Continuò & magnum Heroem, sociumq́ Lyaneum
Multà indulgentes animis, multà ore verentes;
Sub tecta accipiunt: dapibus dehinc ritè refectos
Stramineóq; toro, atq; agresti sede locarunt.
Interea nox astriferis inuecta quadrigis
Præcipitat cursum: croceosq́ Aurora iugales
Euoceat oceano, totoq́ agit orbe tenebras:
Corripit è stratis cùm se pater excitus altis
Franciscus, fidumq́ vocat de more Lyaneum.
Hospitibusq́ data multa, acceptaq́; salute;
Mox iter ingreditur, comes vnà paßibus æquis
Prosequitur, tardiq́ vigil rude terga fatigat
Vectoris: nec deinde vsquam sessoris amati
Amittit curam, lateri sed fixus inhæret,

Nutantemq; regit custos, & sustinet ægrum.
Iam semel atq; iterum nigros spectarat Iberos
Vesper, & occiduas gentes bis sparserat vmbris:
Cùm Tybrim excelsi turrita Heroes ab vrbe
Despiciunt, imæ vallis deuexa secantem.
Et longè aspectant flaui læta arua Subasi:
Paruaq; Reginæ delubra iacentia campis
Sidereæ patulis, geminata voce salutant.
Accelerant: atq; hic dictis pater ipse futurum
Mulcet iter, sociumq; prior compellat euntem.
Fide audis? audi, atq; animo mea dicta reconde.
Principiò, cape, diuini sibi numinis haustu,
Quenq; hominum nascentem, animas arcessere puras.
Hinc illos cælestis amor rapit: enthea nanq;
Ignibus æthereis, sensus effusa per omnes,
Vis agitat mentes, & noxia corpora frænat.
Néue hebetent animas, terrenos temperat artus.
Et tamen hi cupiunt, gaudent, metuuntq;, dolentq;.
Atq; omnes idem ardor habet, sedet omnibus vna
Cura boni: huius amor vocat, allicit, attrahit omnes.
Vnum id amant, cunctiq; optant, totisq; sequuntur
Viribus: vna omnes sed non via ducit euntes.
Quippe hos ingenium fouet, & solertia viuax
(Natura donante) ciet: quos discere semper,
Et vitam egregias iuuat excoluisse per artes,
Præstantesq; vsus meditando extundere rerum:
Hinc versare manu veterum monumenta virorum
Assidua, cura est: atq; hi modò semina rerum
Scrutantur: modóne immensi primordia mundi

Ulla ierint: aut iam semper, nec limite primo
Clausa ingens steterit moles, rimarier audent.
Nunc iuuat astrorum cursus, cæliq; meantis
Explorare vias: cur fulgeat hudus Orion
Ense: quid hibernis protendat noctibus vmbras;
Cur bruma horrescat: nix vnde: vnde imber, & ignes
Grandine quis terras, quisue æthera fulmine quasset.
Forma, decorq; alijs, vegetôq; in corpore vastæ
Optantur vires: atq; his sine more parandis
Inconsulta bonis hominum gens æthera votis
Multà onerat, diuosq; orat, precibusq; fatigat.
Tum; quibus hæc natura parens infensa negarit;
Deiectos, viles, inopes, miserosq; vocare,
Et vitæ exortes felicis dicere sueuit.
Verùm agè, conspicuos, picturatisq; nitentes
Pauones caudis, cur hac ratione beatos
Coedere non ausim? cur non Maßyla leones
Terra suos? Indi cur non vastos Elephantos?
Iam verò externis (hæc nanq; domestica nobis)
Quis labor, aut quæ cura instet, simul aspice rebus.
Diuitias optant alij, quæ maxima turba est.
Nec iam quærendi finem (nanq; occidit auri
Haud vnquam vesana fames) furiata cupido
Agnoscit: nondum primus iacet ardor habendi,
Cùm nouus insurgit: ieiunos semper hiatus
Præpandit, semperq; sinu tumet illa capaci.
Et iam cerne alios similes, & compare fato
Innexos. En martis opus, vitæq; labores
Sanguineæ duros iuuat hos condiscere ab annis

Primæuis: tum vastifico peruadere gentes
Externas fremitu, & sæuo quatere oppida bello.
Nec verò pars vna orbis, non angulus unus
Sufficit immensi: sedenim insultare per ortus
Auroræ libet extremos, & Tethyos vndas
Pertentare rubra, & nigros contendere ad indos.
Scilicet vt populos latè sua sub iuga mittant,
Quosq; ingens tellus fouet, & quos alluit equor:
His bene credit emi, turba hæc male prouida factis
Nomina perpetuum quondam victura per æuum.
Sed quid ego hæc tātis? quidúe his te iam moror vltrà?
Huc huc flecte oculos, bacchantisq; agmina gentis
Perdita Achæmenio penitus nunc aspice luxu.
Hanc, virtute procul pulsa, illaudata uoluptas
Pellaci trahit ore: animisq; illapsa, superbum
Imperium latè exercet: solioq; potita
Regna aliena premit, furtisq; exultat iniquis!
Ah gens vna hominum magno quæ ducis Olympo
Semina, quin tu; olim quò te dea perfida raptat;
Aspicis immanem cassum? quin prouida cernis,
Quò te præcipitat captam? aut vnde auehit, vt spes
Eripiat certas, merito vt te fraudet honore?
Ah fuge monstrificæ fuge Thessala carmina Circes.
Ne fluxis modò crede bonis: quin ardua cælo
Tolle caput, sanctúmq; genus, cognatáq; nosce
Sidera, cælestésq; satus: vnde aurea prodis
O stirps, atq; in quos iterum reditura crearis.
Non hic certa domus: magni plaga lucida cæli
Te vocat, expectátq;, & iam patria astra reposcunt.

O pater

O pater (hic fidus tandem excipit ore Lyanos)
Olim ego Graiugenum, Romanorumq; per ora
Hæc monumenta virum paßim volitare, frequenter
Audiui: quæ cuncta animo simul ipse uolutans;
Spes hominum mecum sæpe indignabar inanes.
At tu, siquid habes certi, siqua est uia cæcis,
Quà bona uera animis optatò agnoscere detur;
Ede pater, tantiq; operis succurre labori.
Annuit, extemplóq; Heros sic deinde loquutus.
Vnum adeò (ne cuncta uacat memorare profectò)
Hoc tantùm cape: missa alijs iam cætera sunto.
Haud ægrè inuenies, uirtutum effulgere signis,
Queis uisum est cæleste bonum: nam quicquid acerbi,
Quicquid terrifici, quicquid miserabilis usquam est
Exitij; non iam exhorrent, ubi uiuida uirtus,
Cælestes animos opera ad præclara uocarit.
En patriæ nutant dubiæ res: ilicet adsunt
Hinc Decij, in flammas ruit illinc Mutius audax,
Et ponti intrepidus Cocles defendit Hetruscos.
En acies stratæ, deuictaq; gloria belli
Occidit: exardens, & magnæ prodigus ultro
Mox animæ Paulus morti se deuouet atræ.
Nimirum hi fortes: nec deerant, prouida magnos
Queis tunc mens animos, ualido sub corde regebat;
Quosq; fides, sanctiq; decus cæleste pudoris,
Quos pietatis amor; cultus quos fecerat æqui
Apprimè insignes, & relligione uerendos.
Ergo his perpetuos quis non addicat honores?
Quis neget egregijs cælestia præmia factis?

Non ita, ne, moneo, tu rere id: gloria quando
Ardua nequicquam sese horum attollere cælo:
Sed deiecta, solo procliui serpere cursu,
Voce hominum contenta cani, plausuq; foueri.
Iam verò, optato quò tandem fine quiescam,
Da placidas aures, atq; hæc mea percipe dicta.
Sunt geminæ; quibus alta solo vestigia pressò
Defigunt, quibus & captant bona turpida; plantæ:
Sunt totidem vmbrantes humeros; quibus æthera tranãt,
Exuperantq; cauas nubes; virtutibus alæ.
Sublimem his mutæ exercent tacitæq; volatum:
Donec sidereos tractus, sedesq; beatas
Vi multa arripiant: quò postquam tramite longo
Delatæ, æternisq; bonis, solijsq; potitæ
Optatis constant; matura silentia cantu
Rumpunt, æthereoq; exoluunt vota parenti,
Suspenduntq; tholo exuuias, tumulisq; trophæa
Constituunt sacris, onerantq; altaria donis.
Exemptæq; malis, durisq; laboribus, & iam
Nequicquam incursu fortunæ, aut turbine rerum
Quassandæ; errores despectant æthere ab alto
Indignos hominum: & casus miserantur iniquos.
Et tunc ignaui mortales carpere durum
Vsque adeò cunctamur iter: quà præuia læto
Effulgens vultu vocat alta ad sidera virtus?
Et fugimus, cælo per quos via certa, labores?
Et quæ fida offert dux, præmia temnimus ultro?
Vltro ignominias nobis arceßimus atras?
Ah uita exacta pudeat gens ò bona tandem:

Aligeis

Aligeræ iam ſcande leues agè concita bigas
Virtutis: vacuasq́; altè molita per auras
Lora manu; tacitos exerce muta volatus.
Néue dehinc pedibus terras deuexa per imas
Curre iter: at magna tantùm duce ſidera forti
Congreſſu pete: & ingentis ſacra oſtia cæli,
Prædatrix irrumpe boni, ſedisq́; beatæ.
Vnde voluptatem irriſam, ſecura malorum
Arce ſedens tuta, iam tum ore immanè frementem,
Bacchantemq́; animo, & fruſtra ſua damna gemẽtem;
Deſpectare queas: ſtygis vnde horrentia ſubter
Mœrentis vada, Cocytiq́; tumentia luctu
Stagna, Acheronteiq́; ardentes gurgitis æſtus
Cernere erit: quò ſontum animæ, turbaq́; nocentum
Fulmine deiectæ immani; flammantibus vndis
Pendunt ſupplicia, & iugi torrentur in igne.
   Hoc iter Heroes longum ſermone leuarant.
Et iam finis erat dictis: delubráq; Diuæ
Haud longè apparent ſimul improuiſa potentis.
Vix introgreßi, & ſuperos de more precati:
Cùm ſubitò accurrit comitum lætiſsima pubes,
Excipiuntq́; patrem, & ſubuectum molliter vlnis,
Sub penetrale ferunt, feſſumq́; ex ordine curant.
   Et iam; ſidereis poſtquam fulgoribus artus
Accenſus, greßúq; tremens & debilis ægro,
Franciſcus pater Hetruſcis deceſſerat oris;
Bis Titan, retro curſu flammante reducto,
Liquerat Aemonij glacialia ſidera monſtri.
Bis tumidum radijs Cancrum luſtrarat anhelis.

Et quater vmbra ierat luci par nigra diei.
Parq; hominum sopita quies quater acta labori.
Cùm genitor diuum, & summi regnator Olympi,
Innixus solio stellanti luce corusca,
Totus amore flagrans, & læta mente serenus,
Aetheráq; illustrans vultu; media arce sedebat.
Perpetuumq; dabat cursum lucentibus astris.
Et rerum vitas animo fundebat ab alto.
Cui Natus. Meme ò genitor nunc ipsa vocat res.
Nunc & tempus adest (tibi enim iam cognita primùm
Summa omnis rerum, & miri sententia facti)
Signiferi tandem quo dura incommoda nostri
Aspiciam: atq; acres miserans per membra dolores
Languida serpentes; præsens mitescere cogam.
Tu pater (hoc matura dies, hoc postulat Heros
Iam tempestiuus cælo: vidén' ager vt annos
Iam binos mea signa ferat?) modò numine votis
Cede meis facili: Heroem da soluere nexus
Mortales, duros da iam exhaurire labores.
Da puram insontemq; animam iam pondere molis
Terrenæ exutam, conuexa reuisere cæli,
Et lætam angusta nobiscum hac sede potiri.
Opportuna peto; sine me hoc modò posse petentem.
Profit, eum mihi iam similem, hæc mea signa tulisse.
Filius hæc. contrà cui mox pater oscula libans,
Aeternóq; fouens gremio, amplexúq; cohærens;
Intulit. an'ne tuas vires quicquam effugit vsquam
Nate? quid hoc precibus tantis onerare necesse est?
Quid fato addictum petis? opperiuntur amatum

Heroem

Heroem magni dudum alta palatia celi.
Ergo agè (quando amor is tibi nunc, ea nate voluptas
Est animo) i, tecum sublimem tolle per auras
Indigetem: siste huc altum, & bonus infer Olympo.
Imò acies (si quando) omnes nunc instrue gentis
Aetherea: lætus quæ te comitentur ouantes
Ordinibus: quæ voce canant facta inclyta magni
Signiferi: ceu; post pugnata euictáq; bella,
Post rapta arma virum, exuuiasq́, hostesq́ subactos;
Magnanimos reges: turbæ populiq́ patrésq;
Lætitia exciti, & ludis plausúq; frementes,
Attollunt cælo: & claros dant ire triumphos.
Talia sidereus genitor. vox æthere toto,
Interea rumore sonat, spargitq́ secundo
Lætitiam superis: celiq́ alta atria complet.
Scilicet audierat volucrum gens, affore tempus:
Quo tandem insignis stellis fulgentibus artus,
Astra Subasæus conscenderet arduus Heros,
Concilijs superum decus, atq; honor additus ingens.
Ergo omnis toto legio fremit excita cælo
Alituum, lætumq́ sonat: stellantia paßim
Tecta nouis feruent studijs: tum regia proles,
Aeternóq; æquæua patri, fidum eligit omni
E' numero volucrum: breuiter cui talia mandat.
Et rupes Tarpeia tibi, rupisq́ colona
Magna Iacobe olim nota est: agè donec vtranq;
Aspicias, te nulla quies, mora nulla volantem
Præpediat: lucus nec te Soractis amatus
Detineat celsi: cursus dehinc sine potitus;

Mox

Mox decus Ausonidum, speciménq; insigne pudoris
Diuini; his tantùm præclaram Heroida dictis
Alloquere. i, mater festina, Subasida terram
I, pete, Francisci funus structura supremum.
Rex tantum. Zephiros cursu præuertitur Ales,
Et sublimis adhuc medium verrebat inane:
Cùm iam deiectas Capitoli despicit arces.
Tum verò deuexus iter declinat: & imum,
Turbineo flexu descensum, & nubila gyris
Circinat obliquis: Iacobes ardua claræ
Donec tecta volans stringat plaudentibus alis.
Ventum erat ad castas sedes: incognitus alto
Infert se thalamo: matrem hîc (venerabile visu)
Conspicit egregiam, haudquicquam sub pectore curas
Degeneres versantem, animo aut quid vile putantem.
Tantùm autem arcano fruitur taciturna deorum
Colloquio, & patrem compellat mente supremum.
Tunc ergo his (neq; enim effigie, sed voce fatigat
Ales eam) sese iußis onerarier audit.
Lætus ad æthereum (mora parua) Subasius Heros
Tendet iter sedem: & terrena mole solutus
Spiritus, Eois mox sese interseret astris.
Tu ne dißimula, neu magno defice amico.
Busta etenim te sancta vocant, supremáq; poscunt
Funera (tolle moras) ades obsequiosa sepulchro.
Non hominum canit hæc: diuum sed nuntius affert.
Sic monet: effugitq́; ales, monitámq; reliquit.
Hi motus cælo. Terris memorabile nomen
Francisci simul effulget, simul ora Subasis
Omni

Omnis ouans Heroa canit: templa alta resultant
Concentu precibúsq; omnis calet ara Sabæis
Meßibus, igne micat, libisq; & floribus halat.
Vna autem ante alias splendet, præq; omnibus vna
Reginæ diuum feruet conuentibus ædes.
Iamq; Subasæa ciues ex vrbe frequentes
Sæpe aderant: vnáq; viri tantùm vnius omnes
Conspectumq; inhiant, & iusta insignia membris
Diuina ingenti contendunt cernere amore.
Nec minùs excitæ vicina per oppida gentes;
Fœmineos cœtos, puerósq;, chorósq; puellarum,
Ore manúq; viri lustrandos, vndiq; ad ædem
Transmittunt Diuæ, & votis sacra tecta frequentant.
Et iam Rex superum structis de more choreis;
Maturabat opus: decora immortalia ab imo,
Concilijs diuum, & summo iam debita Olympo,
Secum vnà æthereis vecturus ad astra quadrigis.
Ergo aderat tempus non eluctabilis hora
Quo parcæ niueis pensis extrema legebant
Stamina Francisco: confestim præscius ille
Agnouit fatum, atq; animo exultante recepit
Spes immortales, felicisq; otia vitæ.
Tum verò has orans effudit ad æthera voces:
Magne hominum diuumq; parens, sator optime rerũ,
Tuq; vnà æterni proles æquauáq; patris,
Et vos Alituum cunei, indigetésq; beati;
Accipite, oro, hodie Franciscum extrema loquentem.
Et date quæso meis deuexas vocibus aures.
Si vacet, & sontis numero comprendere noxas
Pergam

Pergam animæ : ſi ; quàm ſæpe olim perditus ipſe,
(Nam neq; erat tecum concors mea cæca voluntas,
Nec virtutis iter meme tunc ire iuuabat)
Ore prophanarim tua iuſſa ; exorſus ab alto
Principio referam, memoremq́ infanda meorum
Preſſius auſorum, & veteris contagia vitæ :
Quis fandi modus ? aut quo tandem fine quieſcam ?
Et tamen ò genitor nec tu das ſanguine pœnas
Me luere immanes, nec crimina tanta repoſcis :
Quæ meminiſſe pudet, mens quæ ſibi conſcia facti,
Nunc horret : culpátq; adeò refugitq́ : ſed ò iam
Diſcite mortales, quò me pia numina tollant,
Vnde vocent, quæ deinde parent quo laudis honore
Dignentur. Siquà innumeræ decus agmina gentis
Magna ferunt ducibus ; noſtros æquare triumphos
Quis valeat ? noſtro quæ ſeſe gloria regno
Componat ? vires noſtræ quis prouocet vrbis ?
Stant vi fixa ſua fundamina trina, ſuperq́
Mœnia conſurgunt : & propugnacula circùm
Horreſcunt : Heroes ab aggere mille coruſcant,
Æratiſq́ micant peltis, atque enſibus omnes
Fatiferis, martis turba haud ignara cruenti.
At non hæc noſtro ò genitor quæſita labore
Fama : meis non partus honos hic viribus : auctor
Tu tantorum operum : ſoboles tua muneris huius
Seruatrix : ſpectator ego, attonituſq́ nouarum
Mirator tantùm rerum. Nunc (ordine quando
Has ſortes pater ire iubes, ea voluere fata)
Ecce extrema dies meme petit : vltima parca,

Non exoratis manibus nent fila seuera.
Tu verò has gentes, quas indiga ad arma vocaui,
Aspice nunc, & dexter adi: rege numine fausto,
Infandisq; malis quondam hos pius eripe cœtus
His patrem æthereum placat, gnatisq; precando
Ipse suis veniam exposcit: quos deinde vocatos,
Assuetum in morem, sese coram ordine sistit,
Atq; vltro extremùm dictis affatur amicis.
O' socij, hæc meme (quo non optatius vllum
Munus eat) suprema dies spirabilis aura
Luminis afflabit tandem: sol vltimus hic me
Luce petet: iam iam non eluctabilis vrget
Hora, leuiq; vmbra obnubit vis aspera fati.
Nec temerè id, nec spe mea mens frustratur inani
Me magni præsaga boni: quippe alta laboris
Me palma exhausti vocat: immortalia tempe
Expectant cæli: iam tum palantia cerno
Agmina cælicolum, descensumq;, æthere ab alto,
Ordine perpetuo, & miro properantia cursu.
Sed quid vestra dolor (video nanq; atra repentè
Nubila consedisse oculis, & tristibus vmbris
Noctem importunam vultus texisse serenos)
Corda acer subijt? quid vos lætabilis angit
Discessus, gemituq; adeò contristat amaro?
Turbida non me orci facies, non ferreus horror
Exterret lethi: iuuat ire: extremáq; vitæ
Sponte lego: mihi parta quies: salis acta procellis
Nostra diu puppis portum subit: anchora durum
Prensauit scopulum, atq; vnco tenet improba morsu.

Desinit

Desinite ò meme lachrymis, atq; omine tristi,
Desinite & lætos simul incestare triumphos.
Nunc verò (neq; enim vos longa ambage morabor,
Nec sandi vis ægra queat) suprema loquentem
Percipite, atq; animis penitus mea figite dicta,
Perpetuáq; manu transcribite cœtibus olim
Venturis nostræ gentis, peráatq; cauete.
Ardua sidereas quæ nos via sistit ad arces:
Nec nisi per duros calles, cliuosáq; saxa
Aurea tendit iter virtus: hac ire necesse est
Vos duce: præcelsi montis si culmen amatum
Exuperare iuuet, sedésq; intrare quietas:
Et demum optatis dulci stabulare sub vmbra.
Nec vos interea seges hic Lernæa laborum
Terreat exurgentum: nèue horrescite casus
Innumeros: præfulget enim, paßimq; malignos
Emollit dux ipsa aditus, & præmia monstrat.
Ipsa eadem foribus residens fidißima cæli
Portarum custos; venientes accipit vltro
Felices animas: functosq; laboribus, astris
Inserit Heroas, claroq; immittit Olympo.
Quin & me; vestrum superet quò tutius altum
Quisq; iter; audistis pridem mandata ferentem.
Hæc illæsa animis, moneo, seruate volentes.
Et nostris, dum fas, parete hortatibus: instat
Debita cuiq; dies: & ineuitabile tempus
Imminet interitus cunctis: stat ferrea Clotho
Surdum opus intorquens, cogitq; trahitq; morantes.
Ne verò res dura animos angustaq; frangat:

Neue horrens vexet cultus, tenuisq; supellex.
Imò ò felices, iterumq; iterumq; beati,
Noscere si curæ vobis sit munera, quæ iam
Aurea paupertas fundet: nempe hac duce quondam,
Bissenum manus Heroum, cælestia Regis
Aetherei signa attollens, validáq; per orbem
Alta ferens dextra; bissena sedilia cælo,
Et peperit tum dura sibi, & modò parta triumpho
Læta tenet claro, totóq; exultat Olympo.
Non ergo hæc eadem vobis Regina parabit
Præmia? num tantùm vobis infida negabit
Prouentum, & vestras vacuis spes ludet aristis?
Imò vbi Diua potens, eadem & fidissima regni
Dux nostri, ore diu vestro, cultuq; per orbem
Fulserit; emeritos vos blanda attollet ad altas
Continuò sedes, & tuta sistet in arce.
Eia ergo ò socij promissis fidite Diuæ.
Néue mihi volucres sopito hæc fingere somnos
Credite: numine agor, versóq; in pectore numen.
Dixerat hæc: & iam per languida membra refusus,
Frigenti inserpit dolor altius, & vetat horrens
Plura loqui: tantùm lustrat pia dextra cœtus.
Tum verò somnus fluitantia lumina condit
Pacatus: mors purpureo consedit in ore,
Terrore exuta, & placida congesta quiete.
Quantus; Bistoniæ cumprimùm, vere reuerso,
Phœbeæ rutilo percussæ lampados igne,
Aut tepidis Zephiri spirantis leniter auris,
Incaluere niues; præcelsis liquitur humor

Montibus, & valles præceps decurrit in imas:
Tantos demittunt humentia lumina riuos
Natorum: sic in lachrymas it turba profusas.
Frigentemq; patrem gemitu circumstat amaro.
Ecce autem; ve gemens dum sic penetrale tumultu
Miscetur tristi, resonantq; sine ordine voces
Luctifica; natis, & fœmineo comitatu
Stipata, & sacri feralia ritè sepulchri
Dona ferens Iacobe aderat. nanq; (haud mora) postquam
Præpetis audierat cælestia iussa ministri;
Anxia funereis opibus de more paratis,
Longum Herois iter breuibus transegerat horis.
Ergo improuisò Romana, gementibus illis,
Coràm astat mater: corpusq; exangue iacentis
Vt primùm vidit patris, iruit incita, & atrùm
Incumbens gemit: ac veluti Bethana virago,
Aetheri quondam vestigia sacra magistri
Ore sinuq; fouens; largo mæstißima fletu
Lauit: eam interea tacitis incessere dictis
Aemulus, atq; ignominia damnare pudoris:
Sic patris exanimi, parcentibus Ausonis ulnis
Stellantes complexa pedes, atq; oscula figens
Humida; inexhaustos gemitus dat pectore mater.
Tum lentam sese, quamuis properauerit, amens
Incusat, tardósq; accessus increpat vltro.
Nec non visa refert, diuinaq; iussa renarrat.
Hic verò (immitis quanquam dolor omnia turbat,
Muniaq; abrumpit grauis exequialia luctus)
Intenti comites; funebre ex ordine curæ

Queis

Queis sacrum instruere est; feruent, mæstosq; paratus
Vrgent ardentes: ac primum sedis honestæ
Delecto hospitio; suggestæ molis in auras
Educunt tumulum, & sacrato carmine signant.
Fulgentemq; crucem formant, notissima Diuo
Arma, virumq; suis stellantem insignibus addunt.
Parte alia, puro latices è fonte petitos,
Aere cauo excipiunt alij, domitosq; calore
Flammarum expediunt, & corpus flumine purgant.
Cesserat has inter curas è corde parumper
Iam matris dolor: & tristem vis reddita mentem
Excierat. tunc funereum iubet ocyus omnem
Ornatum afferri, vestes, funalia, odores,
Vela, torosq; leues. Tum membra exanguia mollis
Carbasus obnubit, tenuiq; inuoluit amictu.
Mox verò Assirijs respergunt roribus artus,
Coryciosq; imbres, & odora Opobalsama vergunt,
Verq; Arabum fundunt: Cinyreidos illita guttis
Vela, Palestinis super immaduere fluentis.
Defletum hic corpus molli imposuere pheretro:
Vltro humeris proceres cui mox subiere recuruis
Grande ministerium: facibus longo ordine cœtus
Fulgent accensi, & flammis latè omnia lustrant.
Vt ventum ad tumulum, in medio statuere pheretrum:
Et circùm ad cantus patres de more coacti,
Felici miseræ animæ felicia honoris
Munera supremi, æternamq; dedere quietem.
Inde animo, linguáq; grauis, maturus & æuo
Bernardus; dextra corpus ter lustrat, & vnda

Spargit ter pura: ter flamma, & thuris odore
Rite vaporatum sacrata contegit vrna.
Rex verò æthereus cùm pridem in limine vitæ
Luctantem Heroem cælo spectasset ab alto;
Longius haud passus crudos sæuire dolores,
Aligerum ingenti circùm stipante corona,
Vltro se placido lapsu demiserat: & iam
Hæc, instans olli supra caput, ore sereno.
O' uita, ò magnis defuncte laboribus, ecquid
Agnoscis me? agnosce, oculos nunc exere lætos.
Adsum equidem, toties olim promissa, daturus
Gaudia: læta dies eadem & suprema, quietis
Hæc te perpetuæ, & magno transcribet Olympo.
Túq; anima ò sæuis iam pridem erepta periclis,
Soluere, quid cessas? terrena agè uincula rumpe.
Molem linque grauem, sedésq; attollere ad altas.
Hæc memorans Rex ore, manu iam pectus anhelum
Presserat: exiliens mox illa, & frigida linquens
Membra, deiq; sinus inserpens læta per altos;
Condiderat sese penitus: nec dehinc mora: bigis
Illam sidereis uectam cum Rege uolucres
Sustulerant cælo, & delecta sede locarant.

Ad Diuum mancæ laudis excusatio.

Non potui, nec erat mihi fas, æquare canendo
Te Pater, æquasti qui donum æquabile nulli.

FINIS.

Hoc opus fidei & catholicæ religioni valde cõsonum Guido Lenud. Præpositus & Vicarius Genera. Floren. Florẽtiæ imprimendi licentiam & facultatem concesſit. Pridie Id. Decemb. MDLXX.

REGISTRVM.

* a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z aa bb cc dd.

Omnes ſunt quaterniones, præter dd, quæ ſunt duerniones.

FLORENTIAE,

Apud Carolum Pectinarium.

M D LXXI.

Cum Priuilegio.

